3 1761 07833917 3

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. CARRARA

Prodierunt in Causis sub annum 1778.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS XLVII.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCLXXVIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

BX
1935
A36
t. 47-49

INDEX

ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno 1778. *per Diœceſes diſpoſitus.*

A

ABulen. Anniverſariorum 16., & 30. Maii *pag.* 112., & 120.

Abulen. Officiorum 16., & 30. Maii *pag.* 114., & 120.

Alben. Reductionis Miſſarum 4. Aprilis *pag.* 89., & 16. Maii *pag.* 97.

Albinganen. 21. Novembris *pag.* 228., & 12. Decembris *pag.* 242.

Anagnina Penſionis, 5. & 19. Septembris *pag.* 200., & 211.

Ariminen., & Feretrana 12. Decembris *pag.* 251.

Aſculana Reductionis Miſſarum 14. Februarii *pag.* 52.

Avenionen. Jurium Parochialium 19. Septembris *pag.* 220., & 21. Novembris *pag* 226.

Auximana. Diſpenſationis 10. Januarii *pag* 1., & 30. Maii *pag.* 126.

Auximana, & Cingulana Servitii Chori 19. Septembris *pag.* 216., & 21. Novembris *pag.* 225.

B

BOnonien. 4. Aprilis *pag.* 78.

Bononien. Confirmationis Concordiæ 14. Februarii *pag.* 46.

Bracharen. Reductionis Onerum 21. Novembris *pag.* 234., & 12. Decembris *pag* 242.

C

CAmerinen. Parochialis 16. Maii *pag.* 98.

Chiovien. Reſtitutionis in integrum 24. Januarii *pag.* 32., & 19. Septembris *pag.* 212., & 21. Novembris *pag.* 225.

Civitatis Caſtelli. Nullitatis Matrimonii 18. Julii *pag.* 162.

Converſanen. Reductionis Onerum 30. Maii *p.* 126., & 27. Junii *p.* 139.

D

DErthonen. Erectionis Eccleſiæ 30. Maii *pag.* 120.

E

EGitanien. Oneris Miſſarum 24. Januarii *pag.* 34., & 14. Februarii *pag.* 43.

Eugubina Subſidii Dotalis 10., & 24. Januarii pag. 16., & 19.

F

FAventina Commutationis Voluntatis 16., & 30. Maii *pag.* 115., & 120.

Faventina Functionum 14. Martii *pagina* 60.

Firmana Emphyteuſis 5., & 19. Septembris *pag.* 209., & 212.

Firmana Subſidii Dotalis 10. Januarii *pag.* 5.

Florentina, & aliarum Ordinationis 10. Januarii *pag.* 2.

Forolivien. Reductionis Miſſarum 30. Maii *pag.* 131., & 27. Junii *p.* 139.

Foroſempronien. Commutationis Voluntatis 16. Maii *pag.* 100.

G

GRoſſetana 16., & 30. Maii *pag.* 106. & 119.

I

IMolen. Reductionis, ac Suſpenſionis Onerum Miſſarum 24. Januarii *pag.* 40., & 14. Februarii *pag.* 44.

Imolen. Utenſilium 4. Aprilis *pag.* 80.

L

LEodien. Reductionis Onerum 12. Decembris *pag.* 243.

Loedien. 14. Februarii *pag.* 44.

M

MAceraten. 24. Januarii *pag.* 27., & 14. Martii *p.* 59. & 27. Junii *pag.* 152., & 18. Julii *pag.* 161.

Ma-

Maceraten. Jurium Parochialium 14. Martii *pag.* 63.
Maceraten. Reſignationis Beneficii 8. Auguſti *pag.* 185., & 5. Septembris *pag.* 198.
Maſſanen. Matrimonii 24. Januarii *pagina* 19.
Melevitana Diſpenſationis 10. Januarii *pag.* 1.
Meſſanen. 4. Aprilis *pag.* 93., & 16. Maii *pag.* 97.
Meſſanen. Reductionis Miſſarum 10., & 24. Januarii *pag.* 13., & 18.

N

NEpeſina Reductionis 8. Auguſti *pag.* 190., & 5. Septembris *pag.* 198.
Nicien. Diſpenſationis 27. Junii *pagina* 140.
Nucerina Paganorum Reductionis Miſſarum 14. Februarii *pag.* 56., & 14. Martii *pag.* 59. & 8. Auguſti *pag.* 192., & 5. Septembris *pag.* 198.
Nullius Sancti Aediſti 14. Martii *pagina* 69., & 4. Aprilis *pag.* 75.
Nullius, ſeù Nonantulana Reædificationis Eccleſiæ Parochialis 16. Maii *pag.* 102.

P

PLacentina 21. Novembris *pagina* 237., & 12. Decembris *pag.* 242.
Pontis Curvi Reædificationis, & Tranſlationis Eccleſiæ Parochialis 27. Junii *pag.* 152., & 18. Julii *pag.* 161.
Portuen. Viſitationis Sacrorum Liminum 18. Julii *pag.* 174., & 8. Auguſti *pag.* 184.
Præmislien. Nullitatis Matrimonii 18. Julii *pag.* 168., & 8. Auguſti *pagina* 183.
Prænestina Subſidiorum Dotalium 24. Januarii *pag.* 37., & 14. Februarii *pag.* 43.

R

REgien. Reductionis Servitii Chori, & Miſſarum 14. Martii *pagina* 62.
Romana Alienationis Domus 14. Martii *pag.* 66., & 4. Aprilis *pag.* 75.
Romana Cappellaniarum 4. Aprilis *pag.* 76.
Romana Subſidiorum Dotalium 27. Junii *pag.* 143.
Romana, & Meſſanen. 27. Junii *pagina* 149., & 18. Julii *pag.* 174., & 8. Auguſti *pag.* 184., & 12. Decembris *pag.* 243.

S

SAncti Severini 4. Aprilis *pag.* 84., 5., & 19. Septembris *pag.* 198., & 211.
Sarſinaten. Erectionis Plebanatus 13. Julii *pag.* 180., & 8. Auguſti *pagina* 185., & 5. Septembris *pag.* 197.
Senogallien. 5., & 19. Septembris *pag.* 206., & 212.
Senogallien. Præeminentiarum 12. Decembris *pag.* 245.
Spoletana Nullitatis Profeſſionis 10. Januarii *pag.* 2.

T

TIraſonen. Ordinum 30. Maii *pag.* 132., & 27. Junii *pag.* 140., & 18. Julii *pag.* 173., & 8. Auguſti *pag.* 184.
Tyburtina Juriſpatronatus 14. Martii *pag.* 72., & 4. Aprilis *pag.* 76.

V

VAden. Legatorum 10. Januarii *pag.* 1.
Vaden. Parochialis 5., & 19. Septembris *pag.* 203., & 212., & 21. Novembris *pag.* 226., & 12. Decembris *pag.* 241.
Verulana 14. Februarii *pag.* 45.
Verulana Juriſpatronatus 27. Junii *pagina* 155., & 18. Julii *pag.* 162., & 8. Auguſti *pag.* 183., & 21. Novembris *pag.* 227., & 12. Decembris *pag.* 241.
Ugentina Diſpenſationis ab Irregularitate 14. Februarii *pag.* 54., & 14. Martii *pag.* 59.
Urbanien. Canonicatus 10., & 24. Januarii *pag.* 10., & 18.
Urbinaten. Decanatus 19. Septembris *pag.* 217., & 21. Novembris *pagina* 226.

FINIS.

Die Sabbathi 10. *Januarii* 1778. *in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

TRes, quas priori loco subjicimus, Causæ in *ultima* hujus Amplissimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 29. transacti mensis *Novembris* propositæ non fuerunt. Cum itaque nunc proponantur, rogamus Eminentissimos Patres, ut ad eas definiendas *Folium ejusdem Congregationis* iterum consulant.

AUXIMANA DISPENSATIONIS, in qua disquiritur — *Sess.* 23. *cap.* 6. *de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Iterum pro ponatur.

VADEN. LEGATORUM, in qua disputandum est — *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Regular.*

An PP. Conventuales Civitatis Vaden. teneantur præstare Legata, de quibus agitur, in casu &c.

Affirmative, & ad Dominum Secretarium juxta mentem, & mens est, quod scribatur Episcopo ad hoc ut urgeat pro executione aliorum Legatorum tam Vincentii, quàm Corneliæ.

MELEVITANA DISPENSATIONIS, cujus unum est Dubium — *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

An sit locus Dispensationi ab Irregularitate in casu &c.

Negative.

Seſſ.25.cap.15. de Regular.,& Monial.

SPOLETANA NULLITATIS PROFESSIONIS. Data fuit hæc Cauſa *in Folio Congregationis* habitæ *die* 13. *ſuperioris menſis Septembris*, fuitque ab Eminentiſſimis Patribus definita *in ultima Congregatione* habita *die* 29. tranſacti *menſis Novembris*. Dubio, quod erat = *An conſtet de Nullitate Profeſſionis* = reſpondit Sacrum Tribunal = *Affirmativè*, *nempe conſtare de Nullitate Profeſſionis* = Modò Cauſa redit ad iteratum Eminentiſſimorum Patrum Judicium, & repetita lectione *Folii* dictæ *Congregationis diei* 13. *Septembris*, cognoſcendum erit

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In Deciſis, & amplius.

Seſſ.23.cap.8. de Reform.

FLORENTINA, ET ALIARUM ORDINATIONIS. Joſephus Maria Giorgi Florentinæ Civitatis Patriam deſerens ad Oppidum S. Gregorii Tyburtinæ Diœceſis jamdiu ſe contulit, ibique cum Uxorem duxiſſet, Vineam, & aliquot Prædiola, quæ adhuc poſſidet, partim Dotis nomine, partim ære proprio acquiſivit, & per quatuor annos continuos eſt immoratus. Poſtea, cum Chirurgicam artem profiteretur, per publica Civium Comitia electus ad Canariæ Terram Aſſiſienſis Diœceſis pro dicto munere exercendo cum Uxore venit, ubi die 9. Januarii anni 1758. filium ſuſcepit, cui Joannis Vincentii Stanislai nomen impoſuit. Subinde dictus Joſephus Pater anno 1761. ad Montis Falchi Spoletanæ Diœceſis Caſtrum electus, conductuſque fuit, ut ſuo Chirurgi officio perfungeretur; ac elabente anno 1768. eadem ex cauſa Viſſum tranſivit, & poſt annum 1770. Caſſiam, ambo præfatæ Diœceſis Spoletanæ Oppida, advenit, in quorum ultimo publico Chirurgico oneri ſatisfacturus etiam in præſens commoratur.

Cupiens propterea Joannes Vincentius ejus filius Clericali Militiæ adſcribi, præ cæteris Spoletanum rogavit Antiſtitem, ut primam Tonſuram, ac reliquos Ordines ſer. ſer. ei dignaretur conferre. Vèrum cum ab omnibus rejiceretur, quippe qui ancipites hærerent, cuinam ex Illis pro conſequenda ordinatione Joannes ſubditus eſſet, ipſemet ab hoc Sacro Senatu ſupplex petiit, ut definire-

tur,

tur, ad quem ex Florentino, Tyburtino, Assisiensi, ac Spoletano Ordinariis ad Tonsuram, & Ordines Oratorem promovere, vel Dimissoriales ei Literas concedere spectet -

Cum singuli de more auditi sint, Archiepiscopus Florentinus de Oratore sic loquitur = *Nullibi domicilium acquisiviſſe videtur, nisi fortè in Diœcesi Tyburtina, ubi proprio ære Pater illius bona comparavit, & animum suum aperuit ibidem perpetuò permanendi* = deinde Dubii definitionem Sac. Congregationi relinquit.

Episcopus Tyburtinus, licet Oratoris Patrem ibi uxorem duxisse, & substantias aliquas possidere confirmet = *Non tamen idcircò* [sunt ejus verba] *ausim Joannem Vincentium Stanislaum Giorgi inter meos Diœcesanos recensere, meisque dimissorialibus, vel Testimonialibus indigere, quibus prima Tonsura, & aliis Ecclesiasticis Ordinibus legitime possit initiari. Etenim ex Matrimonio prædicto, ac quatuor annorum incolatu, & bonorum stabilium emptione haud mihi videtur inferri posse, constantem Josepho Mariæ Giorgi Florentino voluntatem fuisse iis in locis perpetuò permanendi, ac proinde ibi domicilium acquisiviſſe, sed veluti vagum eum haberem. Porro idem dicendum arbitror de Joanne Vincentio Josephi filio, ità ut in Diœcesi Spoletana, ubi diuturniorem moram traxit, ab eo Episcopo prima Tonsura initiari, & ad minores, Sacrosque Ordines promoveri valeat, dummodo idoneus &c.*

Assisiensis verò Antistes, in cujus Diœcesi ortum habuit Orator, hunc ad se non pertinere sic innuit = *Posito, quòd Joannes Vincentius Stanislaus filius Josephi e Civitate Florentiæ ortus sit accidentaliter in Terra Canariæ hujus Assisiensis Diœcesis, nec ejus Genitor in dicta Terra elegerit domicilium, sed tantummodò per spatium trium annorum in qualitate Chirurgi fuerit ibi commoratus, & postea ad alia Loca ad eamdem professionem exercendam transierit, nec in dicta Terra Canariæ habeat Domum, vel alia bona, ut idem asserit, non potest, meo judicio, meus Subditus reputari, & tanquam meus Subditus prima Tonsura initiari,*

Tandem Spoletanus Episcopus, cujus Diœcesim per quindecim annos Orator incoluit, & adhuc inhabitat, respondit, nullum in Oratore Titulum reperiri, unde veluti Subditus ab eo valeat ad Ordines promoveri: Non posse ratione originis propriæ, cum Orator in Assisinati Diœcesi sit ortus, nec ratione originis paternæ, quia na-

tales Florentiæ ſortitus eſt Parens ; non ratione Beneficii, quod ei non confertur : Non deniqne ratione domicilii, quia Oratoris Pater accidentaliter, & occaſione temporanei Officii tàntum per quindecim annos varia ſuæ Diæceſis Oppida inhabitavit, & expreſsè proteſtatus eſt, nec habuiſſe, nec habere animum ibi domicilium contrahendi, ubi revera nec Domum inſtruxit, nec rerum ſuarum ſummam conſtituit. Concludit demum = *Si probetur, Patrem Oratoris fuiſſe commoratum per annos quatuor in Caſtro S. Gregorii Tyburtinæ Diæceſis, ibique habere Domum apertam, ac res ſuas, & bona ſtabiliſſe, prævio juramento de animo ibi perpetuò manendi, & cæteris concurrentibus, arbitror, Ordinationem Oratoris ſpectare ad Epiſcopum illius Diæceſis.*

Hæc omnia propoſita fuerunt in Congregatione diei 19. Julii elabentis anni 1777., ſed prodiit Reſcriptum = *Dilata, & ponatur in folio*; adeoque rurſus, ut infraſcriptum dubium definiant, Emi Patres rogantur.

Ex famigerata Conſtitutione felicis record. Innocentii XII., cujus initium = *Speculatores*, illud certum habemus, Oratorem Aſſiſienſi Epiſcopo pro Ordinibus ratione originis ſubditum aſſeri non poſſe, cum in ejus Diæceſi occaſionaliter dumtaxat natus fuerit, multoque minus Florentino Archiepiſcopo ex origine Patris, cum is nativitatis ſolum certè dereliquerit, ac permutaverit, prout ex laudata Conſtit. §. Cæterum.

Summa ergo rei ad Patris domicilium, & filii per Patrem uti ex *Rot. deciſ.* 172. *num.* 10. *par.* 8. *recent.*, videtur redigi, de quo *in §. ſeq. prædicta Conſtit.* ibi = *Subditus autem ratione domicilii, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, is dumtaxat cenſeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeò ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis ædibus in locum hujuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando .ſatis ſuperque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit, & nihilominus ulterius in utroque caſu ſe verè, & realiter, animum hujuſmodi habere jurejurando affirmet.*

Præ oculis itaque habendum, ut prò effectu, de quo agitur, domicilium contrahatur, nec longiſſimam aliquo loco habitationem ſufficere, niſi accedat ſimul animus ibi permanendi jurejurando expreſſus ; & è contra brevius etiam decennio temporis ſpatium ſatis eſſe, ſi ultra

di-

dictam jurisjurandi religionem Lares, fortunæque omnes in residentiæ locum translatæ fuerint; quæ omnia consonant *L. Domicilium* 20. *ff. ad municip.*, ibi = *Domicilium re, & facto transfertur, & non nuda contestatione* = in quam Glossa = *facto subintellige, & animo; nam hæc duo sunt necessaria*.

Hisce positis, difficultatis nodus in subjecta quæstione ad conditionem temporis *considerabilis* reducitur, quo in aliqua Diœcesi aliquem permansisse memorata Constitutio requirit. Quantum verò moræ per *tempus considerabile* exigatur, utcumque alia concurrant, licet Doctores non conveniant, triennium completum intelligi pro certo habet *Honorat. in Prax. Secret. Eminentissimi Card. Vicarii cap.* 9. *not.* 4. *pag.* 99., *nec discrepat. Barbos. de Potest. Episcopi, par.* 2. *alleg.* 4. *n.* 25., *& seq.*

Causæ ejusmodi pluries in hac Sacra Congregatione agitatæ fuerunt, quarum ad rem facit Neapolitana Ordinationis sub die 15. Januarii 1701., Maceraten. sub die 4. Decembris 1706., & præsertim Anconitana, seu Senogallien. die 28. Septembris 1754., in qua cum Franciscus Roberti in Senogallienſi Diæcesi ortus Catharinam Fabri Castri Paterni Anconitanæ Diæcesis in Uxorem duxisset, translatisque propriis substantiis, in dictæ Conjugis Patria domicilium fixisset, natum ex his filium Raimundum renuit Anconitanus Episcopus ordinare, & ad Senogallienſem remisit, quo pariter dubitante, proposito Dubio = *An, & ad quem spectet ordinatio Raimundi in casu* = Rescriptum fuit = *spectare ad Episcopum Anconitanum, facta declaratione medio juramento per Franciscum Patrem juxta Bullam Speculatores*.

Dignentur igitur EE. PP. respondere.

An, & ad quem spectet ordinatio Joannis Vincentii Giorgi in casu &c.

Spectare Ordinationem Joannis Vincentii Giorgi ad Episcopum Tyburtinum, prævia tamen declaratione medio Juramento per Josephum Patrem faciendâ, juxta Bullam = Speculatores.

FIRMANA SUBSIDII DOTALIS. Armindus Ricci ex Monte S. Martini Firmanæ Diæcesis, & Sa. Me. Clementis IX. Subdatarius anno 1668. suum ultimum condidit Testamentum, in quo plurima scripsit tum pia, tum *Sess. 22. cap. 6. de Ref.*

tum profana Legata, & in ſuis Domibus ſitis in dicta Terra Montis S. Martini Montem erexit, quem vocari juſſit *Charitatis* ſub invocatione *Domini Noſtri Jeſu Chriſti*, *SSmæ Immaculatæ Virginis Mariæ*, *& S. Michaelis Archangeli*, quem hæredem ſuum univerſalem inſtituit, illumque gravavit plurium piorum Legatorum onere: Illius autem Adminiſtratorem eſſe voluit Carolum Ricci Nepotem ſuum, annuo eidem aſſignato ſtipendio ſcutorum 60., & poſt eum nominavit Valentinum Ricci alium ejus Nepotem, quo etiam deficiente, Adminiſtrationem Montis contulit in unum, qui magis fuerit repertus idoneus, ex quatuor expreſſis Familiis ſibi Conſanguineis, & in eorum defectum Archiepiſcopum Firmanum pro tempore ſubſtituit.

Ut autem ejus augeretur Patrimonium, mandavit, quòd ab Adminiſtratore fieret Multiplicum ex ſcutis centum per ipſum ex redditibus hæreditariis anno quolibet in Æde Sacra Pietatis, vel in Menſa Nummularia S. Spiritus Urbis deponendis, inveſtiendiſque in Locis Montium Cameralium, & non vacabilium, ſubditque = *E dopo fatto il multiplico de Luoghi de Monti in quantità di ſcudi due, ò tre mila di Capitale in circa, ſe capitaſſe occaſione di comprare Terre fertili, e ſecure nel Territorio di S. Martino, o d'altri luoghi vicini* = voluit, quòd Loca Montium ex multiplico provenientia venderentur pro his Terris emendis. Voluit etiam, = *Che ſe li detti Signori Carlo, e Valentino, come anco tutti li loro Deſcendenti sì Maſchi, come femine veniſſero ſenza loro colpa in biſogno ſtraordinario & indecente allo ſtato loro, poſſano li ſudetti Signori Eſecutari Teſtamentarii, mentre ſopraviveranno, e poi l'Arciveſcovo con loro riſpettivamente ordine in ſcriptis fargli dare durante il biſogno qualche Soſſidio una, o più volte, & anco annuo al loro riſpettivamente arbitrio, cioè di detti Signori Eſecutori Teſtamentarj, e poi dell'Arciveſcovo delli frutti della ſua Eredità dall'Amminiſtratore di eſſa* = ac demum quatuor deputavit Exequutores teſtamentarios, quibus deficientibus (prout nunc omnes defecerunt), elegit Archiepiſcopum Firmanum pro tempore exiſtentem, vel ejus Vicarium Generalem.

In ſumma rei familiaris anguſtia poſiti Conjuges Jacobus Proſperi, & Maria Ricci præfati Teſtatoris Neptis preces porrexerunt CLEMENTISSIMO NOSTRO PRINCIPI narrantes, ipſos propter numeroſam, quam ha-

habent ; Familiam impares eſſe ad congruam , decentemque præſtandam dotem Mariannæ eorum filiæ jam nubili , ideoque poſtularunt , ut ex redditibus Armindi Ricci eorum Patrui , qui ſingulis impletis oneribus ſuperſunt , congrua Dos eidem Mariannæ filiæ traderetur .

Ablegatis precibus ad hanc Sacram Congregationem , ter fuit Vicarius Capitularis requiſitus pro ſua Informatione, & voto . Is enim in prima ejus Informatione *ſub datum 5. præteriti menſis Junii* retulit , juſtam eſſe Conjugum Oratorum petitionem = *ſive Teſtamenti ratio habeatur, ſive rerum domeſticarum , quibus Oratores premuntur , circumſtantiæ inſpiciantur . Teſtamenti enim particula proviſum eſt , ut ſubſidia ipſius Teſtatoris Poſteris utriuſque Sexus præſtari poſſint . Maria autem Ricci Oratrix Neptis eſt ipſius Teſtatoris , quæ tum Liberorum numero, tum impendiis , quæ jam ante in Familiæ comodum fieri debuerunt eò adducta eſt , ut jure Teſtamenti implorare videatur , quo Mariannam filiam nuptui tradere ex honeſtate generis poſſit* = Auditoque AdminiſtratoreMontis Ricci , retulit ipſum teſtatum fuiſſe , = *in annos ſingulos ſatis ſupereſſe de redditibus , ex quibus in Oratorum ſubſidium erogari illud valeat , quod EE. VV. arbitrio congruum videbitur .*

In ſecunda verò Informatione *ſub datum diei 17. ſubſequentis menſis Julii* integro Teſtamenti tenore tranſmiſſo unà cum Folio introitus , & exitus Montis Ricci ab ejus Adminiſtratore eidem exhibito , retulit , quòd Oratores eorum Filiæ = *parem honeſtati generis dotem conſtituere nequeunt .* = proſequiturque his verbis = *Ponderandum igitur dumtaxat remanet , quæ Dos dijudicanda ſit congrua Oratorum filiæ , ut mandatis EE. VV. ſatisfaciam . Equidem ſi de conditione, & ſtatu Domus de Proſperis, quæ una eſt ex præcipuis in Oppido Montis Georgei Familiis , ſi de ſolito , quod in loco viget , & ſi de Cognatione , quam habent Oratores cum honeſtis , præclariſque Familiis ratio , ut par eſt , habeatur , Dos conveniens , & congrua in quingentis ſupra mille nummis ſtatuenda videtur , quibus ſane deficientibus , Matrimonium honeſtati generis correſpondens haud facile Puella poterit adinvenire . Hæc ſumma ob filiorum numerum , quo premuntur Oratores , his nimium incommoda , illis verò foret detrimentoſa .*

Aſt = *Omnis ceſſaret amaritudo* = (ut eadem ſecunda Informatio proſequitur) *ſi mille nummos hanc ob cauſam*

Mons

Mons Charitatis ſubſidiariè præſtaret vel ex ejus Capitalibus, vel ex effectibus exuberantibus. Nullum ſane detrimentum obventurum ipſi Monti videretur, ſi hæc ſumma ex ipſius Capitalibus aſſignaretur, quandoquidem hujuſmodi ſubſidiaria præſtatio ſuper illis caderet Capitalibus, quæ juxta legem à Teſtatore indictam ſingulis annis ex effectibus exuberantibus aucta ſunt. Adminiſtrator ipſius Montis, quem audivi, huic ſubſidio præſtando non renuit, nilque in contrarium exponit; ſolum addit, quòd abſque diſtractione Capitalium Puellæ tradi poſſent Nummi Octingenti, qui uti exuberantes modò in depoſito exiſtunt ad commodum Firmani Archiepiſcopi uti Executoris à Fundatore deſignati, & ipſius Adminiſtratoris, detracta tamen ea quantitate, quæ neceſſaria dignoſcitur pro duobus, aut tribus Montium Locis comparandis =. Concluditque demum his verbis = *Sive igitur ex Capitalibus mille nummi, ſive illi, qui in depoſito extant integre ſint aſſignandi Oratoribus, ſuſpenſa interim deſignatorum Locorum Montium emptione, ſive hac non retardata, ſubrogandi ſint pro adæquando integræ Dotis ſubſidio fructus venturis annis exuberantes, ſive alia magis viſa ſumma ſit tradenda, ſtatuant prorſus EE. VV.*

Ac tandem in tertia Informatione *ſub datum 2. nuper elapſi menſis Novembris* ait, quòd = *Domus Jacobi Proſperi, & Mariæ Ricci Conjugum adeo pingui erat olim ditata Patrimonio, ut non tam ob generis honeſtatem, quàm ob divitiarum copiam inter præcipuas Oppidi Familias merito adnumeraretur. Modò verò ab antiquo ſtatu multum receſſit, & ob adverſæ fortunæ viciſſitudines in ægra, & minus commoda conditione verſari deprehenditur. Eo ſiquidem vivunt modò patrimonio, ut niſi in eadem menſa, eademque individua Bonorum communione commoraretur ejuſdem Jacobi Frater Sacerdos inter extremas anguſtias ob prolis numerum lugere, & vitam degere cogerentur. Imo & illud adjungam, quòd, hac etiam poſita Patrimonii communione, niſi ſcrupoloſa, & œconomica adhibeatur ratio, & methodus, haud ſatis eſſe poſſet totius Familiæ vel levi ſubſtentationi* =, ſuper quo tranſmiſit juratam depoſitionem ſex Oppidanorum Civium, quos inter quatuor ſunt Sacerdotali charactere inſigniti.

Refert inſuper Oratores gravatos eſſe quinque filiis maſculis, & unica fœmina jam conſtituta in ætate annorum viginti octo juxta fidem Parochi, quam etiam tranſmiſit; Votumque ſuum aperuit his verbis=*Non minus*

cen

cenſeo præſtandum eidem eſſe hoc dotale ſubſidium, ſine quo fieri non poteſt, ut Matrimonium generis honeſtati correſpondens valeat adinvenire, ſed etiam hanc ob cauſam eidem eſſe aſſignandos illos octingentos nummos, qui tamquam exuberantes ex effectibus ejuſdem Montis Ricci modò in depoſito extant, ceu fuſe in altera mea retuli Epiſtola, quam dedi EE. VV. ſub die 16. *Junii labentis anni. Licet autem ex tali ſumma ſit detrahenda ea quantitas, quæ pro comparandis tribus Montium locis occurrit, ut in eadem animadverti Epiſtola, nihilominus integre Supplicantium filiæ aſſignari poſſe judicarem vel dempto prorſus, vel ſuſpenſo tali Inveſtimento, quod ipſius Montis commodum non reſpicit, ſed cauſam præbet, ut non rarò in extraneos uſus Archiepiſcopi Firmani convertant quidquid ex hujuſmodi Inveſtimento ſuperabundat.*

Ex dicto Folio per Adminiſtratorem Montis exhibito, & huic Sacræ Congregationi tranſmiſſo patet, Montem Charitatis Ricci ex prædiis Ruſticis, & ex Locis 402. Montium Cameralium, & non vacabilium annuos habere redditus ſcutorum 1285. 90; illius autem exitum conſiſtentem in piorum onerum a Teſtatore relictorum implemento, nec non in mercede Miniſtris anno quolibet ſolvenda, ac etiam in poſſibilibus reparationibus Eccleſiarum Ruralium, non excedere annuam ſummam ſcutorum 990. 58, ita ut facta ab ipſo met Adminiſtratore partitarum diſpunctione, fit manifeſtum introitum ſuperare exitum in annuis ſcutis 295. 32.

Regula Juris eſt, quòd, cum Teſtator de Puellis ſibi conjunctis, & deſcendentibus ex Nepotibus ſuis Carolo, & Valentino Ricci, cujus *Neptis* eſt Maria Oratrix, expreſsè cogitaverit, atque mandaverit, ut in earum neceſſitatibus debitum ex ſuis redditibus præſtaretur auxilium, ea tamquam expreſsè vocata, & ex debito juſtitiæ veniens admittitur ad aſſequendum auxilium ab ipſo met Teſtatore præſcriptum, prout hoc beneficio potiri debent aliæ Puellæ deſcendentes uſque ad decimum gradum juxta regulas inteſtatæ ſucceſſionis, & non ultra, ut per *Text. in §. final. Inſtitut. de ſucceſs.*, communiter firmant *Tiraquel. de Retract. lignag. §. 1, gloſs. 9. num.* 13., *& ſeq.*, *Mantic. de Conject. lib.* 3. *titul.* 12. *num.* 46., *& 47.*, *de Marin. reſolut.* 131. *num.* 9. *lib.* 1., *& Rot. deciſ.* 907. *num.* 14. *cor. Molin.*

Atque hinc ponderandum eſt, hìc agi de dotanda Puella in quarto tantum gradu cum Teſtatore conjuncta, ac de

Puella ætatis annorum 28. , quæ ſine hoc auxilio remaneret innupta : Item agi de Puella Nobili , quæ Viro paris conditionis nubenda eſt , illiuſque Parentes, attento aliorum filiorum numero,adeo pauperes eſſe , ut congruã dotem filiæ parare non poſſint . Agi de unica tàntum dotanda Puella ex Domo Proſperi : Et agi de Patrimonio , à quo præſcriptum poſtulatur auxilium , ſatis divite , cujus redditus , omnibus impletis oneribus, ſuperabundant in annuis ſcutis 295. 32. , & ex redditibus ſuperexcedentibus depoſitum extare conſpicuæ ſummæ ſcutorum 800. : Itidemque ponderandum eſt , inveſtimentum in Locis Montium , quod pro rata depoſiti fieri meminit Adminiſtrator Montis , fieri potius in augumentum Patrimonii , quàm ex præcepto Teſtatoris , dum iſte mandavit , inveſtimentum , & multiplicum ſervandum eſſe uſque ad ſummam ſcutorum duorum , vel trium millium , veluti ſignificare videntur Teſtamenti verba ſuperius relata , quod ſanè multiplicum per tantum temporis lapſum præſumi debet impletum .

Sacra Congregatio in hiſce taxandis dotibus pro Puellis cum Teſtatore ſanguine conjunctis , & expreſsè vocatis, vel expreſsè contemplatis , & exiſtentibus intra gradus à jure præfinitos modò majorem, modòque minorem ſummam decrevit juxta proximioritatem gradus,juxta divitias Patrimonii,& juxta conditionem , & paupertatem Puellæ dotandæ,earumque numerum,ut videre eſt *in Camerinen. Subſidiorum Dotalium* 8. *Auguſti* 1733. , *in Panormitana Subſidiorum Dotalium* 15. *Januarii*,& 20. *Auguſti* 1735. , *in Romana Subſidiorum Dotalium* 10. *Februarii*, 30.*Martii*,& 3. *Auguſti* 1748. , *in Romana* 21. *Maii* 1757., & *in Narnien. Subſidiorum Dotalium* 11. *Septembris* 1762. , & paſſim alibi .

Quibus omnibus maturè perpenſis , grave non erit EE. *PP.* ſequens definire Dubium ,

An , & quomodo , & in qua ſumma ſit locus præſtationi ſubſidii Dotalis pro Marianna Proſperi in caſu &c.

Affirmativè in ſumma ſcutorum octingentorum .

*Seſs.*25. *cap.* 9. *de Reformat.*

URBANIEN. CANONICATUS . Cum per obitum Julii Cæſaris Luzi Canonici Cathedralis Eccleſiæ Urbanien. vacaſſet Canonicatus de Jurepatronatus Sodalitii Sancti Joannis Evangeliſtæ erecti in eadem Cathedra-

li

li Ecclesia, illius Sodales pro novi Canonici electione in dictis Comitiis sub die 2. Octobris 1775. tres sub scrutinio positos excluserunt Concurrentes; Ast in Sacerdotem Franciscum Biscioni adeo majora contulerunt suffragia, ut unum dumtaxat eidem deficeret pro concludenda nominatione, quare Joachim Biscioni Sacerdotis Francisci Pater in eisdem Comitiis protestatus fuit, se coram quo de jure velle petere Sanatoriam. Sodales autem, jam præterlapso bimestri, novis indictis Comitiis pro die 17. Decembris dicti anni 1775., in eis per majora secreta suffragia in Canonicum elegerunt Sacerdotem Antonium Ghighi, qui etiam à duobus Sodalibus in eisdem Comitiis ad hunc effectum deputatis fuit Episcopo præsentatus.

Antequam autem electio fieret Sacerdotis Ghighi, jam Sacerdos Biscioni preces porrexerat SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO pro reportanda Sanatoria, remissisque precibus ad hanc Sacram Congregationem, obtinuerat etiam sub *die* 16. *Septembris* 1775. ejusdem Sacræ Congregationis Epistolam Urbanensi Antistiti directam, ut moris est, pro Informatione, & Voto. Hanc tamen Epistolam non prius Episcopo Biscionus præsentavit, nisi sub die 18. Januarii 1776., & sic nedum post expletam nominationem, & præsentationem à Patrono factam in Personam Sacerdotis Ghighi, sed etiam biduo post elapsum quadrimestre Patronis ad præsentandum præscriptum. Retulit enim Episcopus, Sacerdotem Biscioni alienum esse ab assequutione Canonicatus, & per hæc sequentia verba concludit = *Res igitur finita videtur per canonicam electionem Sacerdotis Ghighi præditi omnibus debitis requisitis*.

Hoc tamen non obstante, disputat modò Sacerdos Biscioni, sibi concedendam esse sanationem, præsentationem, & institutionem ad Canonicatum, de quo agitur. Contendit e contra Sacerdos Ghighi, ut, posthabita Biscioni petitione, sibi ad eumdem Canonicatum danda sit institutio.

Animadvertendum est, hic non agi de sanatione electionis factæ, non servata forma a Constitutionibus Apostolicis, vel a Statutis Confraternitatis præscripta, vel de persona electa non tamen habente necessaria requisita, vel de paritate Suffragiorum, & similibus, sed agi quidem de non electione personæ Sacerdotis Biscioni, uno deficiente Suffragio, cujus suppletio per sanationem postulatur.

Nullum enim jus esse posse videtur Biscionio, qui electus non fuit, nec quærendum est de unius Suffragii defectu, cum dici debeat excluſus, qui majorem Suffragiorum numerum non habuit, cum ille qui uno etiam calculo vicit, a majori parte censeri debeat electus, ut est in *Leg. Quod major ff. ad Municipal.*, traduntque *Panormitan. in cap. Postulastis num. 74. de Conceſſ. Præben.*, *Barbos. de Offic. Epiſc. alleg. 72. num. 198.*, *Vivian. de Jurepatr. lib. 12. cap. 8.*, *Card. de Luc. de Canon. diſc. 28. num. 2.*, & *Rot. coram Falconer. deciſ. 20. num. 12. tit. de Jurepatr.*

Ulterius plura ponderanda sunt. *Primò*, quòd per divinationem petita fuit a Biscione Sanationis gratia, dum ille pro sanatione ex defectu unius Suffragii preces exhibuit menſe Septembris 1775., & Comitia, in quibus hoc idem ei defecit Suffragium, habita fuerunt die 2. ſequentis menſis Octobris. *Secundo*, quòd gratia poſtulata fuit intra quadrimeſtre ad præſentandum Patrono conceſſum, cujus Jure variatio permiſſa eſt, nec pro varianda nominatione ligatur Patronus ab Appellatione à primo nominato interpoſita, prout in caſu, ſi Biſcionus canonice, & per majora ſuffragia nominatus fuiſſet, ad expreſſum *Textum in cap. Paſtoralis de Jurepatr.*, ibique *Gloſſ. in verb. appellaverit*, *Lambertin. de Jurepatronat. part. 2. lib. 2. quæſt. 7. art. 20. num. 2.*, *& ſeq.*, *Pax Jordan. Lucubrat. tom. 2. tit. 7. lib. 10. num. 244.*, *Piton. de Controv. Patron. alleg. 2. num. 21.*; *& alleg. 78. num. 14.* maxime in caſu, de quo agitur, in quo recurſus habitus a Biſciono ad Summum Pontificem, nec non Epiſtola hujus Sacræ Congregationis non fuit Epiſcopo tempore habili præſentata, ſed sòlum exhibita poſt conſumatam nominationem factam intra quadrimeſtre in Perſonam Sacerdotis Ghighi, ſed imo poſt abſolutum quadrimeſtre.

Et *tertio* demum, quòd etiamſi Sanationis gratia, quatenus in hoc caſu ea locum haberet, vel tunc, vel nunc eſſet concedenda, adiicienda videretur clauſula = *accedente conſenſu Patronorum* =, qui cæteroquin in Biſcionum non conſentiunt, ut de ſtylo tradunt *Lotter de re benefic. part. 2. quæſt. 8. num. 93.*, *& ſeq.*, *Rigant. ad regul. Cancellar. 42. num. 31.*, & *Rot. coram Molin. deciſ. 542. num. 6.*

Jura ab utraque Parte circumferuntur, ex quibus cognoſcendum erit, qua Juris ratione duo, quæ ſequuntur, Dubia ſint definienda.

I. *An*

I. *An ſit locus ſanationi, itaut Sacerdos Franciſcus Biſcioni ſit præſentandus, & inſtituendus ad Canonicatum, de quo agitur, in caſu &c.* = & quatenus negative.

II. *An ſit danda inſtitutio ad eumdem Canonicatum Sacerdoti Antonio Ghighi in caſu &c.*

MESSANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Redit iterum ad Judicium Ampliſſimorum Patrum hæc Cauſa, quæ data fuit *in folio Congregationis* habitæ *die* 19. *Julii labentis anni*, a quo repeti poteſt. Reſponſum fuit a Sacro Senatu *in Congregatione*, quæ habita eſt *die* 9. *elapſi menſis Auguſti* Dubio, quo quærebatur = *An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.* = *Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem*. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

Impleta fuerunt mandata Sacri Tribunalis datis Epiſtolis Meſſanenſi Archiepiſcopo, qui circa primum quæſitum ſuper calculo aſſignationum præſtandarum à Guillelmo Gemelli Oratore ex ejus redditibus non excedentibus ſummam unciarum 382., ſic reſpondet = *Sorori Oratoris Moniali unciæ 60., tribus Conſobrinis ſimul unitis unciæ 20., pro fructibus Cenſuum paſſivorum unciæ 12., Filio primogenito propter nuptias unciæ 60., duobus Fratribus Oratoris ex Teſtamento communis Genitoris unciæ 80., iiſdem in vim Tranſactionis poſt longam ſumptuoſam litem unciæ 72., quæ omnes collectivè ſumptæ ſunt unciæ 103. quibus ſi addantur unciæ 103. pro celebratione ſeptem quotidianarum Miſſarum veniunt unciæ 407.: Unde minimè ſufficient annui redditus dictarum unciarum 382. ad ferenda onera ſupradictarum unciarum 407.*

Advertit tamen his verbis = *Pro cujus ſolutione ſciendum eſt, uncias 80. pro quolibet anno à communi Genitore duobus Oratoris Fratribus aſſignatas, & uncias 72. annuas vi Tranſactionis eiſdem obventas computandas non eſſe in Patrimoniali aſſe jàm ſupradeſcripto, ſed fuiſſe ſeorſim ab anno 1744. ipſis inteſtatas, quoad uncias 80. à communi Patre in ejus Schedula teſtamentaria, & quoad uncias 72. ab Oratore vigore Tranſactionis inter eos initæ, quæ quidem unciæ 152. in Regio Banco hujus Urbis quotannis nominibus propriis ab ipſis met Oratoris Fratribus exiguntur ſupra Urbanos redditus hìc dictos Bimeſtre, quia*

quia ſingulis Bimeſtribus ſolvuntur quolibet anno. Patrimonium ideo Oratoris poſt mortem dictorum Fratrum excreſcet in ſummam aliarum unciarum 152., *& tunc erit in unciis* 434., *in præſenti autem aſſurgit ad ſummam unciarum* 382.

Ad ſecundum verò quæſitum quod attinet conſiſtens in tranſmiſſione particulæ ſaltem Teſtamenti Hieronymi Gemelli Oratoris Avi, nec non Petri Gemelli ejuſdem Oratoris Patrui, ac demum Dominici Gemelli ejus Patris, quoties illorum Teſtamenta vel nimis voluminoſa, vel prolixa fuiſſent, ut ex eis ipſorum reſpective voluntas cognoſci poſſit, Archiepiſcopus tranſmiſit = *Capitula Schedularum, ſeu Teſtamentorum ad opus facientia, ut ex eorum diſpoſitionibus dignoſcatur, quæ fuerint ultimæ Teſtatorum voluntates circa enumeratas Miſſarum inſtitutiones.*

Tertium ſubſequitur quæſitum, in quo quærebatur, ut Archiepiſcopus ſingillatim referret tam de unoquoque onere, quàm de fructibus pro implemento uniuſcujuſque oneris, ſeu Cappellaniæ ſpecificè aſſignatis. Huic petitioni reſpondet Archiepiſcopus = *Onera itaque Miſſarum, ſeu Cappellaniarum ſunt ſequentia. Hieronymus Gemelli Oratoris Paternus Avus in ſuo Teſtamento die* 9. *Februarii* 1705. *duo inſtituit Legata pia, ſeu ſimplices Cappellanias, quibus onus adnexit duodecim Miſſas pro qualibet hebdomada celebrandi. Petrus Gemelli Oratoris Patruus die* 8. *Julii* 1743. *in ſuo Teſtamento aliam ſimplicem Cappellaniam erexit cum onere Miſſæ quotidianæ celebrationis. Dominicus Gemelli tandem Oratoris Pater ſub die* 16. *Julii ejuſdem anni* 1743. *tres ſimplices Cappellanias fundavit, quibus trium quotidianarum Miſſarum celebratio inhæret. Item Conſcientiam Oratoris oneravit decedens Pater eodem anno privato ſcripto pro celebratione alterius Miſſæ quotidianæ.*

Procedens Archiepiſcopus ad quantitatem reddituum aſſignatorum pro dictorum onerum implemento, ait = *Pro dote autem earumdem Cappellaniarum aſſignarunt dicti Teſtatores, ut ſequitur. Hieronymus Gemelli, qui ſupra Avus uni ex iſtis Cappellaniis ſtatuit dotem unciarum* 20. *ſuper Urbani Peculii augumentis, quæ ſemeſtre vulgo dicuntur, quoniam ſingulis menſibus ſolvuntur ab Illuſtriſſimo Senatu hujus Urbis, alteri Cenſum bullalem unciarum* 12. *deſignavit a Biſcomite Marullo, & Succeſſoribus annuatim ſolvendum. Patruus autem Oratoris Petrus Gemelli*

melli pro ejus instituta Cappellania uncias 16. *annuas voluit repetendas ex antedictis Peculii augumentis, seu Semestri. Dominicus Gemelli demum Oratoris Pater pro tribus erectis Cappellaniis uncias* 45. *annuas instituit solvendas ex dicto Semestri; Pro postrema autem Cappellania a dicto Dominico erecta in dicto ejus privato scripto uncias decem quotannis voluit applicandas super redditibus vulgo dictis Bimestre, quod binis vicibus quolibet anno solvuntur.*

Subindeque progreditur Archiepiscopus ad enumerationem reddituum Oratoris efformantium annuam summam unciarum 382., *quibus* (ut ipse refert) *si demantur unciæ* 103., *quæ annuatim solvuntur pro celebratione jam descriptarum Missarum supradictarum: Unciæ* 60. *annuæ pro Vitalitiis præstandis Sorori Moniali in Cœnobio Montis Virginum: Unciæ* 20. *quotannis solvendæ tribus Consobrinis etiam Monialibus: Unciæ* 12. *pro Censibus passivis: Et unciæ* 60. *assignatæ ejus filio Primogenito propter nuptias, gravamina erunt in unciis* 255., *restant igitur nitidè pro Patrimonio Oratoris unciæ* 127.

Suumque demum votum aperiens ita loquitur = *Erit ergo benignitatis EE. VV. quanto citius tanto ferendo oneri imparem Oratorem sublevare septem Missarum quotidianarum celebrationem ad unius tantum reducentes pro tempore dumtaxat* = & inferius = *dum brevi forsan Domum remeabunt tam* 80. *annuæ unciæ Fratribus a Patre relictæ cum regressu, quàm unciæ* 72. *vi Transactionis ab Oratore ipsis indulta, nec non vitalitiæ præstationes cessabunt unciarum* 60. *Sorori Monialium solvendarum, & unciarum* 20. *Consobrinis, & sic Patrimonium, quod hodie temporum injuria, ac præstationibus gravatum ad uncias solùm annuas* 127. *deductum est, ad uncias* 359. *perveniet, & tunc sine conditionis propriæ, & Famliiæ discrimine septem Missarum celebratio reassumetur.*

Recognitis autem Testamentorum particulis ab Archiepiscopo transmissis, ex eis patet, assignatos redditus, indictaque Missarum onera eademmet esse, quæ in ejus supradicta Informatione retulit idem Archiepiscopus: Addendum tamen est, Testatores declarasse instituendi Cappellanias, si ve Legata Pia simplicia, mereque Laicalia, nec pro eis ullam designarunt Ecclesiam, vel Altare, in quo essent Missæ celebrandæ, imò verbis expressis voluerunt, illarum celebrationem fieri debere in Ecclesiis futuris omnibus Cappellanis magis benevisis, excepto Testatore Dominico Gemelli Oratoris Patre, qui dum-

ta-

taxat exoptavit, ut Missarum celebratio fieret in quocumque Altari Privilegiato.

His itaque perpensis, placeat EE. VV. ea, qua pollent, sapientia decernere.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

EUGUBINA SUBSIDII DOTALIS. In ultimo, cum quo de anno 1719. decessit Testamento pia Mulier Comitissa Maria Bruni Almerici ex Civitate Pergulæ Eugubinæ Diæcesis, voluit, quod ex redditibus suæ hæreditatis quotannis deponerentur scuta centum; ad effectum eorum medietatem octennio quolibet erogandi = *per Dote spirituala di uaa Zitella delle Famiglie più Civili, e Nobili della Pergola da Monacarsi ad elezzione dell' infrascritto Erede, e suoi Eredi, e Successori*; alteramque illorum medietatem investiendi usque ad sortem scutorum 6000. monetæ Ducatus Urbini, ejusque fructus pariter erogandi in dotandis Puellis ad nominationem, & modis supra recensitis.

Hæreditas Mariæ Testatricis devenit in Marchionem Horatium Latoni Pergulensem illius Pronepotem, ad quem unice pertinet jus conferendi prædicta Subsidia Dotalia. Is enim eorum unum scutorum 400. nominavit Mariam Clementinam Latoni ejus filiam, quæ Religiosum habitum cupit assumere in Conservatorio Oblatarum S. Ursulæ ejusdem Civitatis Pergulæ. Ut autem Maria Clementina hoc nominationis beneficio frui rite possit in antedicto Oblatarum Conservatorio, preces porrexit huic Sacræ Congregationi pro facultate consequendi Dotem, ad quam nominata fuerat, ad effectum ex dictis sc. 400. erogandi scuta 333. 33. $\frac{1}{2}$ in suam Dotem Conservatorio tradendam, reliqua verò scuta 63. 33. $\frac{1}{2}$ pro expensis in Religiosi habitus assumptione necessariis, etiamsi non profiteatur in Monasterio strictioris observantiæ.

Audito Episcopo, ut moris est, ejus votum exprimit Oratricis petitioni conforme. At relatis precibus inter Summaria Precum in Congregatione diei 23. Novembris 1779, placuit EE. VV. illas reiicere edito Rescripto = *Lectum*.

Eamdem ipsam modo renovat instantiam Maria Clementina, contenditore, ipsam tamquam possentem omnibus re-

requisitis a Testatrice præscriptis assequi debere dotale subsidium, de quo agitur, quia ipsa nobilis est, nec non orta in Civitate Pergulæ, ac dotem postulat pro spirituali Conjugio. Non enim Testatrix Monasterium designavit, nec illius qualitates, vel observantiam expressit, sed unicè voluit, quod Dos esset spiritualis, quodque nominata deberet ea uti = *per monacarsi* = cujus voluntas impleta videtur, tam si Puella profiteatur in Monasterio strictioris Observantiæ, quàm si Monasticum habitum sumat in Conservatorio *S.* Ursulæ, ubi Moniales sunt, vitamque degunt Monasticam ad instar aliorum Monasteriorum.

Addit insuper, Conservatorium S.Ursulæ potiri beneficio Brevis sa. mem. Pauli III., in quo mandatum fuit, quod Virgines in illud Conservatorium ingredientes *quæcumque Legata, relicta &c. sub conditione, quod aliquod Monasterium Monialium ingrediantur, seu Religionem profiteantur, etiam sub pæna caducitatis, Confraternitatem ipsam ingrediendo consequi, & habere valeant, & per ingressum Confraternitatis prædictæ Testatorum voluntatibus quoad hoc satisfeciisse censeantur in omnibus & per omnia, perindè ac si Monasterium ingressæ, seu Religionem professæ fuissent.*

Pariterque refert exempla aliarum extranearum Puellarum, quæ nominatæ ad subsidium dotalæ Comitissæ Mariæ BruniAlmerici scutorum 400.religiosum habitum sumpserunt in dicto Conservatorio S. Ursulæ, & ex benignitate hujus Sacræ Congregationis facultatem obtinuerunt illud assequendi, concluditque, quod si hæc potestas concessa fuit Puellis extraneis, a fortioti concedenda videtur Oratrici, quæ à Testatrice descendit, & est in quarto gradu cum eadem Testatrice conjuncta.

Vera sunt allata exempla, quoniam hoc indultum concessum Constantiæ Mochi *sub die* 17. *Junii anni* 1747. est *in lib.*97. *Decret. pag.* 261. Illud Mariæ Fælicis Evangelisti *sub die* 19. *Januarii* 1754. est *in lib.* 104. *Decret. pag.*20. Illud Catharinæ Monaci *sub die* 27. *Januarii* 1761. est *in lib. III. Decret. pag.* 28. Ac demum illud Theresiæ Ferranti inter Summaria Precum *die* 9. *Febr.* 1765. est *in lib. Decret.* 115. *pag*, 44. Quocirca ex juribus circumferendis dignaquntur EE. VV. decernere.

An Oratricis precibus sit annuendam in casu &c.

Die Sabbathi 24. Januarii 1778. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione habita *die* 10. *currentis menſis* tres tantùm ob temporis anguſtiam propoſitæ non fuerunt Cauſæ, quæ priori loco ſubjiciuntur, & quæ definitionem expectant in hodierna Congregatione. Rogantur itaque EE. VV., ut *Folium dictæ Congregationis reſumant*, & Dubia earumdem Cauſarum expediant,

Seſſ. 25. cap. 9. de Reform.

URBANIEN. CANONICATUS, cujus duo ſunt Capita:

I. *An ſit locus ſanationi, itaut Sacerdos Franciſcus Biſcioni ſit præſentandus, & inſtituendus ad Canonicatum, de quo agitur, in caſu &c.* = & quatenus negativè

II. *An ſit danda inſtitutio ad eumdem Canonicatum Sacerdoti Antonio Ghighi in caſu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Affirmativè.

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

MESSANEN. REDUCTIONIS MISSARUM, in qua quæritur:

An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.

Quoad Legatum Petri Gemelli Negativè, & amplius; quò verò ad alia pro gratia reductionis ad celebrationem unius Miſſæ quotidianæ pro Hieronymo, & Dominico Gemelli cum obligatione tamen celebrandi alias Miſſas ad manualem proportionabiliter ad ratam aſſignamentorum vitalitiorum, quæ ad Oratorem, & ejus Filios revertentur,

EU-

EUGUBINA SUBSIDII DOTALIS, cujus dubium eſt; *An Oratricis precibus ſit annuendum in caſu &c.* *Seſſ.22. cap.8. de Reform.*

Affirmativè.

MASSANEN. MATRIMONII. Antonius Caſabianchi, & Catharina Cipolli ex Oppido Caſtaneti Maſſanenſis Diæceſis ſub die 25. *Januarii* 1770. ſervatis ſervandis à Sacro Concilio Tridentino præſcriptis per verba de præſenti Matrimonium in faciem Eccleſiæ contraxerunt. Die verò 27. menſis Auguſti ejuſdem anni iidem Conjuges comparuerunt in Curia Eccleſiaſtica Maſſæ poſtulantes Matrimonii diſſolutionem ex capite impotentiæ Catharinæ, & ad eam probandam produxerunt etiam depoſitionem Antonii Marchi Chirurgi, qui extrajudicialiter facta corporis dictæ Catharinæ recognitione, teſtatus fuit, ipſam eſſe ad conſumationem, & generationem penitus impotentem. Hanc depoſitionem, recognito prius de mandato Judicis ejuſdem Catharinæ corpore, confirmarunt, approbaruntque Laurentius Faluſi Medicus, & Franciſcus Mangheſi Chirurgus, Conjugibuſque formiter examinatis, unanimiter faſſi fuerunt, quòd una caro ipſos inter nunquam fieri potuiſſet propter peſſimam conformationem, & extraordinariam arctitudinem pudendarum partium antedictæ Catharinæ, quæ iterum examinata formiter in Oppido Caſtaneti ratam habuit impotentiam ſuam, addita cauſa, illam proceſſiſſe=*e procede da una cattiva ſtruttura delle mie oſſa, perchè eſſendo ſtata ſtroppiata da piccola, ed avendone uno ſlogato, queſto ſi è fiſſato nelle parti* = ad conſumationem deſtinatis. *Seſſ.24. cap.1 de Reform.Matrim.*

A prædicta Eccleſiaſtica Curia Maſſæ deputatus fuit Matrimonii Defenſor, qui pro formali examine Medici Faluſi, & Chirurgi Mangheſi plura uſque ad decimumquintum Interrogatoria produxit, iiſque formali examine ſeparatè ſubjectis, unanimi voto concluſum voluerunt, Catharinam eſſe prorſus ad conſumationem inhabilem, ejuſque impotentiam perpetuam eſſe, inſuperabilem, nulliſque mediis, nec etiam per inciſionem partis vincendam.

dam. Hinc ſub die 4. menſis Novembris anni 1771. lata fuit in Curia Eccleſiaſtica Maſſæ ſententia declarans, nullum, & irritum eſſe Matrimonium inter dictos Conjuges celebratum. Antonium verò liberum eſſe pro alio contrahendo Matrimonio cum alia ſibi beneviſa Muliere, ſecus autem quoad Catharinam, attento ejus impedimento. Interpoſita appellatione, Cauſa conſcendit ad Archiepiſcopum Senarum Metropolitanum, qui ſub die 14. Januarii 1773. lata ſententia priorem Curiæ Eccleſiaſticæ Maſſæ in omnibus confirmavit, vi cujus Antonius ad ſecundas convolavit nuptias cum Barbara Cecchini, ex qua plures filios ſuſcepit.

Die 16. Maji anni 1776. iterum in Eccleſiaſtica Curia Maſſæ comparuit Catharina Cipolli, narravitque, ipſam poſt diſſolutum Matrimonium cum Caſabianchi peperiſſe filium, ideoque petiit declarari ceſſatum eſſe ſuum impedimentum, ſuamque generandi impotentiam. Mandatum enim fuit, ut ſuper expoſitis Catharina formiter eſſet audienda, eaque formali examini ſubjecta, conſtantiſſimè tum in hoc, tum in omnibus poſterioribus ſuis Conſtitutis confirmavit, Matrimonium cum Caſabianchi numquam conſumatum fuiſſe propter ſuum naturale, quod tunc habebat, impedimentum, (quod etiam confirmavit idem Caſabianchi noviter, formiterque examinatus), retulitque pariter eadem Catharina, ipſam nunc eſſe potentem tamquam compreſſam ab homine, & prægnantem effectam cum partu filii maſculi ſub die 2. Novembris 1775., cujus Auctoris nomen juſtis (ut ipſa inquit), de cauſis reticuit, affirmavit tamen in omnibus ejus Conſtitutis Auctorem paſſi ſtupri, & prægnantiæ Caſablancum numquam fuiſſe.

Formiter iterum, & ſeparatim auditis Medico Faluſi, & Chirurgo Manghefi, ii confirmarunt perpetuam Catharinæ impotentiam, ſuper qua, recognito illius corpore, depoſuerant, dixeruntque, Catharinam non aliter idoneam evenire potuiſſe, niſi opera alicujus Chirurgi, vel ope extraordinarii inſtrumenti, atrocibus paſſis doloribus. Id, quod negavit Catharina in ejus poſteriori Conſtituto, faſſaque fuit, eam intra unius anni ſpatium idoneam effectam eſſe ſpas modicis, acerbiſque doloribus ope digitorum ſuæ manus, ac ope carnalis commercii cum ſex hominibus florentis ætatis habiti, à quorum ultimo paſſa fuit defloration em. Tandemque demandata iterum Catharinæ corporis recognitione ab iiſdem Peri-

ritis facienda, retulerunt, quòd = *la detta Cipolli nello ſtato preſente, in cui ſi trova, la giudico atta attiſſima al Matrimonio, mentre rimoſſe quelle potiſſime cagioni, che ſervivano d'impedimento . . . . . ne reſta ora facile facilisſimo il concubito con qualunque idonea Perſona.*

Hæc omnia relata fuerunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ut decerneret, quid eſſet agendum in hac re graviſſimi momenti, cujus definitio cum *à Sanctitate Sua* fuerit huic Sacræ Congregationi remiſſa, requiſiti de more fuerunt pro Informatione, & Voto tum Senarum Archiepiſcopus, tum Epiſcopus Maſſæ. Refert Archiepiſcopus, claudicare ſententiam ſuper diſſolutione dicti Matrimonii: *primo*, quia latæ ſententiæ fundatæ fuerunt in perpetuo impedimento Mulieris, quod eventus unicè temporale demonſtravit; *ſecundo*, quia ſervatum non fuit triennale tempus à Sacris Canonibus præſcriptum; & *tertio* demum, quia judiciales Periti licet conformes in aſſerenda incapacitate Mulieris, diſcreparunt tamen in aſſignanda illius impotentiæ cauſa, nàm eorum unus *Cartilaginis* cauſam aſſignavit, alter verò cujuſdam *Oſſis* extra naturalem ſitum exiſtentis. Aſt ad evitanda ſcandala, ut ipſe ſubdit = *ego ipſe propoſui, ut auctoritate Apoſtolica diſpenſaretur Matrimonium ratum inter Conjuges; & ſic Cipolli alium Virum duceret, & Caſabianchi per novum conſenſum rurſum Matrimonium contraheret cum Barbara Cecchini, & ſic omnia componerentur* = Animadvertit tamen his verbis= *Unica difficultas poſterius mihi orta eſt, quia tum Mulier, tum Vir in eorum poſteriori Conſtituto faſſi ſunt, quòd pro una vice poſt recognitionem Mulieris factam à Peritis conati ſunt copulam conſumare, & licet conſtantiſſimè affirment, nec tunc conſumaſſe, non adeo certum remanet, Matrimonium conſumatum non fuiſſe.*

At verò Epiſcopus Maſſæ contradicens Voto Archiepiſcopi Senarum, ſuſtinet, præfatum Matrimonium validè diſſolutum fuiſſe propter arctitudinem partium genitalium Mulieris, quoties illa erat nullis ordinariis mediis ſuperanda, ac quoties, ut idem Epiſcopus advertit = *Mulier declaravit, ſeſe ſubjicere nolle operationi, & inciſioni* =; additque, non eſſe præſumendam conſummationem ex ultimo congreſſu inter Conjuges habito poſt recognitionem Mulieris factam à Peritis, quia = *fatentur*

tur tam Mulier, quàm Vir, in ultimo congreſſu, qui fuit poſt unum menſem à tempore eorum mutuæ comparitionis in Curia, multo ante ſententiam Maſſanam, & Senarum, nullo modo potuiſſe Matrimonium conſumare, & obſeratum clauſtrum frangere, ac diſrumpere =, ac etiam quia non eſt præſumenda hæc Fæmina adeo fatua, ac demens, ut = *ſibi imponere voluerit perpetuum dedecus, & ignominiam, niſi revera ex concubitu ſeptem Virorum fœtum concepiſſet* = concluditque demum = *Vèrum, ut pro mea obſervantia Metropolitano meo Archiepiſcopo Senenſi morem geram, ejus ſententiæ aſſentiar, verſarì ſcilicet in caſu Matrimonii rati inter præfatos Antonium Caſabianchi, & Catharinam Cipolli, ideoque opportunum remedium ab EE. Veſtris enixe poſtulo, in hoc ſane difficili negotio variis, & non prævidendis undequaque periculis, & perturbationibus pleno &c.: Idcirco perquodcumque Divinum, ſanctum, & religioſum Eminentias Veſtras, Pietatemque Apoſtolicam oro, obteſtorque, ut Oratores ſuper Matrimonio rato, ſi tamen interceſſit, diſpenſare nulla alia interpoſita mora, animumque meum à diuturno, gravi, acerboque mœrore liberare dignemini.*

Tria ſunt hujus qnæſtionis capita, quæ definienda propo. nuntur, & quæ in calce recenſentur. *Defenſor Matrimonii* contendit in ſuo libello circumferendo, validum fuiſſe, injuſteque diſſolutum Matrimonium celebratum inter Antonium Caſabianchi, & Catharinam Cipolli, illudque propterea eſſe reintegrandum, reſtituendamque Catharinam Antonio Viro ſuo, nec eſſe locum petitæ diſpenſationi ſuper Matrimonio rato, & non conſumato, nec licere Catharinæ aliud cum alio Viro Matrimonium contrahere. Ab Antonio, & à Catharina nihil habuimus, & nihil ab ipſis ſperari poteſt, quia iidem propriam reſpective defenſionem, attenta eorum extrema, qua laborant, paupertate, parare non poſſunt.

Videtur enim, inſtaurandum eſſe primum Matrimonium, & Antonium redire debere ad Catharinam primam Conjugem, aut quia Matrimonium inter eoſdem contractum diſſolutum fuit per Curiam Eccleſiaſticam Maſſanenſem ex falſa cauſa, nimirum ex impotentia naturali, & perpetua Catharinæ, quæ juxtà antiquiores Theologos non eſt impedimentum dirimens Matrimonium, uti docet *Divus Thomas in 4. ſentent. diſtinct. 34. quæſt. 1. artic. 2.*

ad

ad 5. Ibi = *Non potest esse perpetuum impedimentum naturale in Viro respectu alterius, sed si non possit implere carnalem actum cum Virgine, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere, & ei conjungi, nec esset hoc contra Matrimonium, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.*

Aut quia, procedendo etiam cum communiori Recentiorum opinione, qui asserunt, dari impotentiam naturalem perpetuam, eamque constituere impedimentum impediens, & dirimens Matrimonium, cum sententia Curiæ Massanensis subinde confirmata à Metropolitana Senarum huic impotentiæ fuerit innixa; cumque hoc fundamentum modò cessaverit, uti nedum ex judicialium Peritorum attestationibus, sed ex carnali commercio detestabiliter, ac turpiter habito per Catharinam cum alio Viro desumitur, hinc vindicare locum sibi posse videtur Juris propositio, quòd soluto per Judicis Ecclesiastici sententiam Matrimonio propter impotentiam, si Conjux ille, qui judicatus fuit impotens, ex post facto potens deprehendatur, primum Matrimonium est reintegrandum, veluti sancivit *Textus in cap. Laudabilem, & in cap. Fraternitatis de Frigid.*; & *Malefic.*, & *Can. Requisisti* 33. *quæst.* 1.

Quæ Juris Canonici dispositio procedit, etiamsi in sequelam Sententiæ dissolutionis primi Matrimonii alter ex Conjugibus, qui non erat impotens, aliud Matrimonium contraxerit, quemadmodum evenit in subjecta Facti specie, in qua Antonius aliam duxit Uxorem adhuc viventem, prout ad rem docet *Divus Thomas in cit.* 4. *Sent. dist.* 34. *quæst.* 1. *art.* 2. ibi = *Unde si Ecclesia se deceptam inveniat, per hoc, quòd ille, in quo erat impedimentum, invenitur, carnalem copulam cum eadem, vel cum alia perfeciisse, reintegrat præcedens Matrimonium, & dirimit secundum, quamvis de ejus licentia factum* = : Cum autem *D. Thomas* loquatur in terminis Matrimonii dissoluti per Sententiam Ecclesiæ post experimentum triennale præscriptum *in Cap. laudabilem de frigid.*, & *maleficiatis*, à fortiori *Divi Thomæ* doctrina erit in hac hypothesi retinenda, in qua utraque Curia, Massanensis scilicet, & Senensis Sententiam protulit super Matrimonii dissolutione, nequaquam decreta triennali cohabitatione, quæ juxta veriorem Sententiam necessaria est, etiamsi Conjuges fateantur, Matrimonium non fuisse consumatum.

E'con-

E' contra verò videtur, quòd non ſit reintegrandum Matrimonium inter Antonium, & Catharinam. Fuit enim hoc Matrimonium diſſolutum per ſententiam Eccleſiæ ſervatis ſervandis prolatam juxta notiſſimam Conſtitutionem ſan. mem. Benedicti XIV.. Non enim ex quo Catharina rem habuit cum alio Viro, dici debet Matrimonium nulliter diſſolutum fuiſſe. Diſſolutio namque iſtius Matrimonii proceſſit, aut ex impotentia reſpectiva naturali ſi non quoad ſpeciem, ſaltem quoad individuum, aut ex impedimento perpetuo reſpectu Catharinæ ex infirmitate, vel vitio, vel maleficio, cujus inſubſtantia meminerunt Periti judicialiter conſulti, in qua facti ſpecie non reintegratur primum Matrimonium, quamvis impotens Conjux poſtea potens efficiatur, quemadmodum in terminis impotentiæ naturalis reſpectivæ quoad individuum probat *Textus in Cap. Fraternitatis de Frigid., & Malefic.*, ibique *Gloſſ. ſub verb. ſimili* ibi = *Si prior Vir non poſſit eam cognoſcere ſine gravi periculo, quòd non ſit reddenda primo Viro, licet ex poſt facto per conſuetudinem ſecundi Viri reddita ſit apta priori, quod bene poteſt concedi, quia non fuit Matrimonium inter eos* =

Et in terminis impotentiæ, ſeu impedimenti perpetui ex infirmitate, vel ex vitio, vel ex maleficio probat alter *Textus in Can. Si per Sortiarias* 33., *quæſt.* 1. ibi = *Quòd ſi forte ſanare non potuerint, ſeparari valebunt: ſed poſtquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiamſi poſſibilitas concubendi eis reddita fuit, reconciliari nequibunt. Sed in hoc videtur contrarius præmiſſo Capitulo Gregorius Papa; ibi enim poſt poſſibilitatem redditam jubetur ſeparari ab eo, cui ſecundo nupſerat, & redire ad primum; hic autem vivente eo, cui ſecundo copulata fuerat, primo reconciliari non poterit* = ibique *Gloſſa*, in qua dicitur, præmiſſum Capitulum Gregorii Papæ in *Can. Requiſiſti* ſuperius citato, non obſtare præſenti *Can. Si per Sortiarias* = *quia* (ſunt verba Gloſſæ] *ibi loquitur in Frigido, hic in Maleficiato*.

Nec quidquam facit, quòd Matrimonium fuerit diſſolutum abſque prævio triennali experimento; quoniam conſtito de perpetuæ impotentiæ certitudine conteſtata judicio Peritorum, quibus in ſubjecta materia Sacri Canones utuntur, & in ſpecie *Cap. Ex Litteris* 3., ibique *Gloſſa de Frigid., & Maleficiat.*, diſſolvendum eſſe Ma-

tri-

trimonium abſque ulteriori cohabitatione decrevit hæc Sacra Congregatio in Cauſa *Januen.* inter Leonardum Cattaneum Grillum, & Hieronymam Serram agitata *die* 13. *Martii*, & 8. *Maii* 1706., & 12. *Februarii*, & 9. *Aprilis* 1707., *ut in lib.* 56. *Decret. pag.* 78., & *pag.* 149., & *lib.* 57. *pag.* 44., & 124.

Quoties autem cenſendum eſſet, Matrimonium initum Antonium inter, & Catharinam ſubſiſtere, ponderandum eſt, utrum expediat, Antonium reconciliari cum Catharina, ſeu potius videatur concedi poſtulatam diſpenſationem ſuper Matrimonio rato, & non conſumato, ut Antonius in ſecundo maneat Matrimonio, Catharina verò alium Virum ducat, quoniam ab electis Peritis modò potens recognita fuit. Quòd autem Matrimonium inter ipſos conſumatum non fuerit ante recognitionem Corporis Catharinæ, probatur ex relatione Peritorum deponentium, Catharinam adhuc eſſe Virginem, & ad Matrimonii conſumationem propter ejus arctitudinem penitus impotentem. Rursùs quòd Matrimonium non fuerit conſumatum in ultimo Congreſſu inter Conjuges habito poſt dictam Corporis Catharinæ recognitionem, de quo meminit Archiepiſcopus Senarum in ſua Informatione, ac ante prolationem Sententiarum ſuadere videtur inuſitata, extraordinaria, & damnata methodus à Catharina ſervata poſt latas Sententias, ut ſe Viro redderet idoneam, unà cum partu ſequuto biennio poſt diſſolutum Matrimonium. Ac demum quòd Antonius Auctor non fuerit Stupri Catharinæ, ipſa met jura mento affirmavit in duplici ejus Conſtituto.

Itemque infamiam ſecundæ Uxoris Antonii, illegitimitatem Prolis ex ſecundo Matrimonio ſuſceptæ, contrarietatem animi ejuſdem Antonii habendi Uxorem Catharinam a ſex Viris compreſſam, a quorum ultimo defloratа fuit cum ſubſequuta prægnantia, nec non odia, rixas, & inimicitias veriſimiliter orituras inter reſpective Conſanguineos præſertim in parvo Oppido cum publicæ tranquillitatis perturbatione, tandemque ſcandala, ac innumera peccata, quæ inde ſequerentur, juſtam, & rationabilem eſſe cauſam diſpenſandi ſuper primo Matrimonio tantùm rato, probat in ſpecie *De Juſtis de diſpenſat. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 31. & *ſeqq.*, ubi teſtatur, ita fuiſſe diſpenſatum in ſimili caſu occulto per Sacram Pœnitentiariam, & concordant *Pacin. de Viſit. part.* 1. *quæſt.* 9. *num.* 31., *Boer. conſ.* 20. *num.* 4., *Layman.*

Theolog. Moral. lib. 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. , *Dian. tom.* 3. *tract.* 1. *de poteſt. Pont. reſol.* 94. *n.* 11. , & *Card. de Luc. de Matrim. diſc.* 7. *n.* 7.

Simillimus caſus fuit in hac Sacra Congregatione diſcuſſus *die* 16. *Maii* 1711. in Cauſa *Oriolen. Diſpenſationis*. Fuerat enim diſſolutum Matrimonium propter perpetuum impedimentum arctitudinis Fæminæ. Cumque Vir aliud Matrimonium contraxiſſet, pluresque anni elapſi eſſent, Fæmina, quæ fuit arcta reputata, fuit ab alio compreſſa, exortaque quæſtione ſuper inſtauratione primi Matrimonii, ad amputandas quaſcumque controverſias, tam Fæmina, quæ propter arctitudinem fuerat a Viro ſeparata, quàm Vir, qui, diſſoluto Matrimonio, aliam duxerat in Uxorem, opportunum exiſtimarunt Sanctiſſimo ſupplicare pro diſſolutione primi Matrimonii rati, & non conſumati, quæ ipſis conceſſa fuit, ut *in lib. Decret.* 61. *pag.* 231. , & 236.

Pluries etiam hæc Sacra Congregatio tùm ſupradictis, tùm aliis juſtis concurrentibus cauſis, definivit, locum eſſe diſpenſationi ſuper Matrimonio rato, & non conſumato, ut *in Januen.* 20. *Maii*, & 9. *Septembris* 1719., & 27. *Januarii* 1720., *in Urbanien.* 12. *Januarii* 1726., *in Chien.* 12. *Martii* 1729., *in Mediolanen. Matrimonii quoad II. Dubium* 24. *Maij* 1732., nec inquirendum eſt, an uterque Conjux diſpenſationi aſſentiatur, vel eorum aliquis reluctet, cum Pontificia Poteſtas nec pendeat, nec promanet à Privatorum placito, & conſenſu, ſed à Suprema Auctoritate, quæ Papæ tradita eſt *à DEO* pro regimine Eccleſiæ, pro majori Fidelium bono, & pro Animarum ſalute.

Hæc ſunt, quæ adnotanda mihi viſa fuerunt. Munus nunc erit EE. VV. ſapientiſſimè definire.

I. *An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.* = & quatenus negativè.

II. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione ſuper Matrimonio rato, & non conſumato in caſu &c.* = & quatenus affirmativè.

III. *An liceat Catharinæ Cipolli aliud contrahere Matrimonium in caſu &c.*

Ad 1., 2., & 3. negative,

MA-

MACERATEN. Sacerdos Franciſcus Angelucci Canonicus Theologus Cathedralis Eccleſiæ Maceratenſis cupiens exercere munus Vicarii Generalis, preces porrexit huic Sacræ Congregationi pro Indulto abeſſendi à Choro, & à reſidentia abſque neceſſitate ſuum dimittendi Canonicatum: Huic petitioni *ſub die* 23. *Martii* 1765. reſcriptum fuit = *Lectum* =: Canonicus autem *ſequenti menſe Aprilis* hoc non obſtante negativo Reſcripto, Chorum, Eccleſiamque deſeruit; à reſidentia diſceſſit, munuſque Vicarii Generalis Æſini Antiſtitis aſſumpſit. Elapſo triennio, novas Canonicus dedit preces Sacræ Congregationi, narravitque, ſe actu eſſe Vicarium Generalem Æſini Epiſcopi, proindèque poſtulavit diſpenſationem à reſidentia per Triennium, & iterùm *ſub die* 23. *Aprilis* 1768. fuit petitioni reſcriptum = *Lectum*. *Seſſ. 6. cap. 2. de Reform., & Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

Aliam Angeluccius cogitavit viam aſſequendi quod eidem ab hac Sacra Congregatione negatum fuerat. Preces itaque per organum Sacræ Congregationis Rituum exhibuit ſan. mem. Clementi XIII. exponens, ipſum virtute Litterarum remiſſorialium à dicta Sacra Congregatione Rituum relaxatarum ſub die 12. Julii 1766. pro conſtruendo Preceſſu Apoſtolico ſuper Virtutibus, & Miraculis *in ſpecie* Venerabilis Servi Dei Fratris Angeli Antonii Sandreani Minoris Conventualis ne perirent probationes, delegatum fuiſſe in Judicem enunciati Apoſtolici Proceſſus, petiit propterea Indultum vacandi à Reſidentia cum facultate percipiendi fructus ſui Canonicatus, nec non quotidianas diſtributiones, perindè ac ſi præſens eſſet horis Canonicis, votique compos effectus fuit *ſub die* 10. *Septembris* 1768. ſequenti Reſcripto = *Sanctiſſimus benignè annuit pro gratia, juxta petita, durante conſtructione Proceſſus*.

Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Maceratenſis in his precibus porrectis eidem Summo Pontifici narravit inſubſiſtentiam rationum, ex quibus Angeluccius antedictum Indultum obtinuerat, poſtulavitque, ut idem ad reſidendum ſimul, & ad intereſſendum Choro compelleretur. Ablegatiſque ſub die 21. *Decembris ſæpedicti anni* 1768. à Sanctiſſimo precibus huic Sacræ Congregationi, ut provideret prout de jure, datæ fuerunt Litteræ Maceratenſi Epiſcopo pro Informatione, & Voto auditis intereſſe habentibus, & præfixo termino. Aſt hæc omnia ſuſpenſa fuerunt, quoniam Angeluccius in

novis ejus precibus ſimiliter per organum Sacræ Rituum Congregationis exhibitis ſan. mem. Clementi XIV. petens executionem antedicti Indulti abſque ulla limitatione cauſa abſolvendi præfatum Apoſtolicum Proceſſum, ſequens *ſub die* 1. *Julii* 1769. reportavitReſcriptum = *Sanctiſſimus ex cauſis ſibi notis, & ex ſpeciali facultate benignè annuit precibus* = Verumtamèn edita Capitulari Reſolutione denegandi Angeluccio abſenti quotidianas diſtributiones,factum hinc eſt, quòd idem Angeluccius fretus geminis ſupradictis Pontificiis Indultis in ejus precibus porrectis *SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO feliciter Regnanti* poſtulavit deletionem præfatæCapitularis Reſolutionis, nec non reſtitutionem quotidianarum diſtributionum, quas Capitulum penès ſe retinuerat, ac demùm ipſius admiſſionem ad illas aſſequendas, ac ſi præſens eſſet inChoro uſque ad compilationem dictiApoſtolici Proceſſus.

Preces ablegatæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem. Uterque Epiſcopus Maceratenſis ſcilicèt, & Æſinus requiſitus fuit pro Informatione, & Voto. Maceratenſis Epiſcopus refert Canonicorum prætenſionem, Pontificia Indulta ab Angeluccio obtenta ſubreptionis vitio infecta eſſe, ideoque concludit, ipſos meritò urgere, = *ut eidem brevis præfigatur terminus ad reſidendum, & implendum munus ſuum, potiùs quàm idem frui debeat controverſis diſtributionibus, quouſque Proceſſus ſuper Virtutibus in ſpecie non compleatur* = ſubditque, quòd quatenùs = *Pontificia Reſcripta ſubreptionis vitio inſimulari non poſſint, neceſſarium exiſtimem, ut Gratia per Angelucci obtenta per iſtam Sacram Congregationem opportuna declaratione donetur ad effugienda ulteriora inter ipſum, & Capitulum diſſidia* =

Contrarium tamen ſuit votum Æſini Epiſcopi, qui poſt commendatam ſolertiam, & ſollicitudinem Angelucci in ſupradicto conficiendo Proceſſu, ſic ait = *Quapropter cum Capitulare Decretum Pontificiam lædat auctoritatem, maxima injuria Canonicum Angeluccium afficiat, eique non leve inferat damnum, in eam devenirem ſententiam, Decretum nempe illud à Capitularibus Libris delendum eſſe, quotidianas Diſtributiones uſque adhúc Canonico Angeluccio indebitè retentas integre reſtituendas, Reſcriptaque Pontificia ab ipſo Canonico obtenta religiose ſervanda.*

Maceratenſe Capitulum ſuſtinet, prorsus eſſe poſthabenda Indulta à Canonico Angeluccio obtenta. Nàm cum ipſe

pro

pro Indulto abeſſendi à Choro, & à Reſidentia recurſum ſemel habuerit ad hanc Sacram Congregationem bis ab ea reportato *negativo* Reſcripto, nequiverat idem Canonicus, hac declinata Sacra Congregatione, aliam Sacram Rituum Congregationem adire pro eadem obtinenda gratia, quam obtinuit, id expreſsè prohibente *Decreto* edito *à ſan. mem. Innocentio XII.*, & relato *in ejus parvo Bullario in ordine il* 59., in quo Pontifex mandavit, quòd = *Reſcripta, Decreta quæcumque, Indulta, Gratiæ. Litteræ &c. à ſecunda, ſeú altera Congregatione impetrata, vel impetranda &c. haberi debeant omninò pro ſubreptitiè extortis, nulliuſque penitús ſint roboris, vel momenti, nec ullatenús in Judicio, vel extra ſuffragari poſſint, & valeant, perindè ac ſi nunquam emanaſſent* = quod Decretum confirmatum ſubindè fuit *à ſan. mem. Clemente XIII. ſub die* 15. *Aprilis* 1768., & eidem etiam adhæſit *Rota in Valentina Indulti* 4. *Decembris* 1739. §. 8. *coram clar. mem. Cardinali Millino*.

Addit Capitulum, nullam mereri executionem obtenta Indulta tamquam vitio ſubreptionis, & obreptionis infecta ad tradita per *Rot. in Colonien. Rectoratus* 29. *Junii* 1757. §. 2. *coram clar. mem. Card. Buſſio*. Reticuit enim Canonicus in ſuis precibus, quòd gratia, quam per organum Sacræ Congregationis Rituum poſtulabat, ſemel, & bis ei fuerat negata ab hac Sacra Congregatione. Itemque reticuit, ſe eſſe in munere Vicarii Generalis Æſini Epiſcopi, contradicentibus hac Sacra Congregatione, Maceratenſi Epiſcopo, & Capitulo. Rursùs falsò narravit ſe fuiſſe delegatum = *in qualità di Giudice del Proceſſo Apoſtolico, che ſi ſtà attualmente coſtruendo ſulle Virtú, e Miracoli del Ven. Sandreani* =, quando Litteræ remiſſoriales Sacræ Rituum Congregationis directæ fuerunt Æſino Antiſtiti, ejuſque Vicario Generali, itaut delegatio adhæſiva cenſenda ſit ipſi met Officio Vicarii Generalis, non autem Perſonæ Canonici Angelucci, qui proindè nullam *ſpecialem, perſonalemque* delegationem oſtendere poteſt pro confectione Proceſſus, ut diſtinguendo docet *Gloſſa in cap.* 14. *de Offic. Judic. Delegat. litt. B.*, ibique *Barboſ. num.* 1., & 4.

Falsòque pariter expoſuit, ſe pro hoc ipſo exercendo munere Delegati Apoſtolici coactum præcisè fuiſſe = *per queſt' atto aſſentarſi dalla Reſidenza del Canonicato* = quotiès jam tertius tunc decurrebat annus, quo ipſe à Choro, ab Eccleſia, & à Reſidentia proprio marte di-

ver-

verterat. Quæ omnia ſi Canonicus Angelucci fidelitèr, ut par erat, Summo Pontifici expoſuiſſet, vel gratiam difficiliorem reddidiſſent, vel Pontificem ab illius conceſſione penitùs retraxiſſent ex traditis per *Rot.dec*,237. *num.*6. *coram Rezzonico*, & *in Majoricen. Præeminentiarum*, & *Funerum* 11. *Junii* 1756. §. 5. *coram Reverendiſſimo Olivatio*.

Quod tamen gravius videtur, ſeduloque ponderandum, illud eſt, quòd Litteræ remiſſoriales ne pereant probationes à Sacra Rituum Congregatione relaxatæ *ſub die* 12. *Julii* 1766., vi quarum Pontificia Indulta Canonicus obtinuit, reſpiciebant unicè confectionem Proceſſus ſuper Virtutibus, & Miraculis *in ſpecie* Ven. Sandreani. Habetur autem ex Epiſtola à Patre Urbano Philippo Majani ſcripta Patri Dominico Boni Poſtulatori *ſub datum diei* 8. *Junii* 1768. præfatum Proceſſum jam abſolutum fuiſſe, nec illum proſequi poſſe, niſi prius propoſitis, & abſolutis aliis Dubiis in Sacra Rituum Congregatione, eàque propter = *può ſtare per qualche meſe ſenza verun' penſiere con tutta quiete. aſpettando, che da Roma gli ſi traſmettano le lettere con l' iſtruzioni ai reſpettivi Veſcovi* = itemque = *torno a dire per qualche meſe dovrà ſtare in ozio* = mandavitque, Proceſſum = *lo laſci ſtare pure così chiuſo, come ſtà, ſenza darne verun' avviſo, aſpettando il ſuo tempo come ſopra accennato per continuare, e compire il ſudetto principale Proceſſo* =: Habetur ſimilitèr, Litteras remiſſoriales ſuper proſequutione dicti Proceſſus non priùs relaxatas fuiſſe, niſi *die* 1: *Martii ſuperioris anni* 1777.

Quamobrem cum dictus Proceſſus *ante diem* 8. *Junii* 1768. jam fuiſſet abſolutus, nulla, & irrita videntur Pontificia Indulta à Canonico obtenta *poſterioribus diebus* 10. *Septembris* 1768., & *prima Julii* 1769. ob cauſam conſtruendi Proceſſum, qui jam fuerat abſolutus, imò quod fortius urget ad ſuadendam Principis circumventionem. & Impetrantis dolum, dum non ſolum reticuit verum rei ſtatum, nimirum abſolutionem dicti Proceſſus *ne pereant probatones*, illiuſque clauſi conſervationem, ſed inſuper falſa expreſſione, quòd Proceſſus = *ſi ſtà attualmente coſtruendo* =, auſus fuit obtrudere intelligentiam veritati directè contrariam, ut in puncto ratiocinantur *Rota in Cæſenaten. Nullitatis Chirographi* 14. *Januarii* 1743. §. 8., & 14. *coram clar. mem. Card. Molino*, & *in Firmana Erectionis Collegiatæ* 31. *Januarii* 1755. §. 13. & 15. *coram Eodem*.

Quo

Quo posito, contendit Capitulum, compellendum esse Canonicum Angelucci ad residendum, & interessendum Choro, dum nullus Canonicus ab Ecclesia abesse potest pro exercendo munere Vicarii Generalis extra Diœcesim, prout definivit hæc Sacra Congregatio *die* 13. *Januarii* 1683. sub titul. *Dubia Residentiæ*, ut *in Lib. Decret.* 35. *pag.* 5. *à terg.*, eidemque Canonico, licèt considerandus esset pro vero Delegato Apostolico, nullas deberi quotidianas Distributiones, imò eas ab ipso receptas restituendas esse, quia à die compilati Processus, nimirum ab anno 1768. usque ad hodierna tempora, munus Delegati Apostolici non amplius exercuit, sed exercuit dumtaxat illud Vicarii Generalis in spretum Decretorum hujus Sacræ Congregationis, juxta sancita à Sacrosancta Tridentina Synodo *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.*

Causa proponitur - Jura à Capitulo circumferuntur. A Canonico nihil habuimus. Quatuor sunt Capita.

I. *An Indulta Pontificia obtenta per Canonicum Franciscum Angelucci sint sustinenda in casu &c.* =& quatenus affirmativè

II. *An, & quomodo sint observanda, & exequenda in casu &c.*

III. *An idem Canonicus Angelucci teneatur ad Residentiam, & interessentiam in casu &c.*

IV. *An participare debeat de Distributionibus quotidianis, aliisque Fallentiis, seu Punctaturis aliorum Canonicorum, & à quo tempore, ita ut sint eidem consignandæ Distributiones huc usque retentæ, seu potius per ipsum restituendæ jam perceptæ in casu &c.*

Dilata ad primam post Cineres omninò.

CHIO-

Sess. 25. cap. 19. de Regular.

CHIOVIEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Frater Vincentius Szenniowski Regularem Professionem emisit in Religione S. Dominici Ordinis Prædicatorum : Cumque Vincentius authumasset., nullam fuisse Professionem suam propter vim , & metum à Matre sibi illatum , supplicavit,Matre defuncta, SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM , ut eum admitteret ad probandam nullitatem suæ Professionis pro effectu assumendi statum Presbyteri Sæcularis . Preces ablegatæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem,à qua, ut moris est, datæ fuerunt litteræ Chiovensi Episcopo pro confectione Processus servatis , servandis , ad formam Constitutionis sa. me. Benedicti XIV. incipientis = *Si datam* =

Compilato Processu coram delegatis Judicibus Commissariis , quorum unus fuit Sacerdos Bernardus Michosteufchi Canonicus Cathedralis Scholarum Qytomivien Rector Palatinatus , alter verò fuit Pater Marcellus Kucharschi Ordinis Prædicatorum , Sacræ Theologiæ Lector , Novitiorum Magister , & actu Prioris locum tenens in Conventu Podlcumenuensi , iidem Judices unanimi voto lata Sententia declararunt = *Constare de sufficientii motivo , & ratione Professionem Religiosam toties dicti Vincenti Josephi Szeuniowiski irritante , eamdemque irritandam , & annullandam censuerunt &c., parique sua Sententia &c. eumdem Vincentium Josephum Szeuniowiski ad cohabitandum in aliquo Conventu Ordinis Prædicatorum , deportationemque Habitus Regularis ad finem Litis , seu verius ad resolutionem ejusdem Sacræ Congregationis Concilii sub pœnis &c. obligarunt .*

Transmisso Processu cum Sententia Judicum Commissariorum , nunc Causa proponitur . Sustinet enim Frater Vincentius , ipsum assumpsisse Religiosum Habitum , & Professionem in Religione emisisse sine animo , sine consensu , sine proposito , ac voluntate , sed sòlum ex vi, & metu à Parentibus suis , & signanter à Matre sibi illato , quo concurrente nulla , & irrita redditur Professio *Cap. Perlatum est 1. de iis , quæ vis , metusque causa fiunt, Cap. 1. de Regul. , & Fagnan. in Cap. Nullus 22. de Rest.*

Ex Testibus enim formiter examinatis , & ex toto Processus contextu probare contendit , Parentes injuriosis, & contumeliosis verbis ipsum affeciisse , graveſque minas, castigationes , & sævitias in ipsum adhibuisse ut Religiosus fieret Ordinis Prædicatorum , quas sævitias junctas

cum

cum metu reverentiali metum gravem cadentem in constantem Virum constituere docet *Monacel. in Form. tom.* 3. *tit.* 1. *adnot. ad formul.*36. *num.*18., *Donat. rer. Regul. tom.*2. *part.*2. *tract.* 3. *cap.*1. *num.*7., & id ipsum innixa auctoritate *Divi Thomæ in* 4. *Sentent. distinct.* 29. *part.*2. firmavit *Rot. coram Molin. decis.* 798. *num.* 55., eumdemque metum, illius durante causa, nimirum Parentibus, & præsertim adhuc Matre vivente, perseverare semper præsumi, quamvis in actu externo appareat, emissam liberè fuisse Professionem ex traditis *à Gloss. in cit. Cap. Perlatum est sub verb. non timore, Monacell. in Formul. part.*3. *tit.*1. *formul.*35. *num.*21., *Mascard. de probat. concl.* 1053. *num.* 36., *Matteucc. Offic. Cur. Eccl. cap.*41. *num.*15., *& Rot. cor. Carill. dec.* 178. *num.*8.

Vèrum Defensor Professionis excipit petitionem Fratris Vincentii non esse admittendam, eo morante extra Claustra Religionis, Habitu Religioso dimisso, contra Conciliarem sanctionem *sess.*25. *cap.*19. *de Regular.*, excipitque pariter, Testes examinatos fuisse sub interrogatoriis ab eodem Fratre Vincentio exhibitis, non audito, nec præsente Defensore Professionis, à quo erant exhibenda Interrogatoria, juxta Benedictinam Constitutionem §. *de probationibus verò*, *&* §. *Sub eadem pœna*.

Ulterius excipit, Fratrem Vincentium deficere in probationibus, quæ pro irritanda Professione debent esse perfectæ *Amaiden. de styl. Datar. lib.*1. *cap.* 12. *num.* 13. *Card. de Luc. de Regular. disc.*41. *num.*13., *& seqq.*, *& Rot. coram Molin. decis.*798. *num.*4., prout hujus generis non esse ait eas à Fratre Vincentio deductas, quoniam nullus ex Testibus deponit de vi, metuque, vel de querelis ejusdem Fratris Vincentii toto ipsius Probationis anno, & in actu Professionis, cujus tempus, non autem illud ingressus probandum est, quia voluntas, quæ prius erat meticulosa, immutari potuit tempore Professionis *Gemin. in Can. Quod interrogasti dist.* 27., *Sperell. decis.* 79. *num.* 56., *& Rot. coram Molin. decis.* 798. *num.* 36., *& seqq.*

Itemque animadvertit, nullum fuisse examinatum Religiosum, qui deponeret de animo, voluntate, & de moribus Fratris Vincentii tam Probationis, & Professionis tempore, quàm post eam emissam. Rursus animadvertit, probatum non esse tempus Ingressus in Religionem, tempus Probationis, tempus Professionis, ac denique

tempus obitus Matris, quæ omnia contendit esse necessariò scienda, ut ex eis conijci possit, qualis fuerit animus, qui fuerint mores Fratris Vinentii, & quantum temporis interceſſerit à die obitus Matris ad diem illius actæ reclamationis, ut evitetur etiam tacitæ Professionis ratihabitio. Et revera Sacra Congregatio in hisce casibus pluries, *dilata* Causæ resolutione, rescripsit, quòd *coadjuventur probationes*, ut præ cæteris videre est *in Neocastren. Restitutionis in integrum* 7. *Maii* 1718., *in Sagonen. Nullitatis Professionis* 4. *Februarii* 1719.: Item *in Giennen. Restitutionis in integrum* 20. *Januari* 1742. rescriptum fuit = *Dilata, & prævio reditu Oratoris ad Claustra, ac reassumptione Habitus suæ Religionis, conficiatur novus Processus, servatis servandis, & audito Superiori Locali* = *& in Corduben. Nullitatis Professionis* 19. *Septembris* 1761. fuit rescriptum = *Dilata, & examinentur Testes cum interrogatoriis, juxta instructionem.*

Alia habentur in Libellis tùm à Fratre Vincentio, tùm à Defensore Professionis circumferendis, à quibus repeti possunt. Dubium est

An sit concedenda Restitutio in integrum in casu &c.

Dilata, & circumscriptis omnibus gestis conficiatur novus Processus, juxta Instructionem.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

EGITANIEN. ONERIS MISSARUM. Monasterium, & Moniales S. Claræ Civitatis Egitanienſis anno 1647. Contractum celebrarunt cum Canonico Aloysio Barbosa, à quo recepta eleemosyna scutorum 500., quæ asseritur in Censu erogata fuisse, sese obligarunt, pro celebratione quatuor Missarum in qualibet hebdomada ad Altare, quod in Ecclesia dicti Monasterii propriis sumptibus construxerat idem Canonicus traditis etiam aliis scutis 50. pro perpetua ejusdem Altaris manutentione.

Anno 1650. simili stipulato Contractu, eædem Moniales receperunt ab eodem Canonico alia scuta 250. in Censum eroganda, obligatione per ipsas assumpta celebrationis aliarum trium Missarum in dicto Altari qualibet in hebdomada, necnon subministrandi Utensilia pro omnibus hebdomadalibus septem Missis in perpetuum celebrandis = *senza mancanza, e diminuzione alcuna, non*

ostan

oſtante che nell'avvenire ſi dia qualche perdita, o diminuzione nell'impiego, che dovrà farſi di detti ſcudi 250., *e dilazione nelle riſpoſte*.

Item anno 1653. alium Moniales egerunt Contractum ſub iiſdem oneribus, utenſilium ſcilicet, & perpetuæ obſervantiæ cum eodem Canonico Barboſa, & Petro de Pinna, a quibus acceptis ſcutis centum, in ſe ipſas aſſumpſerunt onus celebrare faciendi in eodem Sacello unam Miſſam in unoquoque die Sabbathi cujuſvis anni in expiationem Animæ Claræ Barboſæ, quæ Soror erat Canonici, & Uxor prædefuncta d. Petri.

Præter hæc individua onera, adnotatum etiam in Codicibus Monaſterii reperitur, quaſdam in eo educationis titulo præteritis temporibus fuiſſe Mulieres cognomine *Meſquitas*, quæ Monaſterio reliquerant nonnullas Manſiones intra illius Clauſtra exiſtentes, & per ipſas inhabitatas, indicto correſpectivo onere celebrationis totidem Miſſarum correſpondentium ad annua ſcuta octo.

Moniales, inſpecta exorbitantia prædictorum Onerum, quæ implere non poſſunt, attenta gravi ejuſdem Monaſterii paupertate: maxime quia non invenitur, in quos uſus acceptæ pecuniæ fuerint erogatæ; preces propterea dederunt, ut quoad onera celebrationis octo Miſſarum ſingulis in hebdomadis provenientia ex tribus prioribus Contractibus ad duas tàntum Miſſas reducantur, illa verò provenientia ex dictis Mulieribus *Meſquitas* ad unam, vel duas Miſſas anno quolibet moderentur.

Auditus Epiſcopus, quoad priora onera teſtatur, quòd = *De pecuniis in fundatione datis nan extat memoria, Oratrices verò in ſumma vivunt paupertate, & Monaſterii redditus ad Monialium alimenta minime ſufficiunt. Joſephus de Pinna de Carvalho hujns Civitatis, qui de Familia, & generatione Inſtitutorum eſt, ad effectum reductionis conſenſum præſtat* = ſuumquc votum aperuit his verbis= *Et ego non modò Oratrices hujus gratiæ dignas exiſtimo, ſed æquitati conſonum judico, quòd ab ipſis prorſus ſupradictum onus auferatur*.

Preces Monialium *ſub die* 18. *Maii* 1776. propoſitæ fuerunt inter ſummaria Precum, fuitque reſcriptum = *Ponatur in folio, & ad mentem, & mens eſt, ut ſcribatur Epiſcopo, qui referat de ſtatu, & redditibus præſentibus Monaſterii, & de fructibus, qui percipiuntur a Cenſibus traditis ab Aloyſio Barboſa, nec non, & de iis fructibus, qui percipiebantur de tempore, quo Cenſus tra-*

diti fuerunt, necnon de fructu, seu quantitate pensionis, quæ percipi posset, si locarentur, a Mansionibus traditis a Mesquitis.

His omnibus satisfecit Episcopus postrema sua relatione. Refert enim, Moniales, quæ juxta institutum Monasterii esse deberent quadraginta quatuor, nunc non excedere numerum triginta octo: Redditus verò Monasterii consistere in annuis scutis 839. 28., ex quibus esse delenda annua scuta 105. 60. pro pecunia fœnori acceptа, itaut redditus supersunt in scutis 733. 63. prorsus imparibus ad Monialium manutentionem, utcunque parce, & moderate vivant *Immo nisi a Propinquis, & piis Benefactoribus Monialium paupertas frequentibus levaretur eleemosynis, earum non paucæ fame perirent.*

Ad Census verò quod attinet, sic ait = *De Censibus traditis a Canonico Aloysio Barbosa, & Petro de Pinna non exiat memoria, nec scripta, nec traditione ullo modo potest in lucem proferri, quid de ipsis factum sit.* Putat tamen conjecturaliter, pecunias in Monasterii sumptus erogatas fuisse. Progrediturque ad taxationem fructuum traditarum pecuniarum, si extarent fœnori datæ, & refert scuta 800. donata a Canonico Barbosa tunc reddere posse annua scuta 48., nunc scuta 40. illa verò scuta centum tradita a Petro de Pinna reddere tunc scuta 6., nunc scuta 5.; Ast Mansiones Mulierum *Masquitas* tamquam intra Claustra Monasterii sitas nonnisi, quàm ad Monialium usum inservire, easque paucis ab hinc annis adeo fuisse deterioratas, ut earum usus, si locarentur, vix unum scutum valeret, nunc autem, illis melioratis, earum usum esse posse, demptis expensis, in scutis duobus cum juliis quatuor, illarum verò proprietatem donationis tempore forsan fuisse scutorum 200., quot Moniales nuper impenderant pro iis restaurandis, ne solo æquarent. Concluditque his verbis = *Quæ cum ita sint, & præcipue ob nimiam Monasterii indigentiam, æquitati consonum existimarem, Moniales deinceps ad memoratorum onerum satisfactionem non esse adigendas.*

Animadvertendum est, hic agi de Missarum onere per Contractum assumpto, quod juxta constantissimam hujus Sacræ Congregationis Sententiam nedum non deletur, sed nec etiam reducitur ex traditis per *Card. de Luc. disc. 33. Miscell. Eccles. num. 5., Pignatel. Consult. 69 num. 2. tom. 6.*, Sacra Congregatio *in Faventina Oneris Missarum 27. Februarii 1735., & in Faventina Reduc-*

tio-

tionis Miſſarum 18. *Novembris* 1747. Videndum tamen eſt, utrum Moniales, attenta earum paupertate, ne fame pereant, ut aſſerit Epiſcopus, abſolvendæ ſint ab aſſumptis oneribus, ut refert *Fagnan. in Cap. Odoardus de ſolut.*, ſeu potius onera tamquam gravia reducenda ſint, veluti Sacra Congregatio *pro reductione ad Manualem* Miſſarum, quarum onus per Contractum fuerat aſſumptum, definivit *in Fanen. Reductionis Miſſarum* 27. *Aprilis* 1720.

A Monialibus jura circumferuntur. Munus nunc erit EE. VV. definire.

An ſint delenda, ſeu potius reducenda onera Miſſarum, de quibus agitur, & quomodo in caſu &c.

Reliquæ non propoſitæ.

PRÆNESTINA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Alphunſus Federici Prænestinus anno 1694. ſuum ultimum condidit Teſtamentum, in quo mandavit erigendum eſſe Canonicatum in Eccleſia Cathedrali Prænestinæ Civitatis cum annuo redditu ſcutorum 80., illiuſque Canonicum hæredem ſuum univerſalem inſtituit; jus autem nominandi Canonicum pro medietate reliquit Aurelliæ Polidori ejus nepti, & Uxori Franciſci Gisleni, omnibuſque filiis ab eis deſcendentibus, & pro altera medietate reliquit Horatio Polidori Pronepoti ſuo, ejuſque filiis prius tamen maſculis, & ſubinde fœminis in infinitum. Juſſit, quòd = *il reſto della mia Eredità ſi debba poi aſſegnare, & eriggere il Fondo, che renda ſcudi quaranta annui, quali ſcudi quaranta voglio, ordino, e commando, che dal Canonico pro tempore ſi diano due Suſſidii Dotali à due Zitelle di venti ſcudi l'una, ed eſſendoci della Caſa biſognoſe, ſi diano ad eſſe, altrimenti à beneplacito del Canonico pro tempare.* *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Voluit inſuper, quòd ex aliis ſuperextantibus Bonis alterum conſtitueretur Capitale annui pariter redditus ſcutorum quadraginta ſimiliter erogandorum in diſtributione aliorum duorum ſubſidiorum dotalium ad nominationem Sodalitii *del Carmine* nuncupati ſupradictæ Civita-

tis

tis cum consensu tamen, scientia, & voto Canonici. Casu verò, quo Sodalitium nollet = *accettare il sudetto peso, in tal caso, voglio, che resti al Canonico pro tempore come sopra*.

Voluntas Testatoris supra relata in omnibus impleta fuit. Ast Sodalitium anno 1699. ex facultate sibi concessa ab hac Sacra Congregatione renunciavit juri nominandi Puellas, itaut per illius renunciationem nominatio aliarum duarum Puellarum ad Canonicum, ut Testator præscripserat, devoluta remanserit.

Nuper Ludovica, Maria Constantia, & Maria Rosa Sorores Gisleni Proneptes supradictæ Aureliæ Polidori, & extrema paupertate laborantes supplicem porrexerunt libellum SACRATISSIMO PRINCIPI, postulantes, ut eisdem applicarentur Subsidia Dotalia ex Legato Federici provenientia usque ad summam scutorum quatuor centum pro unaquaque earum. Huic petitioni consensum præstitit in scriptis Canonicus, cui incumbit onus nominandi, & dotandi Puellas.

Auditus Eminentissimus Prænestinus Antistes refert, has Dotes, attento reddituum decremento, vi Decreti in Sacra Visitatione facti ab Eminentissimo antecedenti Episcopo de anno 1755., redactas fuisse ad scuta quindecim pro qualibet Dote. Itemque refert, quòd Oratrices = *miserrimæ adeo ipsæ sunt, ut earum indigentia major vix exprimi possit, dignæ propterea videntur commiseratione Apostolica, & Gratiis EE, VV.*: Similiter refert = *Consanguinitatis, & paupertatis titulo plures ex linea Testatoris descendentes Mulieres Pontificium Indultum flagitarunt, fueruntque assequutæ super receptione Dotium prædictarum. Primò namque per Breve san. mem. Benedicti XIII. sub datum diei* 19. *Junii* 1726. *scuta sexcentum assignata fuere Annæ Appolloniæ, & Rosinæ Marchetti. Alterum Subsidium scutorum* 400. *à laudato Pontifice per Breve sub die* 6. *Martii* 1728. *concessum extitit favore Angelæ Mariæ Boldi. Fuerunt denique assignata scuta biscentum Puellæ Annæ Mariæ Borri, ac alia scuta quadringenta Margharitæ Gisleni Sorori utrinque conjunctæ cum Oratricibus vigore Brevis sa. me. Clementis XIV. expediti die* 26. *Septembris* 1769.

Animadvertit tamen, quòd = *Cum Testator prælationem Consanguineis dederit super duobus Subsidiis tàntum à Canonico distribuendis, non verò idem disposuerit in aliis Dotibus Societati Montis Carmeli relictis* = ideoque fuit

in

in Voto = *ut prædicta duo Subsidia, tantummodò Oratricibus assignentur usque ad summam scutorum* 150. *pro unaquaque ipsarum, lege tamen indicta, quòd annis singulis favore earumdem deponantur in Sacro Monte Pietatis Prænestino scuta triginta, ac reliquæ binæ Dotes indigentibus Puellis Civitatis conferantur omnino. Ita & Fundatoris menti, & utrarumque vocatarum inopiæ consultum esse opinarer.*

At verò animadvertendum est, quòd licèt Testator quoad binas Dotes conferendas ad nominationem Societatis Montis Carmeli nullam indixerit prolationem favore suarum Consanguinearum, voluit tamen, quod renunciante Societate, jus hoc nominandi, istud accresceret Canonico, qui relativè ad has etiam Dotes Puellas *ut supra* nominare deberet, uti prostant Testamenti verba ibi = *Non volendo la sudetta Compagnia accettare il sudetto peso, in tal caso voglio, che resti al Canonico pro tempore come sopra* = Quòd si Canonicus in binis suis nominandis Puellis nominare debet ex lege Testatoris Puellas Consanguineas, si adsunt, ita videtur, nominationem quoad etiam alias duas Dotes cum eadem Puellarum Consanguinearum prælatione per ipsum fieri debere in casu renunciationis à Societate factæ, expensa dictione, *ut supra*, quæ ad onus Canonico indictum referri videtur ex perpensis per *Rot. decis.* 406. *num.* 8., & 9. *part.* 14. *rec.*

Agitur enim de Puellis Oratricibus in maxima paupertate constitutis: Agitur de Puellis cum Testatore *in sexto gradu* sanguine conjunctis: De Puellis expressam prælationem habentibus in dotatione: ac demum de Puellis expressam prælationem habentibus in dotatione; Ac demum de Puellis per descendentalem lineam proneptibus Auroræ Polidori, cui Testator Juspatronatum reliquerat, & proindè Canonicatus Patronis. Quibus in terminis plurimum ad rem faciunt jura, & resolutiones hujus Sacræ Congregationis citatæ *in Firmana Subsidii Dotalis* relata *in folio postremæ Congregationis habitæ die* 10. *currentis mensis*, à quo repeti possunt.

Hisce perpensis, dignabuntur EE. VV. ea, qua solent, sapientia decernere.

An, & in qua summa sit locus præstationi Subsidiorum Dotalium in casu &c.

IMO-

Seſſ.22.cap.6. de Reform.

IMOLEN. REDUCTIONIS, AC SUSPENSIONIS ONERUM MISSARUM. In Altari S. Catharinæ Virginis, & Martyris ſito in Archipresbyterali Eccleſia S. Petronii Caſtri Bononienſis Imolen. Diæceſis anno 1633. Sacerdos Aloyſius Pantalupi condito Teſtamento Cappellaniam fundavit, pro cujus dote aſſignavit Domum ſuam à Cappellano pro tempore exiſtenti inhabitandam, nec non quinque Cenſus, quorum tamen duo in uſufructu reliquit Joanni Pantalupi, donec viveret, ac duas Terrarum petias, quorum Bonorum redditus, comprehenſis etiam Cenſibus in uſufructu relictis, t nc erant annuorum ſcutorum 70. circiter. Onus autem indixit Cappellano; quotannis recolendi Feſtum S. Catharinæ in dicto Altari, & die immediate ſequenti celebrandi Anniverſarium cum decem Miſſis lect.s in dicto die Feſto, totidemque in die Anniverſarii: Juſſit itidem, quòd Cappellanus in qualibet hebdomada cujuſvis menſis celebrare teneatur in dicto Altari duas Miſſas lectas, quouſque viveret Joannes Pantalupi uſufructuarius duorum Cenſuum Cappellaniæ aſſignatorum, eoque defuncto, Miſſarum numerus augeretur ad quinque Miſſas qualibet hebdomada. Mandavitque demum, quòd Cappellanus perpetuò conſervare, & manutenere deberet Paramenta, & Supellectilia Sacra tam pro uſu Altaris, quàm pro uſu Cappellani ab ipſo Teſtatore relicta. Et hæc onera Fundator expreſsè voluit, quòd ab ipſo met Cappellano, non autem per alium Sacerdotem implerentur, excepto caſu infirmitatis ad menſem tantùm duraturo.

Vacata Cappellania, de ea proviſus fuit Sacerdos Paulus Naldi, qui Cappellaniæ dotem tàm quoad capitalia, quàm quoad redditus ſummoperè imminutam invenit, quoniam comperiit deficere Terrarum petias, deperditoſque fuiſſe nonnullos Cenſus, illoſque exiſtentes non reddere, niſi annua ſcuta 27. 71., Domum verò minari ruinam, ita ut pro ea reſtauranda impenderit ſummam ſcutorum 81. 48., & alia ſcuta 50. ſuperſint adhuc neceſſariò impendenda pro illius ulteriori reparatione. Cum autem Cappellanus propter reddituum tenuitatem defeciſſet in Miſſarum celebratione, hinc Eminentiſſimus Epiſcopus in actu Sacræ Viſitationis eum condemnavit ad celebrandas Miſſas 1037. hebdomadales, relictis pro

nunc

nunc in ſuſpenſo aliis Miſſis 160. pro ſex Feſtivitatibus, & totidem Anniverſariis non celebratis per totum annum 1772., pro quibus eidem præfixit terminum trium menſium ad petendam illarum reductionem coram hac Sacra Congregatione.

Quamobrem Cappellanus, porrectis precibus huic Sacræ Congregationi, nedum poſtulavit Miſſarum reductionem, ſed etiam abſolutionem pro Miſſis hactenus non celebratis, quæ celebrandæ erant cum redditibus non exiſtentibus ſupra ſcuta 27. 71., nec non pro earum ſuſpenſione, donec ipſe reintegretur de expenſis factis, & faciendis pro nova conſtructione viæ ante Domum Cappellaniæ facta de mandato Superiorum, nec non pro ejuſdem Domus reſtauratione. Auditoque Eminentiſſimo Epiſcopo, votum ſuum petitioni contrarium aperuit, putavit tamen, liberandum eſſe Cappellanum ab onere celebrandi Miſſas per ſe ipſum, nec nou aliquam fieri opportere dictorum onerum diminutionem, cum reverà inficiari nequeat, quin annui redditus imminuti ſint ab antiquo eorum ſtatu, quoniam Cenſus antiquitus erant inveſtiti ad rationem ſcutorum octo, nunc ſunt ad ſcuta quinque pro quolibet centenario, & anno, nec non ſtante inexigibilitate duorum Cenſuum, quorum repetitio deſperata ferè eſt, attenta Debitorum decoctione.

Hoc non obſtante, Cappellanus ſua jura deducit, urgetque, reductionem Miſſarum in futurum fieri debere juxta præſentes redditus annuorum ſcutorum 27. 71., & quidem ad rationem eleemoſynæ perpetuæ juxta voluntatem Fundatoris, quam colligi poſſe contendit, ex quo Teſtator durante vita Joannis Pantalupi, cui fructus duorum Cenſuum dotalium Cappellaniæ reliquerat, mandavit, celebrandas eſſe duas tantùm Miſſas in qualibet hebdomada, quæ perſpectis reſidualibus redditibus, correſpondebant eleemoſynæ perpetuæ, ad cujus etiam rationem illas eſſe conſiderandas, modo, quo earum reductio fieri contingit ex perpenſis per *Paſqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæſt.* 1076. *ſub num.* 10.

Plura alia ſuper ſuis petitionibus deducit Cappellanus in ſuo libello de more circumferendo. Quatuor proponuntur Dubia ab EE. VV. definienda.

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni oneris Miſſarum in caſu &c.* = & quatenus affirmativè

II. *An, & quomodo quoad præteritum ſit providendum in eaſu &c*

III. *An sit locus suspensioni Missarum pro reintegratione expensarum factarum in refectione Viæ. ac reparatione Domus Cappellani in casu &c.*

IV. *An, & quomodo sit providendum pro aliis expensis necessariis pro totali reparatione ejusdem Domus in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 14. *Februarii* 1778. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

TRes, quæ ſubjcientur Cauſæ, quæque diſcuti non potuerunt in Congregatione habita *die* 24. *nuper elapſi menſis Januarii*, hoc *reſumpto Folio*, hodiernam definitionem expectant.

EGITANIEN. ONERIS MISSARUM, in qua reſpondendum eſt. *Seſſ.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

An ſint delenda, ſeu potius reducenda onera Miſſarum, de quibus agitur, & quomodo in caſu &c.

Pro reductione juxta mentem, quòd nempe celebrentur Miſſæ duæ qualibet hebdomada pro Legato Canonici Barboſæ, tres Miſſæ in quolibet anno pro Legato Petri Pinna, & Miſſa una pro Sororibus Meſquitis quolibet Anno.

PRÆNESTINA SUBSIDIORUM DOTALIUM, in qua diſputatur. *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

An, & in qua ſumma ſit locus præſtationi Subſidiorum Dotalium in caſu &c.

Affirmative pro ſumma ſcutorum centum quinquaginta pro qualibet ex Sororibus cumulative ex utroque Legato.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

IMOLEN. REDUCTIONIS, AC SUSPENSIONIS ONERUM MISSARUM, cujus quatuor ſunt Capita.

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni oneris Miſſarum in caſu &c.* = & quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo quoad præteritum ſit providendum in caſu &c.*

III. *An ſit locus ſuſpenſioni Miſſarum pro reintegratione expenſarum factarum in refectione Viæ, ac reparatione Domus Cappellani in caſu &c.*

V. *An, & quomodo ſit providendum pro aliis expenſis neceſſariis pro totali reparatione ejuſdem Domus in caſu &c.*

Ad I. Firma remanente celebratione Miſſarum in die feſto S. Catharinæ, & aliarum in die ſequenti ad formam Teſtamenti, in reliquis eſſe locum reductioni ad rationem manualis, demptis utenſilium expenſis, & oneribus; Ad II. ad D. Secretarium cum SSmo; Ad III., & IV. negative,

Seſſ. 24. cap. 14. de Reform.

LOEDIEN. Species hujus Cauſæ habetur *in Folio Congregationis* habitæ *die 2. Decembris* 1775., quod publici juris factum fuit in *Theſaur. Reſolut. Sac. Congregat. Vol. XLIV. pag.* 98., & à quo repeti poterit, Duo erant Controverſiæ Capita, quibus totidem Dubia reſpondebant, videlicet, I. *An Statutum, ſeu Decretum Capitulare diei* 21. *Januarii* 1628. *ſuſtineatur in caſu &c.*, II. *An Canonico Carolo Theodoro de Diffuit debeatur portio fructuum provenien. ex Vino Vinearum locatarum, ſeu, ut ajunt, Stutorum, & ex venditione Arborum, Lignorum, & Glandium pro duobus annis primæ reſidentiæ in caſu &c.* = Et quamvis *in ſequenti Congregatione diei* 20. *Januarii* 1776., nulla capta reſolutione, mandatum fuiſſet, ut Cauſa *Iterum proponeretur*, in Congregatione tamen *diei* 10. *Maii ſuperioris anni* 1777. reſponſum utrique Dubio datum fuit, nimirum *ad I. Negative, & ad II. Affirmative*. Hæc definitio non placuit Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ S. Pauli Leodienſis, impetravitque propterea *Novæ Audientiæ* beneficium. Urgente autem Canonico Carolo Theodoro de

Dif-

Diffuii, Cauſa nunc reproponitur, ideoque ex iis, quæ deducentur, cognoſcent Eminentiſſimi Patres.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die 10. *Maii* 1777. *in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

VERULANA. Hæc Cauſa deſcripta fuit *in Folio Congregationis* habitæ *die* 11. *Januarii* 1777., in qua diſputato Dubio = *An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum* = reſponderunt EE. VV. = *Dilata, & ſcribatur Epiſcopo pro ulteriori Informatione ſuper fructu Bonorum hæreditariorum Joſephi Cappella, & ſuper ætate Oratoris* = Super his litteræ datæ fuerunt Epiſcopo, qui huic Sacræ Congregationi tranſmiſit tum folium ab Andrea Trenta, nec non à Joanne Baptiſta Mobilj Patrono erigendarum Cappellaniarum obſignato, in quo adnotata fuerunt Bona Joſephi Cappella, quæ actu poſſidentur à dicto Trenta, & quæ ſunt in dotem Cappellaniarum aſſignanda, tùm etiam fidem Baptiſmatis ejuſdem Andreæ Trenta. *Seſſ.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Ex folio itaque habetur, ſortem plurium Cenſuum hæreditariorum dicti Cappella aſcendere ad ſcuta 787. 50., illorumque redditus eſſe annuorum ſcutorum 51. 71., quibus additis aliis annuis ſcutis 38. ex fructibus Bonorum ſtabilium, quæ deſcripta fuerunt inæſtimata, redditus aſcendere ad annua ſcuta 89. 71. Rurſus ex fide Baptiſmatis Andreæ Trenta patet, ipſum eſſe in ætate annorum quinquaginta conſtitutum: Quibus ſic ſtantibus, preces renovat idem Andreas pro facultate uſufructuandi ad ejus vitam Bona hæreditaria Joſephi Cappella, erectis ex nunc Cappellaniis, ſuſpenſa tamen Cappellanorum nominatione.

E contra verò urget Angela Celletti Mater defunctæ Praxedis Uxoris in primis nuptiis Joſephi Cappella, contenditque reijciendam eſſe petitionem Andreæ, ne indulgentia hujus Sacræ Congregationis præjudicii ſit ejus juribus

ribus contra dictum Andream promotis coram A. C. Cioja ſuper nullitate Donationis, quam egit filia Praxedes, prætermiſſa Matre, favore Andreæ Trenta ejus ſecundi Viri, vel ſaltem ſuper aſſecutione Legitimæ ſuper illius dote ex Bonis Joſephi Cappella ejus primi Viri detrahenda. Suſtinetque pariter, exequendam eſſe voluntatem Joſephi erectione Cappellaniarum cum Miſſarum celebratione, ne ejus Anima debitis privetur Suffragiis, ac fortius, ne ulterius ejus imminuatur hæreditas; nàm docet, Capitalia nonnullorum Cenſuum hæreditariorum Joſephi cum eorum fructibus uſque ad illius obitum decurſis aſcendentia ad ſummam ſcutorum mille circitèr extincta, & diſtracta fuiſſe ab eodem Andrea Trenta, & à Praxede ejus Uxore, nec eſſe ſperandum, quòd Andreas pro diſtractis Bonis reintegret expilatam Joſephi Cappella hæreditatem, quia Andreas pauper eſt, ſuis laboribus, & induſtria vivit, nihilque poſſidet tum in Civitate Ferentina ejus Patria, tum in Terra Montis S. Joannis Verulanæ Diæceſis, in qua vitam agit.

Ab Andrea, & ab Angela jura deducuntur, Dubium eſt.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Negative.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

BONONIEN. CONFIRMATIONIS CONCORDIÆ. Alexander Guicciardini Bononienſis anno 1776. condito Teſtamento hæredem ſuum fiduciarium univerſalem inſtituit Advocatum Ludovicum Montefani Caprara, eidemque commiſit tùm implementum nonnullorum Legatorum, tum etiam diſtributionem ſui Patrimonii, illius ſcilicet ab hæreditate utriuſque Parentis in eum obventi, juxta legem ab ipſomet Teſtatore præſcriptam: Voluitque demum, quòd reliquum ſuæ hæreditatis = *ſia quanta eſſere ſi voglia, o poco, o molto, debba ridurſi in denari contanti, ed aſſegnarſi, e dimetterſi dal medeſimo mio Signor Erede Fiduciario alla ſudetta Ven. Compagnia di S. Maria del Baracano, o à chi legittimamente amminiſtra la Chieſa della B. V. di eſſa Compagnia per l'effetto di fare in eſſa Chieſa celebrare tante Meſſe in ſuffragio dell' Anima mia.*

De-

Defuncto Teſtatore, quæ ipſe ſcripſit Legata, & quam ipſe voluit Bonorum fieri diſtributionem, adamuſſim implevit hæres fiduciarius; At verò ſuper hæreditatis reſiduo, quod ſuppoſitum fuit aſcendere ad conſpicuam ſummam ſcutorum ſeptem, vel octo millium in totidem Miſſarum celebrationem juxta Teſtatoris legem erogandam, duplex exhibita fuit ſupplicatio *SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO*, nimirùm una à Sacerdote Deodato Gnudi Parocho S. Juliani, intra cujus Paræciæ fines ſiſtit Sodalitium, & Eccleſia S. Mariæ *del Baracano*, petente, ut ex dicto ſuperextantis hæreditatis cumulo tot ei conſignarentur pecuniæ, quot eſſent neceſſariæ ad conſtituendum Fundum pro geminis perpetuis Cappellaniis cum Miſſa quotidiana, nec non cum alia Miſſa ſingulis feſtivis diebus, & feria ſexta cujuſvis hebdomadæ celebrandis in eadem Paræcia, cui manuales Miſſæ deficiunt.

Altera verò ſupplicatio porrecta fuit à Gubernatoribus pii Conſervatorii S. Mariæ *del Baracano*, quod eidem Sodalitio, & Eccleſiæ adnexum eſt, regiturque, & gubernatur ab ipſis Sodalibus, quibus pecuniæ ex lege Teſtatoris erunt conſignandæ, poſtulantibus facultatem inveſtiendi dictam ſuperextantem ſummam in tot Cenſibus, vel Bonis in Bononienſi Civitate, ſeu Territorio ſitis, eorumque redditus erogandi in celebrationem trium quotidianarum Miſſarum, quarum una celebranda in Eccleſia Conſervatorii pro Puellarum inibi degentium commodo, & devotione diebus feriatis, in quibus unica tantùm celebratur Miſſa, quæ ab omnibus Puellis audiri non poteſt, diebus verò feſtivis celebranda in particulari Confratrum Oratorio, quibus ad commodum Confratrum ſatis proviſum non eſt, ut horis opportunis Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium audire poſſint; reſiduum autem reddituum erogandi in manutentione aliarum Puellarum in eodem Conſervatorio recipiendarum.

Utraque ſupplicatione ablegata ad hanc Sacram Congregationem, pro Informatione, & Voto requiſitus de more fuit tunc Epiſcopus Adminiſtrator, nunc Emus Archiepiſcopus Bononienſis, qui retulit non adhuc conſtare, quantum hæreditatis ſuperſit erogandum in Miſſarum celebrationem: Itemque retulit, utriuſque Oratoris inſtantiam rationabilem eſſe, ejuſque rationabilitatem ſuis animadverſionibus roboravit, concluditque demum

mum his verbis = *In hac rationum ex una parte, æquitatis verò ex altera , convenientiæ , atque indigentiæ conflictatione nullo modo auſim Ego rem definire : Itaque EE. VV. ſapientiſſimo judicio , æquitati , benignitatique rem totam libentiſſimè committo* = Qua de re ſub die 7. Septembris 1776. reſcriptum fuit = *Deveniatur ad exactam firmationem Status hæreditarii reſpicientis reſiduum hæreditatis Alexandri Guicciardini relictum pro celebratione Miſſarum ab ipſo demandata, atque ad illius liquidationem, & tranſmittatur ab Epiſcopo Adminiſtratore , deinde Cauſa Ponatur in Folio, citatis tam Deputatis Conſervatorii, quàm Parocho S. Juliani Bononiæ .*

Hujus reſcripti virtute moniti fuerunt tum Gubernatores Conſervatorii S. Mariæ *del Baracano* , tum Parochus Eccleſiæ S. Juliani , tum etiam Hæres fiduciarius ad deducendum jura ſua in hac Sacra Congregatione, fuitque tranſmiſſus Status reſidui hæreditatis Alexandri aſcendentis ad ingentem ſummam ſcutorum 8000. . Verumtamen ad ſingulas præcidendas quæſtiones Oratores ad amicabilem devenerunt Concordiam Beneplacito Apoſtolico comprobandam , pro quo obtinendo preces ab ipſis Oratoribus porrectæ fuerunt huic Sacræ Congregationi , ac, ut moris eſt , requiſitus fuit *Epiſcopus Adminiſtrator pro Informatione, & Voto ſuper novis precibus , auditis omnibus intereſſe habentibus , & tranſmiſſa minuta Concordiæ* = quæ omnia impleta fuerunt .

Ex tranſmiſſa minuta ſtipulandæ Concordiæ habetur, Partes conveniſſe, quòd Gubernatores Pii Operis *S.* Mariæ *del Baracano* ex ſcutis 8000. ab Hærede fiduciario recipiendis tradere debeant Parocho S. Juliani ſcuta biſmille per ipſum inveſtienda in Cenſibus, ſeu Bonis ſtabilibus fructiferis, eorumque redditus erogandi in perpetua unius quotidianæ Miſſæ celebratione facienda in ejus Parochiali Eccleſia ad rationem eleemoſynæ manualis in expiationem Animæ defuncti Guicciardini , & ſi quid ex hiſce redditibus ſupererit , illud erogandi in ejuſdem Eccleſiæ manutentionem : Et rurſus idem Parochus ſeſe obligavit apponere vel in pariete ſuæ Eccleſiæ , in ſitu tamen , in quo nullum fiat ipſius ornamentis detrimentum , vel in ejus Sacrarii muro arbitrio dictorum Gubernatorum Lapidem hanc eorumdem liberalitatem referentem .

Conventum itidem fuit , quòd Gubernatores Pii Operis

del

del Baracano inveſtire debeant reſidualem ſummam ſcutorum 6000. in Cenſibus, vel in Bònis ſtabilibus, ad effectum cum eorum fructibus in perpetuum celebrare faciendi cum eleemoſyna manuali duas Miſſas quotidianas in expiationem Animæ ejuſdem Teſtatoris, unam ſcilicet in ipſamet Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis *del Baracano*, & alteram in particulari Eccleſia Puellarum Conſervatorii, diebus tamen feriatis tantùm, & diebus feſtivis in Oratorio Sodalitii; reſiduales verò redditus, ſi qui eſſent, erogandí in augendo Puellarum numero, earumque manutentione.

Epiſcopus Adminiſtrator autem laudans Concordiæ pacta, refert, omnes intereſſe habentes aſſentiri, ſubditque = *Hæc cum ita ſe habeant, ſingulari Ego EE. PP. fretus benignitate, qua animi mei ſententiam promere datum eſt, exiſtimo laudatione dignam Concordiam inter Oratores initam, cujus deſcriptum exemplar adjungo, remque totam propoſitam, inſpecto præcipuo fine Teſtatoris Guicciardini, piæ ejuſdem voluntati uberius obſecundare, proptereaque mereri EE. PP. ſuffragia, ut approbata, & executioni demandata remaneat.*

Quamobrem ſub die 5. Julii ſuperioris anni reſcriptum fuit = *Eminentiſſimo Cardinali Antonellio, qui dignetur rem perpendere, & votum ſuum aperire auditis* =: Cumque Eminentia Sua munus ſibi commiſſum adimpleverit, integrumque narraverit Concordiæ tenorem, à ſuffragio tamen ferendo ſe abſtinuit, animadvertens *nil minus agi in hac Cauſa, quàm de voluntate ſuprema Alexandri Guicciardini permutanda, intervertendaque, Tranſactionem à Parocho, atque Conſervatorii Curatoribus initam id præſertim ſpectare, ut quiſque Eccleſiæ ſuæ compendio, ac utilitati proſpiciat; Epiſcopum Adminiſtratorem prius ancipitem, nunc Tranſactioni favere* = Hiſque de cauſis in ſenſu fuit, ut Cauſa *ponatar in folio, citatis tam Deputatis Conſervatorii, quàm Parocho S. Juliani.*

Res nunc ſubiicitur prudenti EE. VV. examini. Laudabilem, imo neceſſariam eſſe Concordiam ſuſtinent Tranſigentes. Contendunt enim, per eam non commutari, ſed juſta interpretatione in melius converti voluntatem defuncti Guicciardini, quoniam is voluit, quòd cum reſiduo ſuæ hæreditatis tot Miſſæ celebrarentur, & in Miſſarum celebratione, & in precibus in expiationem ejus Animæ Deo fundendis à Puellis Conſervatorii ver-

ſatur Concordia, quinimo pinguius adimpletur Defuncti voluntas, quia Miſſarum celebratio, quam ipſe juſſit, temporanea eſt, nam ablumptis pecuniis, erunt abſoluta ſuffragia: At verò Miſſarum celebratio per erectionem Cappellaniarum in Tranſactione conſtabilita perpetua eſt, nec unquam erunt ſuffragia peritura.

Nec intereſt, quòd una ex tribus erigendis Cappellaniis fundetur in Parochiali Eccleſia S. Juliani.

Etenim non in Eccleſia B. M. V. *del Baracano*, ſed in Eccleſia Patrum Minorum Conventualium S. Franciſci, & in Sepulchro ſuorum Majorum Cadaver Alexandri tumulatum fuit. Illius enim finis non alius fuit, niſi habendi ſuffragia ex Miſſarum celebratione proficiſcentia, & per erectionem trium *perpetuarum* Cappellaniarum utilius conſulitur ſuffragio Teſtatoris. Et planè ſive Miſſæ in una, vel in altera celebrentur Eccleſia, ſemper Anima Teſtatoris illud ipſum ſuffragium habet, ac recipit. Bonum enim eſt, quòd una ex dictis Cappellaniis erigatur in Eccleſia Parochiali S. Juliani, quia Eccleſia B. M. V. *del Baracano* tum Cappellaniis, tum Miſſis adventitiis abundat, illa verò S. Juliani, uti retulit Epiſcopus in prima ejus Informatione diei 27. Septembris 1776. = *caret Miſſis manualibus, ſive adventitiis, nullaque ibi exiſtit Cappellania, atque hinc fit, ut in Eccleſia ipſa Parochiali deſit Populi frequentia, eaque deficiente, nec ipſe proprio muneri ſatisfacere valeat, ut nempe Populus Verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione à ſuo Paſtore alatur, ut habiles Paræciæ Cappellani, ſeu Auxiliatores habere poſſint pro Schola Doctrinæ Chriſtianæ, pro Communionibus Infirmorum, aliiſque Eccleſiaſticis Functionibus, quæ vel omittantur neceſſe eſt, vel ſaltem non eo fructu, ac decore, quibus peragi deberent, perficiantur.*

Quibus ſic ſtantibus, expedit ſervare, quæ videntur utiliora, quemadmodum ſunt illa, quæ tendunt in publicæ utilitatis, & neceſſitatis cauſam, & in augumentum Divini Cultus, pro quo voluntas Defuncti legitimè commutatur, ut notant *Pignatell. conſult. Canon* 80. *n.* 6. *& ſeq. tom.* 9., *Piton. diſcept. Eccleſ.* 69. *n.* 5. & 13., & *Rot. in Nepeſina Applicationis* 30. *Januarii* 1733. §. 22. *cor. cl.me. Card. Aldrovando*.

Sancta Synodus *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reformat.* expreſsè præcipit, Commutationes ultimarum Voluntatum ex juſta, & ne-

& neceſſaria cauſa fieri debere, cui etiam adhæſit *Monet. de commut. ultim. volunt. cap.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 92., & rationabilis Commutationis cauſa eſſe videtur admodum difficilis, etiamſi proſequatur per longum annorum curſum in unica Eccleſia à Teſtatore deſignata Miſſarum celebratio cum adeo ingenti ſumma ſcutorum 8000., cum quibus ad rationem eleemoſynæ manualis Sacra celebranda ſunt in prægrandi octuaginta millium numero, itaut pro iis celebrandis duo ſæcula vix ſufficiant: Rurſus incertitudo eorum celebrationis: Similiter ratio conſulendi conſcientiæ Adminiſtratorum, quibus incumbere debet onus implendi voluntatem Defuncti cum retentione Librorum, in quibus erunt adnotandæ Miſſæ celebratæ, & de iis, ac de aliis celebrandis, nec non de ſolutis, ac de pecuniarum reſiduo quotannis reddendi rationem coram Epiſcopo. Cnm igitur opus, quod Teſtator fieri voluit, ex his, quæ proponuntur, impleri difficillimè poſſit, mutanda voluntas eſt, quam ipſe Teſtator, ſi non fuiſſet, ut erat, mentis abſtractæ, ac indolis hominum refugientis ſocietatem, rerumque ſuarum ex reſupina quadam negligentia ferè ignarus, & ſi ſciviſſet conſpicuum peculium ſcutorum octomillium in ſua hæreditate ſuperextans, non inveroſimiliter conjici poteſt, quòd mutaſſet prædictam diſpoſitionem in plurium Cappellaniarum erectionem cum perpetua quotidianarum Miſſarum, ut in Tranſactione conventum fuit, celebracione, ut ex Herennii Modeſtini reſponſo *in L. Legatum* 16. *de uſu*, & *uſufr. Legat.*, & ex reſcripto Pontificis in *cap. Nos quidem* 3. *de Teſtament.*, tradunt *Bartol. in Leg. Pater filium* §. *Tuſculanus ff. de Legat.* 3., *Gonzal.*, & *Fagnan. in eod. cap.* 3. *à n.* 13. *ad* 27. *de Teſtam.*, *Barboſ. de jur. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 27. *n.* 81., & *Card. de Luca ad Concil. Trident. diſc.* 21. *num.* 3.

Quod attinet ad inſtitutionem Cappellaniarum ſubrogandarum celebrationi Miſſarum, quam Teſtator fieri voluit ex pretio ſuorum Bonorum, Sacra Congregatio in hoc ipſo caſu quamvis hujuſmodi facultatem minimè tribuendam cenſuerit in *Bononien. Legati Miſſarum* 7. *Decembr.* 1697., 7. *Auguſti* 1698., & 9. *Septembris* 1702.. Subindè tamen ab hac ſententia recedens eam conceſſit *die* 12. *Januarii* 1704., ut in *Lib. Decret.* 54. *pag.* 5. : Similiter in *Olinden.* 3. *Martii* 1703., ut in *Lib. Decret.* 53. *pag.* 96.

Itemque in *Peruſina, ſeu Civitatis Plebis Cappellaniæ*, cu-

jus casus erat, quòd Joannes Andreas Jantantus, scripta hærede Constantia Uxore sua, jusserat post ejus obitum Bona suæ hæreditatis vendi, eorumque pretium erogari in celebrationem Missarum. Cumque Constantia supplicasset, ut sibi liceret ex iisdem Bonis instituere Cappellaniam perpetuam, ejus preces propositæ fuerunt per Summaria Precum *die* 21. *Februarii* 1728., quibus rescriptum fuit = *Pro gratia quoad institutionem Cappellaniæ cum onere tot Missas celebrandi, quot celebrari poterunt ex redditibus Bonorum pro Anima Testatoris* = Postea verò, contradicente Fratre dictæ Constantiæ, proposita Causa in Congregatione *diei* 13. *Junii* 1733. ,Sacrum hoc Tribunal ad I. Dubium = *An sit locus erectioni Cappellaniæ in casu &c.* = confirmans præcedens Rescriptum respondit pro erectione Cappellaniæ cum onere Missarum celebrandarum ad rationem eleemosynæ manualis his verbis = *Episcopus procedat ad erectionem Cappellaniæ, impositio Cappellanis onere celebrandi juxta mentem Andreæ Jantanti tot Missas, quot celebrari possunt ex fructibus Bonorum ad rationem manualis, detractis utensilibus* =

His itaque perpensis, cæterisque consideratis, quæ pro obtinenda confirmatione Concordiæ latius exponuntur in libello à Transigentibus Oratoribus circumferendo, dignabuntur EE. VV. definire.

An, & quomodo sit locus confirmationi Concordiæ in casu &c.

Negative.

Sess.25.cap.4. de Reform.

ASCULANA REDUCTIONIS MISSARUM. Sacerdos Angelus Tirabassi Rector ruralis Ecclesiæ S. Francisci sitæ in Territorio Castri Podii Canosi Asculanæ Diæcesis preces porrexit huic Sacræ Congregationi narrans, redditus suæ Ecclesiæ non excedere summam annuorum scutorum triginta novem, & obulorum quindecim, cum quibus idem Orator implere debet onera, quæ plura sunt; Et primò tenetur celebrare sex Missas in qualibet hebdomada, quarum eleemosyna

ad

ad rationem manualis aſcendit ad annuam ſummam ſcutorum triginta unius , & obulorum octuaginta : Rurſus obſtringitur annuam perſolvere penſionem ſcutorum decem Præpoſito pro tempore Eccleſiæ curatæ S. Jacobi Apoſtoli Aſculanæ Civitatis , alteramque penſionem annuorum ſcutorum quatuor rependere Parocho ſupradicti Caſtri Podii Canoſi , eumdemque coadjuvare tum in exercitio Curæ Animarum , tum in omnibus functionibus , quæ in ejus Eccleſia peraguntur ; Itemque alia annua ſcuta 5. 96. 4. pro oneribus Cameralibus , alios obulos quinquaginta pro Cathedratico , totidemque pro Compoſitione Spoliorum Triremium , & Dativarum , quæ ſummæ ſimul unitæ componunt annua ſcuta 52. , & obul. 76. præter ejuſdem Rectoris obligationem manutenendi Sacra Supellectilia , Eccleſiam , Domumque ruralem , pro quibus omnibus adimplendis cum impares ſint Rectoriæ redditus , ſupplicavit pro reductione dictarum Miſſarum ſex ad unam tantùm in omnibus feſtivis diebus de præcepto , nec non ad alteram celebrandam Feria ſexta , vel die Sabbathi cujuſvis hebdomadæ .

Epiſcopus , qui de more fuit auditus , retulit , vera eſſe omnia in precibus expoſita , aſſeritque , onera , quæ Rector ſubire debet , eo excepto coadjuvandi Parochum Caſtri Podii Canoſi in Animarum Curæ exercitio , poſſe rationabiliter exitum conſtituere in annuis ſcutis ſexaginta : Quapropter , ut ipſe ait = *cum è conſpectu relati tenuis Introitus fuerit Orator uſque modò in diſpendio ſingulis annis ſcutorum viginti* = putat = *dignum Oratorem expetita oneris Miſſarum reductione* =

At Sacra Congregatio ſub die 11. Januarii 1772. reſcripſit = *Epiſcopo pro nova Informatione , & referat ſuper titulo penſionis reſervatæ favore Archipresbyteri S. Jacobi Apoſtoli* = . Huic Reſcripto ſatisfecit Epiſcopus , retulitque , quòd virtute Conſtitutionis *Inſtaurandæ* ſa. me. Innocentii *X.* ſuppreſſo de anno 1653. Conventu Minorum Conventualium S. Franciſci Podii Canoſi , fuit applicatio , & diſtributio reddituum dicti ſuppreſſi Conventus a Sacra Congregatione ſuper Statu Regularium commiſſa Asculano Epiſcopo , cui *placuit inter cætera* (ſunt verba illius ſecundæ Relationis) *ex eiſdem fructibus , & redditibus perpetuò applicare favore Præpoſituralis Eccleſiæ S. Jacobi hujus Civitatis , ejuſque*

que pro tempore Præpositorum pensionem annuam scutorum decem unica solutione anno quolibet satisfaciendam Messis tempore, nec non aliam scutorum quatuor favore tunc existentis Parochi Ecclesiæ Curatæ dicti Podii Canosi, ejusque Successorum = additque hanc reddituum applicationem, & distributionem approbatam fuisse à Summo Pontifice, dictosque Præpositum, & Parochum à die præfatæ suppressionis Conventus usque ad hodierna tempora pacificè semper utramque respectivam pensionem exegisse,

Quibus positis, sub die 15. Februarii 1772. rescriptum fuit, quòd instantia *poneretur in Folio, præfixo termino*. Super hac termini præfixione facienda Episcopus, cui Litteræ datæ fuerunt, tertiò respondit, deficere interesse habentes, unamque tantùm antiquitùs erectam in dicta Ecclesia S. Francisci reperiri Cappellaniam fundatam à pia Muliere Portia, cujus nullus supereſt Hæres, nec ullus Consanguineus.

Rector Orator suas renovat pro Missarum reductione preces in Libello circumferendo. Sacra Congregatio quoties agnovit, redditus impares esse ad ferendum onus Missarum, toties Missarum onus reducendum esse decrevit *in Vigilien. Decanatus ad II. Dubium die* 23. *Junii* 1729., *in Tudertina Reductionis Onerum* 3. *Februarii* 1776., *in Papien. Reductionis Missarum* 2. *Martii ejusdem anni*, *in Massanen. Reductionis Onerum* 11. *Januarii* 1777.

Pertinet nunc ad EE. VV. declarare

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta Instructionem, citatis tam Parochis S. Jacobi, quam Podii Castri Canosi.

Sess. 24. cap. 6. de Reform.

UGENTINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Anno 1775. cum in Curia Episcopali Ugentina lis esset inter Sacerdotem Nicolaum Giannuzzi, & Sacerdotem Vincentium Cacciatore super pertinentia Patronali cujusdam Beneficii ad Familiam Cacciatore pertinentis, ad probandum jus illius, qui Nico-

colaum præſentaverat, & reſpectivè ad excludendum jus ejus, qui Vincentium nominaverat, penes acta productæ fuerunt quædam partitæ ex antiquis Codicibus Baptiſmatis, & Matrimoniorum extractæ, quæ cum falſæ deprehenſæ fuiſſent, criminaliter ad inſtantiam Vincentii querelatus fuit Nicolaus uti Reus de crimine falſi, vi cujus antedicta Epiſcopalis Curia citavit Nicolaum ad informandum, & interim, ut ſe abſtineret à celebrando ſub pæna ſuſpenſionis latæ ſententiæ: Subindeque Carceribus mancipatus fuit, & ex plurium Teſtium depoſitione fuit de falſitate convictus: Ac demum ſatisfacta Parte, & Fiſco, die 2. Decembris 1770. lata fuit definitiva ſententia, qua perpetuo ſilentio Fiſco impoſito, Nicolaum non amplius eſſe moleſtandum decretum fuit, e tamen indictis ſpiritualibus exercitiis per octo dies, fuitque demandata deletio corruptionum, ſeu falſitatum ab eodem patratarum in prædictis Libris Baptiſmalibus, & Matrimoniorum.

His abſolutis, cum Nicolaus irregularitatem contraxiſſet, ex quo poſt ſuſpenſionem à Divinis eidem indictam ab Epiſcopo, & exequutam Domi ſuæ ſolitæ habitationis, non autem perſonaliter, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebraverat prorsùs ignorans hanc ſuſpenſionem, quia tunc aberat à Patria per viginti milliaria, preces porrexit huic Sacræ Congregationi pro abſolutione à Cenſuris, & reſpective pro diſpenſatione ab irregularitate.

Audito, ut moris eſt, Epiſcopo, is confirmavit ea, quæ Nicolaus expoſuit, retulitque, ipſum fuiſſe falſi Authorem, ipſumque Partem, & Fiſcum concordaviſſe. Precibus itaque propoſitis per Summaria Precum in Congregatione *diei* 30. *Auguſti ſuperioris anni* 1777., prodiit Reſcriptum = *Quoad abſolutionem pro Gratia facto verbo cum SSmo, quò verò ad irregularitatem Lectum* = factaque per me relatione *SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO* ſub die 3. ſequentis menſis Septembris, idem clementiſſimè Oratorem *à cenſuris, & pœnis Canonicis abſolvit, firma remanente irregularitate arbitrio Sacræ Congregationis*.

Preces circumferendo Libello renovat Nicolaus pro diſpenſatione ab irregularitate. Non enim hìc agitur de homicidio, nec de aliqua Corporis mutilatione, ſed agitur de falſi crimine, ut illud eſt, quando, abraſis Litte-

ris, aliud in locum ejus, quod antea ſcriptum non erat, ſcribatur *cap. Olim de Reſcript.*, *& cap. Licet* §. 6. *de Crimine falſi*. At verò ſi contra falſum committentes pro modo criminis mitius, vel ſeverius agi debet *Leg. Falſi* 13. §. *imò*, *Leg. qui duobus* 21., *Leg. Hodie* 32. §. 1. *ff. de Falſit.*, *Leg. Majorem* 4., *Leg. Ubi* 22. *cum ſeqq. Cod. eod. tit.* Videtur, mitius agendum eſſe cum Sacerdote Nicolao, dùm ex ejus patrata falſitate nulla provenerunt mala, nec per eam Innocentes damnati fuerunt, nec Rei à criminibus abſoluti, ut animadvertit *cap. Dura ſæpè de Crimine falſi*.

Fortius, quia res eſt de Clerico jam promoto, cui facilius Diſpenſatio conceditur, *Fagnan. lib. 5. Decret. cap. Henricus num. 23. cum ſeqq. de Cleric. pugn. in Duell.*, *& Fargna de Jurepatr. part. 1. can. 5. cap. 11. num. 68.*, à quibus optima allegatur ratio, *quia aliàs promotus neſcitur quid ageret, cum nec miniſtrare poſſit, nec retrocedere liceat* = qui ſi loquuntur in fortioribus terminis patrati homicidii, quantò potiori jure videtur, eos eſſe recipiendos in hoc crimine falſi, per quod nemo patitur detrimentum.

Omnibus itaque perpenſis, munus erit EE. VV. definire. *An ſit concedenda Diſpenſatio in caſu &c.*

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

NUCERINA PAGANORUM REDUCTIONIS MISSARUM. Honuphrius Grimaldi Civitatis Nuceriæ Paganorum tàm nomine proprio, quàm uti Tutor filiorum Jacobi Grimaldi ejus prædefuncti germani Fratris preces exhibuit *SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO*, & huic Sacræ Congregationi, ad quam *Summus Pontifex* preces ablegaverat, expoſuitque, Familiam ſuam teneri ad celebrationem faciendam annuarum Miſſarum nongentarum vigintiquinque relictarum à pluribus ejus Auctoribus cum eleemoſyna ſolvenda ex redditibus Prædiorum, quæ unuſquiſque Teſtator *taxativè* aſſignaverat: Vèrum cum Prædiorum redditus valde imminuti ſint, parumque ſuperſit, unde nobilis Grimalda Familia decem gravata filiis, quinque nimirum Maſculis, totidemque fæminis nubilibus, ſupplicavit pro dictarum

Miſ-

Missarum reductione ad tres tantùm Missas in qualibet hebdomada.

Requisitus Episcopus pro Informatione, & Voto, & præsertim an Fundi provenientes à respectivis Testatoribus, qui ab Oratoribus possidentur, reddant fructus pares oneribus, retulit, quòd = *lectis, ac sedulo perpensis dispositionibus testamentariis mihi exhibitis, reperii exposita in præcitato supplici Libello esse vera, ac veritate fulciri*. Familiam verò de Grimaldis gravatam esse annua eleemosyna Ducatorum centum viginti octo, & assium septuaginta septem pro annua nongentarum vigintiquinque Missarum celebratione relicta, seu legata à pluribus illius Majoribus cum taxativa Capitalium assignatione. Subditque = *Quòd fundorum redditus, quos tunc temporis in præscripti oneris supportationem constituerunt pii Fundatores satis haberentur ad illius implementum, nunc impares deprehendantur* = concluditque his verbis = *Constito igitur de reddituum imminutione, cui ipsi propria culpa causam non dederant, tum de obveniente ipsis damno, ac denique de pauperie, & de nobilitate Oratorum, qui filios quinque, totidemque filias viris maturas alendi, & honestè dotandi onus sustinent* =, ideoque est in voto = *ut numerus Missarum reducatur, ac moderetur, cum annuus redditus evadat impar oneri Missarum*.

Ulterius requisitus fuit Episcopus, ut dispositiones piorum Testatorum transmitteret, simulque referret tùm de redditibus annuis uniuscujusque Legati, facto computo per decennium, tum etiam de quantitate eleemosynæ manualis juxta morem Regionis, quorum omnium executionem obtineri non posse retulit Episcopus in postrema sua Informatione causa ingentium necessariorum sumptuum, quos Oratores, attenta eorum maxima, qua premuntur, inopia, subire non possunt, aliaque suggerit, quæ legenda sunt in ejus Relatione ab Oratoribus cum Libello circumferenda.

Hæc instantia per Summaria Precum proposita fuit in Congregatione *diei* 29. *Novembris superioris anni* 1777., & ab EE. VV. rescriptum fuit, quòd ea *poneretur in Folio*. Obtemperando mandatis Sacræ Congregationis Causa nunc proponitur, & Oratores eorum renovant preces pro Missarum reductione. Constans enim est Sacræ hujus Congregationis Sententia, quòd, imminutis redditibus Bonorum *taxative* pro Missarum onere assignatorum, istarum etiam oneris fiat imminutio, seu re-

ductio; veluti probant plures hujus ampliſſimi Senatus reſolutiones relatæ in ſupradicta *Aſculana Reductionis Miſſarum*.

Ac ut ſuccurratur Patronus inops, & Familia pauper-tate gravis ope reductionis Miſſarum, ad rem ut plurimum faciunt aliæ hujus Sacræ Congregationis reſolutiones, & præſertim *in Nullius S. Michaelis de Cluſa* 20. *Januarii* 1776., *in Taurinen.* 30. *Martii ejuſdem anni*, *in Caputaquen. propoſita die* 13. *Julii* 1776., 1. *Martii* 1777., *& reſoluta die* 7. *Junii ejuſdem anni* 1777., ac demùm *in Meſſanen. Reductionis Miſſarum reſoluta in poſtrema Congregatione diei* 24. *Januarii proximi præteriti*.

Dignentur itaque EE. VV. reſpondere.

An, & quomodo ſit annuendum precibus Oratoris in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 14. *Martii* 1778. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

DUÆ, quæ ſequuntur, Cauſæ in ultima ſplendidiſſimi hujus Ordinis Congregatione propoſitæ non fuerunt, rogamus itaque Ampliſſimos Patres, ut ad eas definiendas illius Congregationis folium iterum, qua ſolent, humanitate perſpiciant.

UGENTINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE =, in qua ambigitur. *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.*

An ſit concedenda Diſpenſatio in caſu &c.

Pro gratia facto verbo cum Sanctiſſimo.

NUCERINA PAGANORUM REDUCTIONIS MISSARUM, cujus Dubium eſt. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo ſit annuendum precibus Oratoris in caſu &c.

Dilata, & ad mentem.

MACERATEN. Juſſu ſplendidiſſimi hujus Ordinis hæc Cauſa proponitur, quæ data fuit *in folio Congregationis* habitæ *die* 24. *nuper elapſi menſis Januarii*: Cum autem definitionem poſtulaſſet Canonicus Franciſcus Angelucci, reſcripſerunt Eminentiſſimi Patres = *Dilata ad primam poſt Cineres omnino* = Putamus, eum- *Seſſ. 6. cap. 2. de Reform., & Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

dem Canonicum ſuorum jurium libellum nunc daturum, ideoque poterunt Ampliſſimi Patres, repetita lectione folii dictæ Congregationis, reſpondere quatuor, quæ denuò proponuntur, Dubiis.

I. *An Indulta Pontificia obtenta per Canonicum Franciſcum Angelucci ſint ſuſtinenda in caſu &c.* = & quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo ſint obſervanda, & exequenda in caſu &c.*

III. *An idem Canonicus Angelucci teneatur ad Reſidentiam. & intereſſentiam in caſu &c.*

IV. *An participare debeat de Diſtributionibus quotidianis, aliiſque Fallentiis, ſeu Punctaturis aliorum Canonicorum, & à quo tempore, ita ut ſint eidem conſignandæ Diſtributiones huc uſque retentæ, ſeu potius per ipſum reſtituendæ jam perceptæ in caſu &c.*

Ad I. affirmative, ad II. proviſum in primo, ad III. affirmative, ad IV. deberi a die 12. Julii 1766. uſque ad diem 12. Julii 1770.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

FAVENTINA FUNCTIONUM. Hujus Cauſæ ſpecies data fuit *in Folio Congregationis* habitæ *die* 17. *Julii* 1773., quod editum eſt *Vol. XLII. Theſaur. Reſol. Sac. Congregat. pag.* 95.: Sex fuerunt propoſita Dubia, nimirum I. *An Cappellano Confraternitatis Tertii Ordinis S. Antonii Patavini, vel alteri Sacerdoti à Confratribus pro libito deſtinando liceat benedicere Populo occaſione expoſitionis Sanctiſſimi Sacramenti, quæ fieri ſolet in Eccleſia ejuſdem Confraternitatis in qualibet Feria tertia, & per novem dies ante Feſtum dicti Sancti in caſu &c.* = II. *An eidem Cappellano, vel alteri Sacerdoti per Confratres deſtinando liceat occaſione expoſitionis* 40. *horarum in repoſitione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ benedicere Populo in caſu &c.* = III. *An dictus Cappellanus, vel alius Sacerdos poſſit in die feſto S. Antonii Patavini, & in aliis Feſtivitatibus Inſtituti ejuſdem Confraternitatis, prout etiam in Anniverſariis canere Miſſam ſolemnem independenter à Parocho in caſu &c.* = IV. *An Parocho S. Jacobi ultra Quartam funeralem debeatur alia portio Ceræ, quando Cadavera Subditorum ejus Parochiæ tumulantur in Eccleſia*

fia dictorum Confratrum in casu &c. = V. *An idem Parochus habeat jus peragendi funerales functiones in Ecclesia eorumdem Confratrum, quando Cadavera in ea tumulanda non sunt de illius Parochia, & an aliqua portio Ceræ illi debeatur in casu &c.* = VI. *An liceat Feria tertia per totum mane illius diei asservare in Tabernaculo SSmam Eucharistiam ad effectum illam subministrandi Christi fidelibus in casu &c.* =, quibus ea die respondit hoc Sacrum Tribunal = *Ad I., & II. Affirmative: Ad III. Negative, & serventur Constitutiones Synodales: Ad IV. Dilata, & coadjuventur probationes. Ad V. quoad primam partem Affirmative, & serventur Constitutiones Synodales; quoad secundam dilata, & coadjuventur probationes: Ad VI. Affirmative de licentia Episcopi.*

Definitionem *tertii* Dubii, ac etiam *quinti quoad primam ejus partem* non placuit Confraternitati Tertii Ordinis S. Antonii Patavini Civitatis Faventiæ, imploratoque novæ Audientiæ beneficio, illorum resolutionem impugnat, & ulterioribus coacervatis probationibus, etiam postulat, ut secundum ejus vota definiatur *quartum*, & *quintum Dubium quoad secundam ipsius partem*, quorum definitio dilata fuit cum Rescripto, ut *coadjuventur probationes*. Visum est eidem Confraternitati id perfeciſſe novis juribus, quæ nunc proponit. An ea satis sint, ut, quod petit, obtineat, Judicium erit Patrum Amplissimorum, qui, repetita lectione *Folii dictæ Congregationis diei* 17. *Julii* 1773., quod est *in suprarelato Vol.* 42. *pag.*95., definire debent.

I. *An sit standum, vel recedendum à Decisis quoad Dubium III., & V. quoad primam ejus partem in casu &c.*

II. *An Parocho S. Jacobi ultra Quartam funeralem debeatur alia portio Ceræ, quando Cadavera Subditorum Parochiæ tumulantur in Ecclesia dictorum Confratrum in casu &c.*

III. *An aliqua portio Ceræ debeatur Parocho in casu, quo jus habeat peragendi funerales Functiones in Ecclesia eorumdem Confratrum, quando Cadavera in ea tumulanda non sunt de illius Parochia in casu &c.*

Ad I. In decisis quoad omnia, ad II., & III. servetur solitum.

RE-

Sess. 25. cap 4. de Reform.

REGIEN. REDUCTIONIS SERVITII CHORI, ET MISSARUM: Speciem hujus Causæ repetere poterunt ampliſſimi Patres *ex Folio Congregationis* habitæ *die* 8. *Julii* 1775., in qua nequivit Causa proponi, ſed *in ſequenti Congregatione diei* 29. *ejuſdem menſis Julii*, Dubioque, quod erat = *An & quomodo ſit facienda reductio* ? = reſcripſerunt Eminentiſſimi Patres = *Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta mentem* = & mens fuit, ut Epiſcopus referret de exiſtentia, ſtatu, & qualitate Prædiorum, quæ fuerant Canonicatibus in Fundatione aſſignata, eaque, eorumque redditus cujus culpa decreverant, & an cum reſtaurationibus, ſeu melioramentis faciendis in eiſdem Prædiis redditus ſperari poſſint uberiores. Nova perventa Epiſcopi relatione, quæ data fuit *in Folio Congregationis* habitæ *die* 30. *Martii* 1776., Sacrum Tribunal *in ſequenti Congregatione diei* 27. *menſis Aprilis* originario Dubio reſpondit = *Firmo remanente onere Miſſaram pro reductione ſervitii Chori pro diebus feſtis tàntum*. =

De hac reſolutione conqueruntur Canonici Georgeus Fidelis Menghini, & Jacobus Natali, oblatiſque novis precibus, ſuſtinent, nihil ipſis conceſſum fuiſſe, quia iidem Choro non intereſſentes nihil percipiunt de quotidianis Diſtributionibus. Repetunt enim, quòd reſpectivi eorum Canonicatus non alios habent redditus, niſi in annuis ſcutis 30. 66., ex quibus demptis annuis ſcutis 21. 84. pro congrua eleemoſyna quatuor Miſſarum in ſingulis hebdomadis ab unoquoque Canonico celebrandarum, ſuperſunt redditus in annuis ſcutis decem circiter, quæ, ut ait Epiſcopus in ejus prima relatione diei 24. Maii 1775. = *dummodo Choro adeſſe frequenter ſtudeant, vix ad decoram Indumentorum Choralium manutentionem ſufficiunt* =, itaut iidem Canonici onere ſervitii Chori ſivè juxta legem Fundationis, ſivè juxtà reductionem de eo factam ab hac Sacra Congregatione ſine lucro gravantur.

Ut igitur paria ſint onera, & lucra, utque, iis impletis, aliquid etiam ſuperſit ex redditibus pro congrua Canonicorum manutentione, poſtulant Miſſarum quoque reductionem, quam unà cum reductione oneris aſſiſtentiæ in Choro, imminutis redditibus ſine culpa Canonici, vel Beneficiati, impertiri ſolet Sacra Congregatio juxta reſolutionem relatam *in primo Folio diei* 8. *Julii* 1775. §. *final.*, pro cujus, *& alterius Folii Congregationis diei* 30.

Mar-

Martii 1776. reaſſumptione rogatis EE. VV., expediendum eſt Dubium.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

In deciſis.

MACERATEN. JURIUM PAROCHIALIUM. In Oppido Montis Milonis Maceratenſis Diæceſeos geminæ ſunt Parochiæ, una ſcilicet Collegiatæ Eccleſiæ S. Blaſii, & altera S. Andreæ. Parochiarum diviſio non per Regiones certis, præſcriptiſque finibus circumſcriptas, ſed per familias ab antiquiſſimo tempore, cujus nulla extat memoria facta fuit, ita ut quilibet, ſive Oppidanus ſit, ſive Advena, jus habet per adſcriptionem eligendi alterutram, quam malit, ex dictis Paræciis. Cum autem ad colendos agros Franciſci Conventati evocatus fuiſſet Venantius Creolani, is cum ſua Familia acceſſit ad Oppidum Montis Milonis animo (ut ipſe aſſerit) ſe adſcribendi ad eam Paræciam, in qua fuerat adſcriptus Joſeph Vitali cognomento *Bordone* ejus in cultura dictorum Agrorum Anteceſſor; Aſt falſa ductus aſſertione ei facta à Parocho S. Blaſii, quòd anteceſſor *Bordone* ſuæ Paræciæ Parochianus fuiſſet, & ipſe quoque Venantius illi ſe adſcripſit cum ejus Familia; cognita tamen fraude, reluctantibuſque illius filiis eorum præbere aſſenſum inconſultæ adſcriptioni à Patre factæ, idem Venantius unà cum filio natu majore ſpontè ſe contulit ad Paræciam S. Andreæ, & in ea, ubi verè fuerat Bordonius adſcriptus, Pater, filius, & tota Creolana Familia nomen dederunt. *Seſs.* 14. *cap.* 9. *de Reform.* & *ſeſs.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*

Rursùs cum Joſeph Scarponius, qui Parochianus erat Eccleſiæ S. Blaſii, diſceſſiſſet ab Oppido Montis Milonis, lares ſuos fixit in Territorio Tolentinæ Civitatis, cumque ei fuiſſet adnata filia fœmina, curavit, ut ea luſtralibus Aquis regeneraretur in Parochiali Eccleſia S. Andreæ dicti Oppidi Montis Milonis, quam ipſe utpote de proximo reverſurus ad ſæpedictum Oppidum ex nunc pro tunc elegit pro ſua, ejuſque Familiæ Paræcia: Subindeque cum neo-nata filia deceſſiſſet, in eadem Parochiali Eccleſia S. Andreæ tumulata fuit.

Hæc

Hæc duo ſunt, ſuper quibus inter Parochos utriuſque Parochiæ præſens agitatur quæſtio. Adverſus adſcriptionem Familiæ Creolani factam à Parocho S. Andreæ ille S. Blaſii preces porrexit huic Sacræ Congregationi, poſtulavitque, ut declaretur, Creolanam Gentem, attenta præambula illius adſcriptione, ſubjectam eſſe ſuæ Parochiali Eccleſiæ, necnon inhibeatur Parocho S. Andreæ, ut impoſterum ſe abſtineat à ſimilibus peragendis Familiarum, vel Perſonarum adſcriptionibus tamquàm turbativis juriſdictionis, & jurium Parochialis Eccleſiæ S. Blaſii, quam Matricem vocat, quibus ſuper precibus, ut moris eſt, audito Epiſcopo, is contra Parochum S. Blaſii reſpondit. Itemque cum Parochus S. Blaſii judicialiter egiſſet adverſus Parochum S. Andreæ pro reſtitutione tùm Cadaveris defunctæ filiolæ Scarponiæ, tùm emolumentorum illius funeris, hanc etiam quæſtionem definiendam ablegavit ad hanc Sacram Congregationem R. P. D. Auditor Signaturæ Juſtitiæ lato Decreto à Partibus approbato.

Cauſa nunc proponitur. Jura ab utraque Parte circumferuntur. Animadvertendum eſt, Parochum S. Blaſii non probare Matricitatem ſuæ Parochialis Eccleſiæ, multoque minus Parochialem Eccleſiam S. Andreæ filialem eſſe prædictæ S. Blaſii. Ut autem id utiliter proferatur, non quælibet ſatis eſt Matricitas, ſed ea omninò neceſſaria eſt, quæ perſpicuè indigitet, Eccleſiam unicam olim extitiſſe Parochialem, atque in ejus auditorium per viam diſmembrationis tamquam è ſinu Matris aliam ſubjectam, & filialem erectam, ædificatamque fuiſſe *Covaruv. variar. reſol. cap.* 36. *num.* 10., *Rebuff. de Decim. quæſt.* 6. *n.* 71., *Rot. coram Caprar. deciſ.* 324. *num.* 3., *& ſeqq.*, *coram Criſpo deciſ.* 28. *num.* 12., *& ſeqq.*, *& in Comen. Funerum* 17. *Aprilis* 1752. §. 12. *coram clar. mem. Card. Matthæjo*.

Illa verò denominatio Matricis Eccleſiæ S. Blaſii, & omnia, quæ in ea ſunt, peraguntur, & probantur, quæque majori, primæque Eccleſiæ conveniunt, ea inquam omnia ſimplicem præeminentiæ, & antiquioritatis lineam non excedentia conſtituere quidem poſſunt favore dictæ Eccleſiæ S. Blaſii impropriam illam, & abuſivam matricitatis ſpeciem, quæ meram dignioritatem importat *Card. de Luc. de Decim. diſc.* 12. *num.* 13., *Scarfanton. ad Ceccoper. elucubr. Canon. lib.* 4. *tit.* 11. *num.* 3. *tom.* 1., *& in addit.* 22. *num.* 41. *& ſeqq. tom.* 3., *& in Caputaquen.*

quen. Præeminentiarum 25. *Junii* 1756. *à §.* 3. *ad* 14. *& per tot. coram Illuſtriſſimo Stadion*, nullatenus verò evincunt ſtrictam, & propriam Matricitatem, de qua quæritur ad *Tex. in cap. Ad Audientiam de Eccleſ. ædific.*, *Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 21., *& Rota cor. Creſcent. dec.* 257. *num.* 20. *& ſeq.*

Quo poſito, reſurgere videtur Canonici Juris diſpoſitio, qua cautum eſt, unicuique liberum eſſe, ubi Parochiæ certos fines, certaſque Domos non habent, Parochiam, quam lubet, eligere ad *Text. in cap.* 1. *de Parochis*, ibique *Ancharan.*, & *Scarfanton. tom.* 3. *addit.* 39. *num.* 60. Vis enim in eo ſtat, utrum Venantius Creolani, qui primò ſe adſcripſerat Paræciæ S. Blaſii, potuerit pœnitere, & nomen dare Paræciæ S. Andreæ. Contrarium tamen reſolutum fuit ab hac Sac. Congregatione *in Tolentina Jurium Parochialium*, in qua *III. propoſito Dubio* in hæc verba concepto = *An Forenſes ſemel recognoſcentes aliquam Parochiam, vel mediante adimplemento Præcepti Paſchalis, vel ſe deſcribendo in ſtatu Animarum, vel ſe proclamare faciendo occaſione contrahendi Matrimonium, aut ſimilia peragentes coram aliquo Parocho, exinde poſſint primam Parochiam variare* = reſponſum fuit = *Negative, & amplius*. An autem per hanc Reſolutionem ſuſtineri debeat prima adſcriptio Eccleſiæ Parochiali S. Blaſii facta à Venantio, qui deceptus credidit, eam fuiſſe Paræciam ſui Anteceſſoris Coloni, & detecto ſubinde errore, per quem conſenſus excluditur *L.* 2. *de Judic.*, ſollicitus fuit ſe inſcribere alteri Paræciæ S. Andreæ, quam verè fuiſſe ſui Anteceſſoris *Bordone* compertum habuit, id erit ab Eminentiſſimis Patribus definiendum.

Ad Familiam Joſephi Scarponii quod attinet, ponderandum ſimiliter eſt, moxdictum Joſephum non diſceſſiſſe ab Oppido Montis Milonis animo ſe recreandi, vel ruſticandi, vel negotia gerendi, ſed diſceſſit quidem animo cum ejus tota Familia mutandi domicilium, quod fixit in Territorio Civitatis Tolentinæ, proindeque videtur, is deſiiſſe eſſe Parochianus Eccleſiæ S. Blaſij, iſtiuſque Parochus ſua jura ſuper hac Familia penitus amiſiſſe, ea ratione, quia, ut ait *Fagnan. in cap. ſignificavit de Parochis num.* 3. = *ſicut voluntaria eſt domicilii conſtitutio, ita & illius extinctio, vel mutatio* =

Præ oculis pariter habendum eſt, filiam Joſephi Scarponii natam, & defunctam fuiſſe tempore, quo Pater domi-

cilium alibi tranſtulerat ; ideoque Parochus S. Blaſij ſua jura ſuper defuncta filia , illiuſque funere vindicare non poteſt , ex firmatis per *Fagnan. loc. cit. num.* 1. : Quatenus autem cenſendum eſſet , Joſephum , ejuſque Familiam adhuc eſſe de Parochia S. Blaſij , attamen Sacra Congregatio *in Volaterrana diei* 16. *Martii* 1726. quoad *VII. Dubium* definivit *non eſſe Cadaver exhumandum* , & quoad *III. Dubium* reſpondit = *deberi Parocho intortitia tàntum , quæ ponuntur circa Cadaver* =

Hæc in Cauſa ſunt . Quatuor ſunt Dubia .

I. *An liceat Parocho S. Andreæ Montis Milonis adſcribere in ſua Paræcia Familias exteras , & adventitias* = & quatenus negative .

II. *An adſcriptio dictarum Familiarum jam facta ſuſtineatur in caſu &c.*

III. *An Venantius Creolani , ejuſque Familia ſubeſſe debeat Eccleſiæ Matrici S. Blaſii , quam præelegit , vel alteri S. Andreæ in caſu &c.*

IV. *An Parochus S. Andreæ reſtituere teneatur Eccleſiæ S. Blaſii Cadaver filiæ Joſephi Scarponi , & omnia jura Parochialia aſſociationis , & tumulationis in caſu &c.*

Ad I. affirmative , & amplius , ad II. proviſum in primo , ad III. affirmative ad primam partem , negative ad ſecundam , ad IV. dilata , & coadjuventur probationes .

Seſſ. 25. cap. 11. de Reform.

ROMANA ALIENATIONIS DOMUS . Anno 1679. Agatha Sanſonetti condito Teſtamento hæredem ſuum univerſalem inſtituit Carolum Fabium Sanſonetti ejus ex Fratre Nepotem . Voluit tamen , quòd , eo ſine filiis decedente , Domus , quam Teſtatrix in Urbe poſſidebat in Via , quæ vocatur *del Pellegrino* , deferretur ad Conventum , & Patres S. Caroli ad quatuor Fontes Urbis , adjecta lege , ut ex illius penſionibus tot Sacra in perpetuum celebrarentur . Anno verò 1698. deceſſit ſine filiis Carolus hæres , proptereaque Patres S. Caroli poſſeſſionem dictæ Domus adepti fuerunt , eamque reſtaurarunt , erogata de propriis pecuniis impenſa ſcutorum 287. 54. : Ut autem certus præfiniretur annuarum Miſſarum numerus , iidem Patres inſtiterunt coram hac

Sa-

Sacra Congregatione, quæ ſub die 2. Auguſti 1698. decrevit, quòd = *dempto fructatu ſcutorum* 287. 54. *ad rationem trium pro quolibet centenario, & anno ex penſionibus dictæ Domus, & acconcimiis ſolitis faciendis annuis in præfata Domo, quidquid ſupereſſet, erogaretur in celebratione Miſſarum ad rationem juliorum duorum pro qualibet Miſſa.*

Philippus Brembi authumans, dict. Domum ſubjectam eſſe fideicommiſſo condito à Gregorio Quadri ejus Auctore, ad eam obtinuit Immiſſionem à Sacræ Rotæ Auditorio. Hanc autem litem anno 1703. diremit Concordia per hanc Sacram Congregationem approbata, cujus virtute ſæpedicti Patres de propriis pecuniis ſcuta quingenta Brembo actori perſolverunt, eiſdem facta poteſtate ab hac Sacra Congregatione percipiendi fructus dictorum ſcutorum 500. ex penſionibus ſupradictæ Domus ad rationem annuorum ſcutorum trium pro quolibet centenario.

Altera ſuper eadem Domo inſurrexit lis promota à Patribus S. Stephani ad Caccum. Hi enim tamquam Creditores Cenſus in ſorte ſcutorum 250. ſuper dicta Domo impoſiti de anno 1620., poſtularunt ad eam aſſociari pro fructibus dicti Cenſus decurſis, & non ſolutis per lapſum annorum 84.: Hæc etiam quæſtio conſopita fuit, mediante Tranſactione, per quam Patres S. Caroli ſolvere promiſerunt Patribus S. Stephani pro ſorte, & fructibus ſcuta 1175.: Preces hinc porrexerunt huic Sacræ Congregationi dicti Patres S. Caroli tum pro Tranſactionis approbatione, tum pro facultate imponendi Cenſum in ſorte ſcutorum 775. vi hujus Tranſactionis ſolvendorum, tum denique pro reductione oneris Miſſarum, vel pro illius ſuſpenſione donec imponendus Cenſus extinguatur, quemadmodum Sacra Congregatio ſub die 13. Julii, & 16. Auguſti 1715. Concordiam approbavit, fecitque Patribus poteſtatem imponendi Cenſum in poſtulata ſumma ſcutorum 775. extinguendum tamen infra tempus viginti quinque annorum cum reſidualibus penſionibus Domus quotannis deponendis, ex eis tantùm dempta quantitate annuorum juliorum triginta, ad effectum illam erogandi in totidem Miſſarum celebrationem, quouſque imponendi Cenſus ſequeretur extinctio, quæ non prius evenit, niſi de anno 1746.

Cum autem Patres S. Caroli ſuper dicta Domo, quæ olim locabatur pro annua penſione ſcutorum 60., modò ve-

rò pro annuis ſcutis 52. tàntum locatur, Creditores ſint ſcutorum 113. 58. pro totidem de proprio ultra perceptas penſiones ſolutis in Cauſam fructuum propriorum creditorum, & ejúſdem Domus reparationis, ac ulterius creditores ſint pro ſorte ſupradictorum ſc. 787. 54., ab hac Sacra Congregatione admiſſa, & approbata, nimirum pro ſcutis 287. 54. erogatis in cauſam reſtaurationis Domus, & pro ſcutis 500. virtute præfatæ Concordiæ ſolutis Philippo Brembi; Cumque demum iidem Patres inveniſſent emptorem Domus pro oblato pretio ſcutorum 1100. quamvis illa æſtimata fuiſſet in ſcutis 1244. 44. $\frac{1}{2}$, hinc ſupplicarunt Sacram Congregationem pro facultate eam alienandi pro dicto pretio ſcutorum 1100. ad effectum illud deponendi, & inveſtiendi, cum declaratione, quòd fructus relative ad ſortem ſcutorum 901., de qua Patres Creditores ſunt, ipſorum eſſe debeant, reliqui verò fructus erogentur in Miſſarum celebrationem ad rationem eleemosynæ juliorum duorum pro qualibet in expiationem Animæ Agathæ Sanſonetti Teſtatricis.

Eminentiſſimus Cardinalis Urbis Vicarius, qui fuit requiſitus pro Informatione, & voto, prævia Edictorum affixione, refert, majus pretium illo ſcutorum 1100. poſt affixa Edicta inventum non fuiſſe: Subdit, imminere Patribus impenſam ſcutorum 218. erogandam in neceſſarias dictæ Domus reparationes, quæ ſi fiant per creationem novi æris alieni, oblatus illius valor ab ære alieno remaneret abſorptus, nihilque ex Capitali ſupereſſet, ex cujus fructibus eſſent Miſſæ celebrandæ: Quocirca cenſet, ut ad ulteriores evitandas evictiones huc uſque ſuper Domo paſſas, locus eſſe poſſit illius venditioni, & ex pretio præſervata Teſtatrici portione ſcutorum ducentorum, reliquum tradatur Patribus pro eorum indemnitate, & reintegratione.

Regula juris eſt, Bona Eccleſiæ, vel alicui pio operi ſubjecta non eſſe alienanda, niſi urgente neceſſitate, & utilitate Eccleſiæ, vel operis pii, ut poſt *Text. in Leg. Tigni* 7. §. *Item municipes ff. ad Exhibend.*, *Leg. municipibus* 97. *ff. de condit.*, & *Demonſtrat.*, firmat *Gonzal. lib.* 3. *Decretal. tit.* 13. *cap.* 1. *num.* 4. *in fin. de rebus Eccl. alien. vel non alien.*, ita ut ſi neceſſitas urgeret ad illorum alienationem devèniendi, alienatio fiat cum utilitate, non autem cum detrimento Eccleſiæ, vel pii operis, veluti poſt *Text. in Leg. Tutor.* 27. *ff. de adminiſtr.*

niſtr. tut., *Leg. qui fundum* 7. §. *Si Tutor. ff. pro Emptor. ſuſtinet idem Gonzal. loc. cit. num.* 7.

Ponderandum igitur eſt, utrum expediat demandare alienationem Domus, quam fieri poſtulant Patres S. Caroli, & utrum ea utilis, & neceſſaria ſit pro ſuffragio Animæ Teſtatricis. Videntur enim ea deteriorem efficere conditionem Agathæ Sanſonetti, quippe quia Domus, quæ æſtimata fuit in ſcutis 1244. 44. ½, alienaretur pro ſcutis dumtaxat 1100.: Rurſus alienatio neceſſaria quodammodo videtur, ducto calculo ſuper Capitali Domus; ſecus verò ſi calculus ducatur ſuper penſionibus; quoniam cum eæ retrahantur in annuis ſcutis 52., ex his demptis pro Patribus annuis ſcutis 8. 62. ½ pro fructibus ſcutorum 287. 54. erogatorum ab initio pro Domus reparatione, aliiſque ſcutis 15. pro fructibus ſcut. 500. ab eiſdem Patribus per Concordiam traditorum Philippo Brembi, quæ ſummæ in unam collectæ aſcendunt ad annua ſcuta 23. 62. ½, ſuperſunt adhuc penſiones in annuis ſcutis 28. 36. ½, cum quibus impleri commodè poſſunt hodiernæ reſtaurationes, quæ tantùm *in genere* probantur, & Suffragia pro Teſtatrice majora cæteroquin illis, quæ habere poſſet ex fructibus ſc. 200.

Maximè quia ex peragendis reſtaurationibus prætioſior redderetur Domus, & ex ea penſiones ſperari poſſent uberiores in Suffragiorum augumentum, prout conſiderat Eminentiſſimus Card. Vicarius in ſua relatione, in qua ſic ait = *Eò magis, quòd hujuſmodi impenſa Domum reddet, ut puto, prætioſiorem, majorique locandam penſione, qualis olim fuit, ſcutorum videlicet* 60., *& qualem ſperare licet his maxime temporibus, quibus Domorum quotidiè penſiones augentur.*

Quibus perpenſis, aliiſque conſideratis in libello à Patribus circumferendo, munus erit Eminentiſſimorum Patrum definire Dubium.

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

NULLIUS SANCTI ÆDISTI. Bernardinus Lupi anno 1623. quatuor in Eccleſia S. Nicolai Terræ S. Ædiſti fundavit Canonicatus. Onera, quæ Fundator Canonicis impoſuit ab ipſis in infinitum, & inviolabiliter obſervanda, & exequenda, hæc ſunt. Primo, quòd Canonici = *dalla Natività di Noſtro Signore Gesù* *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

sù Criſto , e per tutto il giorno dell' Epifania incluſive , e dalla Domenica delle Palme per tutta la Domenica in Albis incluſive ogni giorno debbano cantare in Coro tutto l'Offizio Divino , ut in Breviario Romano ; dalla Compieta in poi , alla quale voglio nan ſiano tenuti , ne obligati al Coro , mà in queſta eſpreſſa dichiarazione , che il Matutino colle Laudi ſaranno tenuti , ed obligati dirlo la mattina allo ſpuntar del Sole , eccetto però la notte della Natività di Noſtro Signore Gesù Criſto , nella quale ſerveranno la Rubrica generale per l'Offizio Divino , e per la Meſſa .

Secundò , quòd = *I ſudetti miei quattro Canonici , Sagreſtano , e tutti gli altri Sacerdoti , che ſaranno pro tempore nella ſudetta mia Collegiata Chieſa di S. Nicola ſiano tenuti , ed obligati in perpetuo , e ſempre uſque in infinitum cantare in Coro tutto l'Offizio Divino , ut in Breviario Romano , ſolamente in tutte , e ſingole infraſcritte Feſte, cioè nel giorno dell'Aſcenzione di Noſtro Signore Gesù Criſto , nelli tre giorni feſtivi della Pentecoſte , nella Domenica della Santiſſima Trinità , nel giorno della feſtività del Santiſſimo Corpo di Criſto , e per tutta la ſua Ottava incluſive , ed in tutte le Feſte della Beatiſſima Vergine Maria ancorchè non ſiano di Precetto , e nel giorno di S. Nicola li 6. di Decembre cominciando dal primo Veſpero , ed il Matutino con le Laudi ſiano tenuti , ed obligati dirlo allo ſpuntar del Sole .*

Tertiò demùm , quòd = *li ſudetti miei quattro Canonici , Sagreſtano , che ſaranno pro tempore nella ſudetta mia Collegiata Chieſa di S. Nicola, ſaranno tenuti , ed obligati in perpetuo, e ſempre uſque in infinitum in tutte , e ſingole Feſte di Precetto Eccleſiaſtico cantare in Coro ſolamente il primo , ed il ſecondo Veſpero , eccetto il Sabbato , quando ſi faccia l'Officio della Domenica , o di Santo , che non ſia della prima , o ſeconda Claſſe .*

Anno 1725., attenta diminutione reddituum, Canonici ſupplicarunt hanc Sacram Congregationem pro aliqua habenda dictorum onerum reductione; Sacra verò Congregatio ſub die 1. Decembris ejuſdem anni 1725. ſequens edidit Decretum = *Sacra Congregatio , attenta relatione Eminentiſſimi D. Cardinalis Laurentii de Alteriis Abbatis Commendatarii Abbatiæ Trium Fontium, benigne commiſit eidem , ut veris exiſtentibus narratis , ac firmis remanentibus oneribus Miſſarum lectarum , & quoad Sacriſtam , firmo etiam remanente onere pulſandi Campanam pro ſalutatione Angelica , onus Miſſarum cantatarum , & reſpecti-*

ctive canendi Litanias poſt eas pro medietate tàntum reducat, necnon juxta ſuperextantium reddituum quantitatem onus ſervitii Eccleſiæ modo ſibi beneviſo pro ſuo arbitrio, & prudentia proportionabiliter moderetur.

Hujus Decreti virtute Eminentiſſimus Abbas Commendatarius onus dumtaxat Miſſarum cantatarum, & reſpectivè canendi Litanias poſt eas pro medietate reduxit, declaravit tamen his verbis = *ab alia verò medietate, ſicuti etiam ab onere canendi primas Veſperas in ſingulis Feſtis advenientibus quibuslibet anni temporibus, Feſtis tantummodo Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & Sancti Nicolai Epiſcopi, & Confeſſoris, in quorum honorem prædicta Eccleſia erecta reperitur, ſicuti etiam aliis Feſtis anni ſolemnioribus, nempe Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchalis Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis exceptis, abſolvimus, & liberamus. In ſolemnitate verò SS. Corporis Chriſti ad onus recitandi Divinum Officium in Choro in ipſa die ſolemnitatis, in Dominica infra Octavam, & in die ejuſdem Octavæ tàntum teneri volumus, & mandamus, & ab eodem onere canendi dictum Officium in aliis ejuſdem Octavæ diebus abſolvimus, & liberamus, firmis in reliquis manentibus oneribus in erectione dictæ Collegiatæ à dicto quondam Bernardino Lupi præſcriptis, & reſervata Nobis facultate præſens Decretum noſtrum, quatenus opus ſit declarandi, & ſic ſupradicta onera reducimus.*

Hæc implenda onera juxta interpretationem antedicti reductionisDecreti factam à Canonicis, in Tabella Eccleſiæ deſcripſerunt. In Sacra Viſitatione nuperrimè peracta Emeritiſſimus Cardinalis Abbas Commendatarius cenſuit, Canonicos in pluribus deficere, & plura proprio arbitratu, vel falſa opinione deceptos deſeruiſſe. Ideoque ipſis ſtrictè mandavit, *ut juxta idem Reſcriptum, & Decretum injunctis in fundatione Collegiatæ adimpleant oneribus ſub pœnis ab ipſo Fundatore præſcriptis, aliiſque E. S. arbitrio etiam pecuniariis pro modo culpæ exigendis.*

Qua de re Capitulum, & Canonici dictæ Collegiatæ Eccleſiæ preces porrexerunt huic Sacræ Congregationi, ut, attenta diminutione reddituum prorſus imparium ferendis oneribus, declaretur, ſervitium, quod ipſi præſtant Eccleſiæ, eſſe conforme menti hujus Sacræ Con-

gre-

gregationis, & quatenùs illud aliquam involveret dubietatem, ſupplicant pro onerum reductione ad ſtatum præſentis ſervitii.

Auditus Eminentiſſimus Abbas Commendatarius, retulit, Canonicos deficere ab integro Officio à die Nativitatis D. N. J. C. ad Epiphaniam, quoniam illud agunt tantummodo die feſto Nativitatis, *tacitos relinquunt tres ſequentes dies feſtos, & quod pejus eſt, ſilent uſque ad Epiphaniam, cum à primis Veſperis celebrant tantummodo, licet nihil de hoc in reductione Cardinalis de Alteriis habeatur* = Itemque ait = *deficere videntur etiam, quòd habeant divina tantummodo Officia Feria* 4. *&* 5. *majoris Hebdomadæ, ac tribus Feſtis Paſchatis, & Dominica in Albis. De hac Officiorum interruptione in reductione nihil, & continua Officia à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis à Fundatore præcipiuntur.*

Nihilominus in voto eſt = *Gratiam Oratoribus fieri poſſe exiſtimo, itaut proſequantur ipſi agere quod adhuc egerunt certis tamen ſub modis. Ratio eſt, quia quoad Miſſas cantatas reductione anni* 1725. *adamuſſim uſi non ſunt, celebrando quotannis aliquas Miſſas cantatas, ultra quàm dicta reductio ferebat, tum quia grave eis eſſet ab obſervantia, cui conſuſam dedit male intellecta anni* 1725. *reductio, ſervata recedere. Dixi gratiam fieri eis poſſe certis ſub modis, nam expediret declarare, ut Canonici Oratores ſaltem duos dies Feſtos S. Stephani Prothomartyris, & S. Joannis Evangeliſtæ cum integro Officio celebrarent; Item Officium Feſti Circumciſionis D. N. J. C. haberent, ac demum Officium cum Miſſa celebrarent Feria* 6. *Majoris Hebdomadæ.*

Hæc Eminentiſſimus Abbas. Pertinet nunc ad EE. VV. decernere.

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Seſſ. 24. *cap.* 12. *de Reform.*

TYBURTINA JURISPATRONATUS. Sacerdos Benedictus Nicolaj ex Oppido Scarpæ Tyburtinæ Diœceſis ſupplicem porrexit libellum *SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO feliciter Regnanti* narrans, Sacerdotem

tem Sinibaldum Nicolaj ejus Patruum, tunc cum eſſet Archipræsbyter Archipræsbyteralis Eccleſiæ dicti Oppidi, in peracta illius reſtauratione novum è fundamentis conſtruxiſſe Altare Divo Auguſtino dicatum animo acquirendi Patronatum pro ſua Domo, & Familia, eumdemque Sinibaldum morte præventum devenire nequiviſſe ad ullam ipſius Altaris dotationem, ideoque poſtulavit, ut ex ſpeciali gratia declaretur, dictum Altare, ſeu Cappellam eſſe de Jurepatronatu Domus Nicolai, promptum ſeſe, ejuſque hæredes exhibens Benedictus Orator ad ſæpedictæ Cappellæ, & utenſilium manutentionem.

Ad hanc Sacram Congregationem ablegatis precibus, auditus de more fuit Tyburtinus Antiſtes, qui ſenſum ſuum aperuit contra petita per Oratorem, cenſuitque eidem concedi poſſe dumtaxat *Jus honorificum, cultum nimirum præſtandi circa idem Altare, illudque providendi ad præſcriptum Epiſcopi pro tempore, præmiſſa deſuper formali obligatione in Actis Curiæ Epiſcopalis, abſque tamen ulla læſione, vel præjudicio Jurium Parochialium* = & cum aliis ordinationibus legendis in ejus Informatione, quæ cum Libello nomine Communitatis dicti Oppidi circumfertur.

Contendit enim Communitas, quòd ad acquirendum Juſpatronatus tria requiſita concurrere neceſſario debeant, nimirum erectio, Dos, & ædificatio ad *Text. in Can. Apoſtolos* 12. *quæſt.* 2., *Lotter. de Re benef. lib.* 1. *quæſt.* 31. *num.* 22., *Piton. de controv. Patron. alleg.* 49. *num.* 22., & *Vivian. de Jurepatr. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 1. *verſ.*, & *addebant*, quòdque horum trium requiſitorum concurſus copulativus requiratur, ita ut ſi alter eorum deficiat, actum eſt de Juriſpatronatus acquiſitione ex firmatis per *Piton. Controv. Patron. alleg.* 54. *num.* 24., *Pignatell. Conſult.* 82. *num.* 15., 82., & *ſeq.*, *Recluſ. de re Parochiali quæſt.* 1. *tit.* 8. *num.* 40. *fol.* 240.

Porro in caſu, de quo agitur, nullum videtur acquiſitum fuiſſe Patronatum ſuper Altari favore Familiæ Nicolaj, quia, ut ſuſtinet Communitas, utque refert Epiſcopus in ſua Informatione, deficit illius erectio facta Ordinaria Auctoritate, deficit item dotatio, quam expletam non fuiſſe fatetur idem Orator in ſuis precibus. Conſtructionem verò dicti Altaris, probat Communitas, abſolutam fuiſſe pecuniis, laboribus, & largitionibus Fidelium,

qui cum plures ad illius conſtructionem ſubventiones, & pecunias contulerint, nulli Juſpatronatus quæſitum fuit, & Altare liberum eſt, ideoque illud pertinere debeat ad Communitatem, cujus eſt Eccleſia, ut defendunt *Pignatell. conſultat.* 204. *num.* 5. *tom.* 4., *Card. de Luc. de Juriſdict. diſc.* 42. *num.* 3., & conſtans eſt Sacræ Rotæ Sententia, ut, aliis omiſſis, habetur apud *Molin. dec.* 1258. *num.* 7. *vol.* 5.

Addit inſuper, Juſpatronatum non probare inſcriptionem appoſitam in Sacrario Eccleſiæ his verbis conceptam = *D. O. M. Sinibaldus de Nicolais Archipræsbyter propriis ſumptibus anno* 1751. = quia ea referri commodiſſimè poteſt ad aſſiduam ejus vigilantiam, ac etiam ad contributionem alicujus pecuniarum ſummæ in actu tùm reſtaurationis Eccleſiæ, tùm Altaris ædificationis, non autem quòd omnis erogata pecunia fuiſſet Archipræsbyteri i-colaj, quoties docetur, Populum, & Sodalitia contribuiſſe. In hiſce autem terminis omnes, qui contribuerunt, non in Patronorum, ſed Benefactorum numero cenſendi ſunt, ut differunt *Pignatell. dicta conſult.* 204. *num.* 5., *Card. de Luc. de Juriſd. diſc.* 42. *num.* 3., *& de Jurepatr. diſc.* 12. *in fin.*, *& de Paroch. diſc.* 32. *num.* 5., *Eminentiſſimus Petra ad Conſtit. I. Anaſtaſii IV. ſect.* 2. *num.* 35. *vol.* 2., & definitum dicitur ab hoc Sacro Senatu *in Coſentina Cappellæ* 19. *Novembris*, *& 3. Decembris* 1729. *ad I. Dubium*.

Cætera legi poſſunt in libello Communitatis. Fratres Nicolai nondum rationes ſuas attulerunt. Dubium eſt.

An, & cui pertineat Altare ſub invocatione SS. Auguſtini, & Monacæ erectum in Eccleſia Parochiali Terræ Scarpæ in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 4. Aprilis 1778. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

NON graventur Eminentiſſimi Patres reſumere Folium Congregationis habitæ die 14. nuper elapſi menſis Martii, ac tres in eo deſcriptas, & mox indicandas Cauſas, quæ in dicta Congregatione diſcuſſæ non fuerunt, in hodierna definire.

ROMANA ALIENATIONIS DOMUS, in qua quæritur. *Seſſ. 25. cap. 11. de Reform.*

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Dilata, & ad mentem, & mens eſt, quod ab Oratoribus reddatur ratio in forma juris valida de penſionibus Domus huc uſque perceptis, nec non conficiatur Peritia ſuper quantitate, qualitate, & pretio reaptationis Domus in ſpecie.

NULLIUS SANCTI ÆDISTI, in qua diſquiritur. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Quoad præteritum ad Dominum Secretarium cum SSmo, quò verò ad futurum affirmative juxtà votum Emi Abbatis Commendatarii.

Seſſ.24. cap.12. de Reform.

TYBURTINA JURISPATRONATUS, in qua reſpondendum eſt.

An, & cui pertineat Altare ſub invocatione SS. Auguſtini, & Monacæ erectum in Eccleſia Parochiali Terræ Scarpæ in caſu &c.

Negative quoad utrumque, & Altare eſſe liberum Eccleſiæ Parochialis, & amplius.

Seſſ. 25. cap.4. de Reform.

ROMANA CAPPELLANIARUM. Juxta facti ſpeciem latiùs expoſitam in Folio Congregationis habitæ *die* 20. *Auguſti* 1774., quod publici Juris factum eſt *in Tom. XLIII. Theſ. Reſol. Sac. Cong. Conc. pag.* 169., à quo repeti poterit, gemini Cappellani Cappellaniarum, ſeu Beneficiorum in Lateranenſi Baſilica ab Hilario Mauri fundatorum in numero quatuor Beneficiorum ad gemina ſubinde reductorum, unde Cappellani, ſeu Beneficiati Hilariani dicti ſunt, contendebant, ipſos, qui juxta reductionem tùm Miſſarum, tùm ſervitii Chori, attento reddituum decremento, factam ab hac Sacra Congregatione die 1. Decembris 1725. tenebantur *unitim* ad celebrationem quadraginta quinque Miſſarum quolibet menſe, nimis gravatos eſſe ex Reſcripto hujus Sacræ Congregationis edito *die* 2. *Septembris* 1758. ſubinde confirmato *die* 11. *Auguſti* 1759., quo ipſis aucta fuit Miſſarum celebratio, fuitque decretum, quòd unuſquiſque Cappellanus teneatur ed quotidianæ Miſſæ celebrationem, ſub eo ſuppoſito, quòd Cappellaniarum redditus aucti fuerint ex fructibus Locorum Montium, in quibus reinveſtita fuerat Sors Cenſus ſcutorum 1400. à Patrimonio Familiæ ab Altemps poſt diuturnam litem recuperata anno 1736. unà cum fructibus in ſcutis 1300., proindeque poſtulabant, ut hæc Sacra Congregatio, prævio receſſu à deciſis dd. annis 1758., & 1759., decerneret obſervantiam reductionis actæ dicta die 1. Decembris 1725.

Itaque ſub antedicta *die* 20. *Auguſti* propoſito Dubio in hæc verba concepto = *An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum, ita ut ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub diebus* 2. *Septembris* 1758., & 11. *Auguſti*

ſti 1759. *in caſu &c.* = tandem in Congregatione habita *die* 17. *Junii* 1775. reſcriptum illi fuit = *Dilata, & eligatur Peritus judicialis pro firmatione ſtatus* = ut habetur *in Theſ. Reſol. Sac. Cong. Conc. Tom. XLIV. pag.* 35. Hujus Reſcripti virtute deputatus fuit Peritus Ratiocinator, qui ſuam edidit Peritiam, in qua firmavit Statum Bonorum, & reddituum ad præfatas Cappellanias pertinentium. Retulit enim, demonſtravitque, Bona, ſeu Capitalia nunc eadem met eſſe, quæ tunc aderant anno 1725. aucta tamen ex Locis Montium, & Cenſu, in quo reinveſtita fuerat Sors *tàntum* Cenſus ſcutorum 1400.

Quò verò ad redditus, quinque efformavit illorum decennia, quot ſunt ab anno 1725. ad annum 1774., & ex eis liquet, fructus tùm Bonorum, tùm Locorum Montium maximam paſſos fuiſſe diminutionem, ita ut in ultimo decennio per totum annum 1774. fuerit introitus ſcutorum 2558. 02. $\frac{1}{2}$, exitus verò ſcutorum 1981. 70. $\frac{1}{2}$, factaque peculiari ſubductione, introitus ſuperavit exitum *in ſcutis* 57. 63., quibus in æquas partes diviſis, quilibet Cappellanus habuerit anno quolibet *ſummam ſcutorum* 28. 81.

Animadvertendum tamen eſt, præfatum exitum ultimi decennii ſcutorum 1981. 70. $\frac{1}{2}$ componi, prout etiam in omnibus aliis antecedentibus decenniis, tùm ex debito *quotidianarum Miſſarum* in ſcutis annuis 72., tum ex debito *Utenſilium* in annuis ſcutis decem; Nec non ex ſumptibus actis *pro manutentione Cappellæ* S. Hilarii; ex ſumptibus *Litium*; itemque ex *ſalariis* ſolvi ſolitis Procuratori, Ratiocinatori, & Exactori; rursùs ex impenſis *reparationum* factarum in Bonis ſtabilibus ad Beneficia pertinentibus; ſimiliter ex *diverſis expenſis in genere*; pariterque ex *dislocationibus*; ac demùm *ex nominibus* etiam *Debitorum*, quæ inexigibilia aſſeruntur. Quo poſito, reliqua ſcuta 28. 81., quæ, dempto quotidiano Miſſarum, & Utenſilium onere, demptiſque pariter omnibus expenſis certis, & incertis, ordinariis, & extraordinariis, ſuperſunt, referri videntur ad onus *tàntum* Servitii Chori, quod eiſdem Cappellanis præſcriptum fuit in illius reductione facta de anno 1725., in qua decretum fuit, quòd = *teneantur ambo, impoſterum etiam intervenire omnibus horis Matutinis in Dominicis Menſium Julii, Auguſti, Septembris, & Octobris, atque alter-*

alternatim per Hebdomada prima Feria ſecunda Quadrageſimæ, uſque ad Dominicam Palmarum = .

An autem ea reſidualia ſcuta 28. 81. pro hoc dumtaxàt implendo onere ſervitii Chori, ut ſupra reducti, ſufficiant, vel locus ſit Miſſarum reductioni ad eam quantitatem præſcriptam in Decreto hujus Sacræ Congregationis dicto anno 1725., cujus executionem, & obſervantiam poſtulant Cappellani in eorum Libello de more circumferendo, munus erit EE. VV. definire ſub originario Dubio, quod iteratò proponitur.

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum, ita ut ſit ſiandum, vel recedendum a deciſis ſub diebus 2. *Septembris* 1758., *&* 11. *Auguſti* 1759. *in caſu &c.*

Negative, & perſiſtendum eſt in Deciſis.

Seſſ. 22. *cap.* 6. *de Reform.*

BONONIEN. Hujus Cauſæ ſpecimen datum fuit *in Folio Congregationis* habitæ *die* 14. *nuper elapſi menſis Februarii*, in qua propoſito Dubio = *An, & quomodo ſit locus confirmationi Concordiæ* =, quam iniverant Gubernatores pii Conſervatorii, & Sodalitii S. Mariæ *del Baraccano* Bononiæ cum Parocho S Juliani ſuper reſiduo hæreditatis Alexandri Guicciardini per ipſum relicto dictæ Eccleſiæ S. Mariæ *del Baraccano* ad effectum illud erogandi in tot Miſſarum celebratione, quod reſiduum compertum ſubindè fuit aſcendere ad conſpicuam ſummam ſcutorum 8000., Eminentiſſimi Patres reſponderunt = *Negative* =

Hinc iidem Gubernatores novas porrexerunt preces *SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO fæliciter Regnanti*, poſtulantes, ut ipſis poteſtas fieret ex dictis ſcutis 8000. tradendi Parocho S. Juliani ſcuta 2000. ad effectum ea inveſtiendi in Bonis ſtabilibus, ſeu Cenſibus in Civitate, vel Territorio Bononienſi, onere tamen adjecto tot celebrandi Miſſas in ejus Parochiali Eccleſia in expiationem Animæ Teſtatoris Guicciardini ad rationem eleemoſynæ manualis, quot erunt redditus Inveſtimentorum, nec non apponendi vel in pariete ejuſdem Parochialis Eccleſiæ, ſine tamen præjudicio ipſius Ornamentorum, vel in illius Sacrario Lapidem referentem hujuſmo-

juſmodi ſublevamen Parochiæ datum, ut ſucceſſoribus Parochis perpetuò innoteſcat onus huic largitioni adjectum, & per ipſos adamuſſim implendum.

Reliqua verò ſcuta ſexmille pariter inveſtiendi in Cenſibus, ſeu Bonis ſtabilibus in Civitate, ſeu Territorio Bononienſi ſitis, & cum illorum fructibus geminas quotidianas celebrandi Miſſas in Suffragium Animæ Teſtatoris ad rationem ſimiliter eleemoſynæ manualis, unam ſcilicet in ipſa Eccleſia S. Mariæ *del Baraccano*, alteramque in Oratorio privato ſupradicti Conſervatorii eidem Eccleſiæ adnexi pro Puellarum commodo diebus dumtaxàt feriatis, & diebus feſtis in Oratorio Sodalitii *del Baraccano* pariter Eccleſiæ adhærentis, & ſi quid ex fructibus iſtorum Inveſtimentorum ſupereſſet, id totum erogandi in manutentione aliarum Puellarum in eodem Conſervatorio recipiendarum juxta hujuſmodi reſiduales redditus.

His novis precibus remiſſis ad hanc Sacram Congregationem, Cauſa proponitur, inſtantibus Gubernatoribus Sodalitii, & Conſervatorii S. Mariæ *del Baraccano*, qui eorum nova jura deducunt de more circumferenda. Jura verò, & rationes, & votum Emi Archiepiſcopi, quæ in Cauſa ſunt, repeti poterunt ex *Folio dictæ Congregationis* habitæ *die* 14. *Februarii proxime præteriti benigniter reaſſumendo*. Dubium eſt.

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Affirmative pro erectione trium Cappellaniarum cum oneræ Miſſæ quotidianæ celebrandæ unius in Eccleſia Parochiali S. Juliani, & aliarum duarum in Eccleſia S. Mariæ de Baraccano ad rationem manualis, detractis utenſilibus, & fiat inveſtimentum in Locis Montium. In reliquis negative, & ſervetur diſpoſitio Teſtamentaria, nempe cum reſiduali ſumma celebrentur tot Miſſæ manuales, facto verbo cum SSmo.

IMO-

Seſſ. 22. Decr. de obſerv., & evit. in celebr. Miſſ.

IMOLEN. UTENSILIUM. Petrus Paulus Bellingambi Imolenſis anno 1699. condito Teſtamento, quo deceſſit, univerſales ex Aſſe ſibi ſcripſit hæredes tres ejus filios maſculos Nicolaum, Joſephum Mariam, & Angelum Mariam. Inter Bona, quæ Teſtator poſſidebat, aderat Poſſeſſio, ſive Latifundium jugerum centum triginta ſex circiter ſitum in Commune nuncupato *d'Ortodonicho*, & *di Caſola Canina*, ſuper quo particularem adjecit diſpoſitionem. Defunctus enim voluit, quòd de hoc Latifundio Filii, ejuſque Nepotes ex Filiis naſcituri eſſent hæredes dumtaxàt uſufructuarii in infinitum: Extincta verò ipſorum linea, tunc ſuper dicto Latifundio deputavit Congregationem compoſitam ex quatuor Nobilibus Imolenſibus ſorte extrahendis, qui deberent illius adminiſtrationem aſſumere, fructus percipere, eoſque deponere in Æde Sacra Pietatis Imolæ, & inveſtire in Bonis Stabilibus uſque ad ſummam ſcutorum quatuor millium; quo abſoluto Multiplico, voluit, quòd ex illius, & Latifundii fructibus onus haberet electa Congregatio celebrationis demandandæ in Eccleſia Patrum Minorum Reformatorum Conventus Imolæ, in qua Teſtatoris Cadaver tumulatum fuit, octo Sacrorum quolibet die cum eleemoſyna pro unoquoque Sacro obulorum duodecim.

Voluitque pariter, quòd = *ogni cinque anni ſi ſpenda per carità ſcudi dieci, o dodici in apparati, o altre coſe per ſervizio della Sagreſtia de medeſimi Padri dell'Oſſervanza, e in caſo di gran biſogno di eſſa, dò licenza alli Signori della Congregazione di qualche volta accreſcere al detto Legato, e carità maſſime avendo degli avanzi* =. Caſu autem, quo Patres prædicti vel nollent, vel non poſſent antedicta præſcripta celebrare Sacra, tunc juſſit, ut illi de inſtauranda Congregatione ſupplicarent = *li Padri Guardiani, che ſaranno pro tempore ad avere la bontà di ſopportare l'incommodo, che vadino altri otto Religioſi a celebrare le ſudette Meſſe giornali nelle loro Chieſe* = vel ſaltem illorum medietas, nimirum pro quatuor quotidianarum Miſſarum celebratione.

Quatenus verò id etiam obtineri non poſſet cauſa = *del continuo conſumo de ſuoi Apparati, o dal non volere li Padri ſervirſi degl'Apparati, che adopraſſero li Preti, quanto al conſumo de medeſimi voglio, che ſi dii per carità alla loro Sagreſtia, quanto ſtimaranno ben fatto, e doverſili li Signori della Congregazione & in apparati, o*

in danari al ſuo Signor Sindico , o d'anno in anno , o in altro tempo ſecondo vorrà il Padre Guardiano , o ſuoi Padri, che vedranno eſſere preſente, o vicino il biſogno della ſudetta loro Sagriſtia. Quanto al non volere adoprare gli apparati come ſopra, a queſti ſi può provedere ogni volta, che loro Padri voleſſero dare la commodità di fare un poco di Sagreſtia ſeparata dalla ſua , alla quale ſi potrebbe fare gl'apparati neceſſarj per la celebrazione delle ſudette Meſſe , mà in tal caſo ſi avverta , che gli Apparati ſudetti voglio , ſi faccino di robba ordinaria , e con ſpeſa ordinaria , ad effetto che non ſi dii tanto danno alla Congregazione nel ſminuire le Meſſe a cauſa delle ſudette ſpeſe facendoſi tanto eccеſſive = ſubditque , quòd hiſce non obſtantibus Utenſilium expenſis = *tanto voglio , ſi dii per elemoſina per ciaſcheduna delle ſudette Meſſe bajocchi dodici* .

Teſtatoris linea in univerſum defecit , itaut in executionem illius voluntatis quatuor Viri Nobiles Imolenſes electi fuerint , & ab ipſis Multiplicum ſcutorum 4000. à Teſtatore volitum fuit etiam abſolutum , fultque pariter à Patribus Minoribus Reformatis incæpta Miſſarum celebratio . Conſiderans autem Syndicus antedictorum Patrum , charitativum ſubſidium ſcutorum decem , vel duodecim , quod Teſtator pro Utenſilibus ſubminiſtrari juſſit quinquennio quolibet , nimis eſſe detrimenti Sacrario dictæ Eccleſiæ pro quotidiana Miſſarum octo celebratione , inſtitit urbanè penes Congregationem Bellingambiam , ut Utenſilia ſolverentur juxta taxam Synodalem ad rationem ſcilicet obulorum duorum pro qualibet Miſſa : Vèrum cum idem Syndicus nihil aſſequi potuerit à mox dicta Congregatione , idcircò preces porrexit *Sacratiſſimo Principi* , ut præciperet , quòd ex fructibus Latifundii , & Multiplici , & ex aliis ſuperextantibus redditibus Bellingambiæ hæreditatis ſubminiſtrentur Sacrario pauperrimorum Patrum utenſilia nedum pro Miſſis jam celebratis , ſed etiam pro illis inpoſterum celebrandis .

Ablegatis precibus ad hanc Sacram Congregationem , auditus de more fuit Eminentiſſimus Imolenſis Antiſtes , qui retulit , quòd ſupplicatio Syndici , = *et ſi prima facie juxta verborum corticem voluntati Petri Pauli Bellingambi Teſtatoris contraria videatur , in ſpiritu tamen , & quatenus juxta leges cujuſdam æquitatis introſpiciatur , aliquali rationabili arbitrio digna judicabitur* = fuitque

propterea in Voto = *Syndici Apoſtolici petitionem, non quidem juxta rigoroſam Taxam obulorum duorum pro qualibet Miſſa titulo Utenſilium regulandam cenſerem, ſed mitius agendo erga hæreditatem tam benevoli Benefactoris ad rationem obuli unius pro qualibet Miſſa, tam quoad Miſſas in præteritum celebratas, quàm impoſterum celebrandas.*

Contra Votum Eminentiſſimi Epiſcopi, & contra Syndici petitionem inſurgit Congregatio Bellingambia, ſuſtinetque, nulla deberi Utenſilia, quoties ea Patres Minores Reformati jam habent in obulis duobus ſupra manualem eleemoſynam obulorum decem pro qualibet Miſſa, ac ulterius Utenſilium titulo percipiunt quinquennale ſubſidium ſcutorum decem, vel duodecim à Teſtatore præfinitum.

Verumtamen pro celebrandis octo quotidianis Miſſis, quæ anno quolibet aſcendunt ad Miſſarum numerum 2896., videtur impar pro Utenſilibus quinquennale ſubſidium ſcutorum decem, vel duodecim, idcircò vis ſtat in ponderanda voluntate Teſtatoris, utrum ſcilicet in taxanda eleemosyna obulorum duodecim pro qualibet Miſſa compræhendere quoque intellexerit Utenſilium expenſam, ita ut obuli decem ſint pro Celebrante, reliqui duo pro Eccleſiæ Sacrario, quando Teſtator litteraliter, & expreſsè non ſemel, ſed bis, terque, quaterque, & in quolibet caſu, in caſu ſcilicet, quo Miſſæ celebrentur ab ipſis Patribus Minoribus Reformatis, ſive ab aliis Præsbyteris Regularibus, vel Sæcularibus, ſive in una, ſive in alia Eccleſia celebrentur, voluit, quòd eleemoſyna cujuslibet Miſſæ eſſe deberet obulorum duodecim, providitque pariter Eccleſiam de neceſſariorum Utenſilium expenſa, quam Syndicus imparem eſſe contendit.

Ponderandum itidem eſt, utrum Utenſilium expenſas ſubire debeat Conventus, qui fruitur eleemoſyna ſupra manualem obulorum decem utcumque taxata ab ipſomet Teſtatore, ſeu potius Conventus, vel Religioſi adigere debeant hæredem Fundatoris, ut ſolvat Utenſilia, ſi de illis Teſtator non meminerit, vel ſupplementum tradat, & pro qua taxa, ſi Teſtator imparia Utenſilia reliquerit.

Concors eſt Doctorum Sententia, Utenſilia Sacrario Eccleſiæ, in qua Miſſarum celebratio adimpleri debet, eſſe

per-

perfolvenda in ea ſumma vel à communi uſu Loci, vel Eccleſiæ, vel à Taxa Synodali præſcripta ex traditis per *Urſay. tom.* 4. *part.* 2. *diſcept.* 22. *num.* 67., & *tom.* 5. *part.* 2. *diſceptat.* 26. *num.* 14., *Paſqualig. de Sacriſic. nov. Leg. tom.* 2. *quæſt.* 968. *num.* 4., *Piton. de controv. Patron. allegat.* 54. *num.* 36., & *alleg.* 100. *num.* 165., & *Monacell. Formular. Legal. for. Eccleſ. part.* 4. *num.* 181.

Sacra Congregatio in caſu, quo res ſit de perpetuis Cappellaniis cum quotidianarum Miſſarum celebratione ad rationem eleemoſynæ perpetuæ, definivit, Utenſilia eſſe ab ipſis met Cappellanis ſolvenda in ſcutis quatuor quolibet anno, ut videre eſt *in Romana* propoſita *die* 26. *Aprilis* 1727., & reſoluta *die* 10. *Maii ejuſdem anni*: In caſu verò, quo agatur de Eccleſia peculiares habente redditus pro Sacris ſuppellectilibus inſtruendis, decrevit, teneri Cappellanos ad ſolutionem Utenſilium Sacriſtiæ ad rationem unius obuli pro qualibet Miſſa, ut habetur *in Auximana diei* 23. *Februarii* 1726.: Ac demùm in caſu, quo Teſtator pro Utenſilibus imparem ſummam reliquerit, condemna- tum voluit hæredem Teſtatoris pro ſupplemento uſque ad ſcuta quatuor pro qualibet Cappellania perpetuum, & quotidianum Miſſarum onus habente, ut *in Romana Utenſilium* 11. *Aprilis* 1739., in qua diſputato Dubio = *An augumentum uſque ad ſcuta quatuor pro qualibet Cappellania debeatur ab Hærede, ſeu potius à Cappellanis in caſu &c.* = reſponſum fuit = *Affirmative quoad primam partem, & negative ad ſecundam.*

Ab Adminiſtratoribus pii Operis Bellingambi jura circumferuntur. A Conventu Patrum Minorum Reformatorum nihil habuimus. Dubium eſt.

An, & à quo tempore ſit locus præſtationi Sacrorum Utenſilium, ſeu potius illorum ſupplemento, & in qua ſumma in caſu &c.

Negative in omnibus.

Sess. 21. cap. 6. de Reform.

SANCTI SEVERINI. Ad vacantem anno 1769. Parochialem Ecclesiam S. Annæ Castri Frontalis Sancti Severini Diœcesis præelectus in Concursu fuit Sacerdos Dominicus Laettus ætatis annorum 58., qui in pluribus aliis Diœcesibus jam alias Parochiales Ecclesias rexerat, pluraque Officia Ecclesiastica obierat. Vix capta ejusdem Parochialis possessione, statim ab Episcopo Sancti Severini electus fuit anno 1770. in Vicarium Foraneum, necnon sequenti anno 1771. fuit deputatus in Concionatorem quadragesimalem Castri Frontalis, & sequenti anno 1772. similiter in quadragesimalem Concionatorem Castri Ficani, ac demum anno 1773. fuit à Firmano Inquisitore deputatus Pro-Vicarius Sanctissimæ Inquisitionis S. Officii pro Castro Frontali, aliisque Castris eidem adnexis.

Anno verò 1774. dum idem Sacerdos Laettus in Congregatione S. Philippi Neri Recinetensi se receperat cum venia Episcopi S. Severini, & cum istius amplissimo testimonio, Laettum nec suspensum, nec processatum, nec aliquo canonico impedimento irretitum esse, deputato in sui locum pro Animarum Curæ exercitio Sacerdote Josepho Bertoni, Pater Franciscus Minottus ex Ordine Minorum Conventualium, qui eò anno 1774. quadragesimales Conciones in dicto Castro Frontalis habebat, innumeris datis tam ad Episcopum, quàm ad Vicarium Generalem litteris acriter invexit contra dicti Parochi Laetti mores velut impudicam, scandalosamque vitam ducentis, summoperè instans, ipsum à Parochiæ exercitio perpetuò excludi, & Oeconomum deputari, imo nec minis pepercit, ut voti compos fieret. Ut autem de impictis criminibus constaret, transmisit Pater Minottus ad Episcopum tres Fœminas, quæ in extrajudiciali depositione per Vicarium Generalem excerpta de inhonestis sermonibus, tactibusque in proprias Personas deposuerunt.

Hisce plenè fidens Episcopus illico in Oeconomum deputavit illummet Sacerdotem Josephum Bertone, qui à Parocho Laetti fuerat substitutus, & in Visitatione Sacrorum Liminum anni 1774. exposuit Sacræ Congregationi, dictum Parochum Laettum non tam in suo Officio desidem esse, sed etiam scandalosum, diffamatumque, proindeque Oeconomum deputasse, cui tamen augendam fore congruam, ac perpetuò dictum Laettum arcen-

cendum esse à Curæ exercitio, rogans sibi præscribi, = *quid in hoc rerum statu ad hujus inter cæteras septempedanæ Diœcesis frequentioris Parochiæ utilitatem tuto aggredi valeam, vestra innixus auctoritate ad illos etiam declinandos judiciales circuitus, & forenses apices, quibus non raro malum, quin eliminetur, potius obtegitur* = : Respondit autem hæc Sacra Congregatio sub die 5. Augusti 1775. his verbis = *de Ecclesia Parochiali S. Annæ Castri Frontalis, quam suò Parocho etiamnum destitutam esse scribis, Sacra Congregatio nil aliud statuendum censet (quod ad se ipsam pertinet) nisi ut illius Ecclesiæ Oeconomo propria congrua omnino tribuatur, quoad ipsi Ecclesiæ titularis Parochus ritè, legitimeque constituatur. Quod autem pertinet ad prædictum Laettum Tuæ Episcopalis æquitatis, prudentiæque erit, quid facto opus sit, statuere.*

Conquesto Parocho Laetto coram hac Sacra Congregatione de impicta sibi incontinentia, deque sua diffamatione, nec non de injusta, ac irregulari sua expulsione à Parochiæ exercitio, auditus fuit Episcopus, ut expulsionis causas referret, qui statim ad eas verificandas Commissarium ad Castrum Frontalis transmisit, à quo duodecim interrogati fuerunt Testes tùm super Parochi moribus, tùm super illius fama. Hoc itaque Testium Processu jam ad Sacram Congregationem delato, duo nunc postulat Parochus Laettus, *alterum*, ut revocetur appositio Æconomi, ipseque reintegretur ad suæ Ecclesiæ regimen, & *alterum*, ut sibi reficiantur damna obventa tùm ex dicta appositione Æconomi, tùm ex sua expulsione, quam nullam, injustam, & calumniosam fuisse propugnat.

Ad *primum* animadvertit, rem modò esse de perpetua sui expulsione à Parochiæ regimine, & exercitio ope deputationis Æconomi: Hanc fere nihil à vera, & effectiva privatione differre, cum utriusque eadem sit vis, & idem effectus. Tuetur enim, dictam expulsionem nullam esse, & spoliativam utpotè factam se non citato, nec interpellato, nec defenso, nec audito, nec monito, unde omnia abroganda esse, omniaque in pristinum restituenda *Cap. Conquerente 7. de Restit. Spoliat.*, & *Rota in Vilnen. Parochialis 4. Julii 1763. §. 3. cor. Emo D. Card. De Zelada.*

Addit, tria ad privationem, seu perpetuam suspensionem requiri, nempe *causam gravem*, *concludentem illius probatio-*

bationem, & *canonicam ſervatam formam*. Hæc autem omnia in caſu deficere ſuſtinet Laettus. Nam ex Concilio Tridentino non quævis incontinentia, vel inhoneſta converſatio, vel etiam fornicatio, & concubinatus juſtam privationis, aut ſuſpenſionis cauſam præbet, ſed unicè ea, cui præceſſerit trina monitio *Seſſ.* 21. *cap.* 6. *de Reform.*, & *Seſſ.* 25. *cap.* 14. *de Reform.*, ideoque deficiente in præſenti caſu quavis monitione, nunquam ſub prætextu incontinentiæ, & concubinatus juſtam privationis, vel ſuſpenſionis cauſam haberi docet *Barboſ. ad Concil. Trident. Seſſ.* 25. *cap.* 4. *de Reform. num.* 5., & *in Cracovien. Parochialis ſuper bono jure* 22. *Junii* 1767. §. 5. *coram Illmo Guerra*.

Multoque magis deeſſe ſuſtinet Laettus alterum *concludentis probationis* extremum. Ait enim, hìc agi de criminando Sacerdote, & Parocho, nec non de gravi infligenda pæna perpetuæ expulſionis, unde nonniſi Teſtes omni exceptione majores audiendos eſſe firmat *Rota in Friſingen. Parochialis* 14. *Martii* 1714. §. *Magis coram bo. me. Card. Scotto*. Hujus autem generis contrarios Teſtes non eſſe contendit, quoniam dictæ tres Fæminæ ſunt undique viliſſimæ, diffamatæ, ac inhoneſtæ: Alii verò Teſtes de fæce Plebis ſelecti ſunt, criminoſi, & inquiſiti, nec non, pendente recurſu, examinati: Sacerdos verò Bertone hodiernus Æconomns deponit ad proprium commodum, ne ab Æconomia repellatur: Omnes inſuper privatim, & occultò, ſe nec audito, nec vocato, nec interpellato examinati fuerunt. Jure proinde hos omnes repellendos, & reiiciendos eſſe ex firmatis per *Rotam coram Anſald. deciſ.* 766. *num.* 8., & *in Plocen. Parochialis* 7. *Junii* 1743. §. 2. *coram bon. mem. Lana*. Plura demùm congerit contra Epiſtolas Patris Minotto, quas de infenſo odio, de mendacio, & de vindictæ ſpiritu notat.

Deeſſe pariter inquit extremum *Canonicæ formæ*; nam trinam præcedere debere monitionem unà cum ſubtractione fructuum, antequam ſuo Beneficio quis ſpoliari, vel ſuſpendi poſſit, ut ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 21. *cap.* 6. *de Reform.*, & *Seſſ.* 25. *cap.* 14. *de Reform.*; Verum cum nulla monitio præceſſerit, nulla fructuum ſubtractio, nullumque præceptum, arguit, omnia ob non ſervatam Canonicam formam eſſe infirmanda, & revocanda *Rota in Vilnen. Parochialis* 4. *Julii* 1767. §. 4. *coram*

ram Eño De Zelada , & in Cracovien. Parochialis ſuper bono Jure 22. Junii dicti anni 1767. §. 4. coram Illño Guerra .

Ex hiſce concludit . improbandam eſſe uti nullam , & injuſtam Æconomi appoſitionem , ſeque reintegrandum eſſe ad Parochiæ regimen , & exercitium ; Nec umquam obeſſe prætenſam diffamationem . Hanc enim penes probos Viros deeſſe , hanc calumniis excitatam , & hanc injuſtam , & calumnioſam eſſe , proptereaque jure ſpernendam *Rota in Plocen. Parochialis 3. Junii 1743. §. 8. coram bo. me. Lana , & in dicta Vilnen. Parochialis §. 11. coram Eño de Zelada .*

Ad *ſecundum* advertit ſibi eſſe reficienda omnia damna , quæ propter nullam , injuſtamque expulſionem à Parochiæ exercitio , & adminiſtratione illata fuerunt *ad Text. in Cap. Conſtitutum 8. de Fil. Præsbyt.*

A Promothore Fiſcali licèt monito nihil habuimus , Epiſcopus in ſua Informatione poſt repetitam ignaviam Parochi Laetti in exercendo munere Parochiali , ejuſque diffamationem in Caſtro Frontalis concludit = *Fateor quippe nos modò non in eo eſſe probationum genere , ut Orator ſit ſuo proinde titulo exauctorandus . Aſt quis dixerit , aut ſibi ex animo ſuadere poterit , Parochum hunc jampridem Populo inviſum , & inutilem , ex turpi poſterum ſuborta diffamatione etiam ſcandalorum non futurum ? Quid boni ad Animarum ſalutem , quæ fruges ex illius verbo , quæ Plebis devotio erit ab eo expectanda ? Quid ſi Parochiani , ut nonnulli jactitant , Sacramenta ab illo recipere detrectaverint ? Nonne perneceſſe videtur , Æconomi ope eſſe in hoc rerum ſtatu ſupplendum ? Nonne , & in veſtris ad me Litteris ſub die 5. Auguſti elapſi anni humaniſſimè datis eidem Æconomo propriam omninò congruam eſſe tribuendam reſcripſiſtis ? Quod unicè remedii ſupererat , id ex reſignatione cum reſervatione Penſionis expeti poterat . Aſt in prædicto meo Poſtulato enatas hac de re difficultates intellexiſtis , quas licet ſuperari contingat in eo , quod ad Datariæ praxim ſpectat , vereor tamen ne Parochus in ſuſcepto conſilio perſiſtat .*

Vetus Legum pæna contra Clericos incontinentes , fornicarios , aut concubinarios erat perpetua depoſitio , ſeu à Clero dejectio tàm Juſtinianeo jure ſancita *Leg. Sacris Canonibus Cod. de Epiſc. & Cler. , Novell. 6. cap. 5. , & cap. 29. , & Novell. 128. ,* quàm Sacris Canonibus

comprobata, atque ad dimidium usque XII. Sæculi usu recepta, ut de primis sex Sæculis testatur *Divus Gregorius Magnus Epist. 26. ad Januarium Episcopum Calaritanum lib. 3. Epist.*; de Sæculo verò VII. *Martinus I. Epist. ad Amandum Traject. Episcopum tom. 6. Conc. ult. edit. pag.* 383.; de VIII., & IX. *Nicolaus I. In Decret. tit. de Presbyt.*, de Sæculo tandem X. XI., & XII. *Alexander II.*, *& Innocentius II. dist.* 28. *Can.* 9., *dist.* 81. *Can.* 6. 10. 11. 16. 17. 18., *&* 29.

Postea à tempore nempe Alexandri III., qui Pontificatum sustinuit ab anno 1159. ad 1181., temperato rigore depositionis, seu dejectionis à Clero, hic ordo servari cepit, videlicet, ut ad certum tempus suspenderentur tàm ab Officio, quàm à Beneficio respectivè; Augente verò malitia, seu contumacia, post trinam monitionem à communione quoque Fidelium, donec resipiscerent, arcerentur *Cap.* 2. *ad* 6. *tit. de Cohabit. Cleric.*, *& Mulier.*

Tandem verò juxta sanctiones Sacri Concilii Tridentini, si res sit de Clericis Beneficiatis sine cura Animarum, ne raptim propriis Beneficiis, ac redditibus priventur, hic ordo gradatim servandus præscriptus fuit, ut si post primam monitionem, & quidem personalem, à damnato consortio se non abstinuerint, tertia parte fructuum ipso jure priventur: Et si post secundam expletam monitionem nec etiam resipuerint, omnes fructus amittant, & ab administratione Beneficiorum suspendantur: Ac demùm si ita suspensi in eodem delicto adhuc perseveraverint, tunc Officiis, & Beneficiis privarentur, subindeque excommunicationis gladio plecterentur *Sess.* 25. *cap.* 14. *de Reform.*

Secus autem præscriptum habetur quoad privationem Parochorum turpiter, & scandalosè viventium. Hi enim postquam *moniti*, *& puniti* fuerint, si adhuc in nequitia perseveraverint, illico privari jussit *Sess.* 21. *cap.* 6. *de Reform.* ibi = *Eos, qui turpiter, & scandalosè vivunt, postquam præmoniti fuerint, coerceant, atque castigent, & si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos Beneficiis juxta Sacrorum Canonum Constitutiones privandi facultatem habeant.*

His positis, inquirendum primò est, an constet de incontinentia Parochi Laetti. De inhonestis tactibus deponunt dictæ tres Mulieres: Cæteri verò Testes unicè de turpiloquiis,

loquiis, de assidua conversatione cum Mulieribus, de diffamatione, & negligentia in Parochiali munere exercendo. Inquirendum item est, an, deficiente quavis monitione, ac privatione, rite, recteque juxta Conciliarem Sanctionem illicò nec monitus, nec auditus fuerit ipse suspensus à propria Parochia, eidemque Æconomus deputatus.

Eminentissimi Patres ea, qua ornantur, juris sacri peritia decernent.

I. *An sustineatur appositio Æconomi, seu potius Parochus Laetti sit reintegrandus ad regimen suæ Ecclesiæ Parochialis in casu &c.*

II. *An sit locus refectioni damnorum, & in qua summa in casu &c.*

ALBEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Bartholomeus Calavarone ex Oppido Cairi Alben. Diœcesis in suo ultimo Testamento condito anno 1642. legati titulo reliquit Cappellæ sub invocatione Sanctissimæ Annunciationis erectæ in Ecclesia Patrum Minorum de Observantia ejusdem Oppidi Ducatos argenteos 220. ex pretio trium designatorum Prædiorum retrahendos, adjecta tamen Lege, ut si ex illorum pretio ea Ducatorum 220. quantitas retrahi non posset, teneretur hæres, quod deesset usque ad dictam Ducatorum quantitatem de proprio supplere: Jussit etiam hanc summam investiri, ac Investimenti fructus ascendentes ad annuos *Ducatos sexdecim cum dimidio* præstari Patribus Minoribus de Observantia unà cum Eminis tribus *Frumenti*, & Rubris sex *Vini*, injuncto onere eisdem Patribus celebrandi quatuor Missas hebdomadarias; At verò hoc renuentibus Patribus accepto ferre Legatum, facultatem attribuit hæredi alios eligendi Religiosos pro dicti Missarum oneris implemento. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Defuncto Testatore, iidem Patres se abstinuerunt ab acceptatione Legati, sive quia ex dicto Capitali Ducatorum 220. haberi non poterant annui Ducati 16. cum dimidio alterius Ducati, sive quia hic redditus impar foret ad onus quatuor Missarum hebdomadalium ferendum.

Hinc tàm primus, quàm alii ſucceſſores hæredes dictum onus Miſſarum per beneviſos Religioſos, & Sacerdotes impleverunt. Modò verò Jacob del Campo mediatus hæres ſupradicti Teſtatoris ad conſulendum perpetuitati oneris ſe paratum exhibet enunciatam ſummam Ducatorum 220. inveſtimento dare. Sed cum hujus reditus impares longe ſint oneri quatuor Miſſarum hebdomadalium, preces dedit pro ejuſdem oneris reductione.

Auditus Vicarius Capitularis retulit, rem eſſe de Legato nondum acceptato, *& taxative* relicto in dicta ſumma Ducatorum 220.: concluditque = *Quapropter arbitror nullo modo melius conſuli, ac proſpici poſſe perpetuo injuncti oneris implemento, niſi petita Miſſarum imminutione, quam & ipſi exoptant Fratres Minores de Obſervantia, quibus ſolummodo intereſt negotium, quæ imminutio ſi ad ſummam 220. nummorum ab Inſtitutore ſtatutam ſcutis Romanis 163. reſpondentem, ex qua nunc fructus quatuor tàntum pro quolibet centenario percipi poteſt, accommodanda, & moderanda eſt una tantum Miſſa in ſingulas hebdomadas, ſi verò proventus ab initio conſtitutos nummorum videlicet ſexdecim cum dimidio ſcuta Romana duodecim vix excedentium, quod magis Inſtitutoris voluntati conſonum exiſtimo, binæ erunt conſtituendæ.*

Edito ſub *die* 19. *Julii ſuperioris anni* 1777. Reſcripto; quòd = *Vicarius Capitularis referat inſpecto ultimo decennio, quanti æſtimari poſſit annua præſtatio frumenti, & Vini aſſignata à Teſtatore Bartholomeo Colaverone, & ab ejus hæredibus præſtanda Patribus Obſervantibus* = idem Vicarius tranſmiſit decennalem calculum obſignatum ab Archipræsbytero, & Secretario Communitatis, ex quo habetur, Legatum frumenti ad ſcutum 1. 84., alterumque vini ad obulos 95. annualiter aſcendere. Nunc itaque preces renovat Jacobus hæres unà cum Patribus Obſervantibus pro reductione dicti oneris ad unam tantùm Miſſam hebdomadariam.

Inquit enim, Legatum Ducatorum 220. non demonſtrativè, ſed taxativè fuiſſe relictum, quoties illud incipit ab aſſignatione quantitatis, non autem ab onere, *Rota in Romana Supplementi, & Applicationis* 11. *Junii* 1731. §. *Tunc coram clar. mem. Card. Aldrovando, & in Romana Salviani* 16. *Februarii* 1753. §. 8. *coram clar. mem. Card. Molino*. Claram inſuper concurrere voluntatem Defuncti, qui unicè de præſtandis Ducatis 220. ſollicitus

fuit,

fuit, uniceque hæredem coegit ad ſupplendum de proprio in caſu, quo ex deſignatis Fundis ea quantitas haberi non poſſet. Hinc concludit, nedum hæredem cogendum eſſe ad ſupplendum, ſed onus etiam ad ratam redituum eſſe minuendum ad *Text. in Leg. Si quis ff. de Legat.* 2.

Saſtinetque pariter, ex redditibus inveſtiendi Capitalis Ducatorum 220., nec non ex legata annua præſtatione frumenti, & vini vix haberi poſſe annua ſcuta 9. 20.. Hanc autem quantitatem vix eſſe parem ad eleemosynam unius Miſſæ hebdomadariæ ad rationem perpetuæ; Qua de re totum onus ad eamdem unicam Miſſam eſſe reducendum: Addit, rem eſſe de Legato perpetuo nondum acceptato, proindeque illius eleemosynam non juxta manualem, ſed juxta perpetuam eſſe ſtatuendam: Et in hanc ſententiam convenire Patres Minores de Obſervantia intereſſe habentes, nec non & ſuum hoc eſſe judicium.

Sanè cum quantitas deſignata fuerit impar oneri implendo, agaturque de eo minuendo, vel de augenda pecunia legata, communis diſtinctio eſt inter onus per Contractum, & onus per ultimam voluntatem injunctum. Primo caſu onus implendum eſt integrum, utcumque quantitas impar ad opus implendum evaſerit *Rota in Ravennaten. Salviani* 16. *Februarii* 1753. §. 10. *coram clar. me. Card. Molino*, & hæc Sacra Congregatio *in Maceraten. Oneris Miſſarum* 15. *Novembris* 1687., *in Montis Politiani* 3. *Septembris* 1716., *& in Bergomen. Reductionis Miſſarum* 10. *Julii* 1728., niſi tamen Contractus manifeſtam iniquitatem ſecumferat, ita ut ad æquitatem redigi debeat ad terminos *L. Cum quidam de Uſur.*

At verò quatenus onus non ex Contractu, ſed ex ultima voluntate procedit, tunc alteri fit locus diſtinctioni, nimirum aut quantitas *taxative* relicta eſt, & tunc onus minuitur *Leg. ſi quis ff. de Legat.* 2., aut *demonſtrative*, & eo caſu, firmo manente onere, hæres de proprio ſupplere debet *Leg. Quidam ff. de Legat.* 1.. Dicitur enim *taxativè* relictum, quando Legatum incipit ab aſſignatione Fundi, vel quantitatis, & deinde ſubſequitur onus *Rot. in Romana Supplementi, & Applicationis* 11. *Junii* 1731. §. *Tunc coram Aldrovando*: Dicitur autem *demonſtrative*, quando incipit ab onere, & aſſignatio Fundi, vel ſpeciei, vel quantitatis adjungitur *Rot. cor.*

Anſald. deciſ. 795. *num.*7., & *in Urbevetana Legati* 3. *Decembris* 1753. §. 6. *cor. cl. mem. Card. Buſſio*, niſi tamen ex toto Diſpoſitionis contextu contraria voluntas Teſtatoris appareat, *Rota in dicta Romana Salviani* 16. *Februarii* 1753. §. 8. *cor. Molino*.

Ubi autem Legatum Bartholomæi Teſtatoris cenſeri debeat *taxative* relictum, ita ut hæres ſupplere non teneatur, ſubintrare videtur altera inſpectio, quomodo ſcilicet ea reductio fieri debeat. Atque hinc ponderandum eſt, quòd ex dicto Capitali Ducatorum 220. reſpondente ſcutis Romanis 163. pro eorum fructibus ad rationem ſcutorum quatuor in ſingulis centenis vix haberi poteſt annua ſumma ſcutorum 6. 41., cui addito etiam valore præſtationis *frumenti*, & *vini* juxta decennalem calculum, vix in totum habentur annua ſcuta 9. 20. prorsùs imparia ad præſcriptam Miſſarum celebrationem. Similiter inquirendum eſt, ad quam rationem nunc fieri debeat illarum reductio, nùm ſcilicet ad manualem, vel potius ad perpetuam, cum res ſit de Legato nunquam agnito.

Sacra Congregatio in una *Prænestina* relata inter Summaria Precum *die* 15. *Junii* 1709., poſtulante Sacerdote Hieronymo Roſati reductionem oneris Miſſarum, Vicario Generali commiſit, ut præfatum onus juxta proportionatam extantium reddituum quantitatem ad rationem eleemoſynæ perpetuæ, inſpecto Regionis more, pro ſuo arbitrio, & conſcientia reduceret, ut *in lib.* 59. *Decret. pag.* 217.

Item in *Romana* inter ſupplices Libellos relata *die* 6. *Februarii* 1734. inſtantibus Prælato, & Deputatis Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis, reſcripſit = *Pro facultate acceptandi Loca Montium Cameralium Communitatum, & pro reductione ad rationem oneris Miſſæ perpetuæ* = Ac demum *in Nepeſina Reductionis Onerum diei* 24. *Julii* 1734. propoſito Dubio = *An, & quomodo ſit locus reductioni onerum in caſu &c.* = reſpondit = *eſſe locum reductioni ad rationem eleemoſynæ perpetuæ, facta obligatione non petendi in poſterum aliam reductionem.*

Dignabuntur itaque Eminentiſſimi Patres decernere:

An, & quomodo ſit locus reductioni oneris Miſſarum in caſu &c.

MESSA-

MESSANEN. Simon della Abella in Teſtamento, quo deceſſit, condito *die* 18. *Martii* 1357. hæredem univerſalem inſtituit Monaſterium S. Placidi, mandavitque = *quòd dictum Monaſterium teneatur, & debeat de redditibus omnibus Bonorum meorum anno quolibet cuidam Præsbytero eligendo per Fratres dicti Monaſterii celebraturo continuè Divinum Officium in dicta Eccleſia S. Mariæ Nuntiatæ pro Animabus mei, & Aloyſiæ Sororis mei, & Mannæ Uxoris mei Uncias auri tres.* *Seſſ. 22. cap. 6. & Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

Item Paulus de S. Andrea Meſſanenſis in ſuo ultimo Teſtamento exarato *die* 18. *Aprilis* 1404. ita diſpoſuit = *Volo, & mando, quòd in Eccleſia mea ſita in Vinea mea de Faro ſub vocabulo S. Catharinæ habeat Cappellanus ipſius Eccleſiæ Auguſtales decem Centivalium meorum, prout hactenus habuit à me tempore vitæ meæ pro celebratione Divini Officii celebrandi annuatim in eadem Eccleſia, annuatim, & in perpetuum, nec non quamdam Vineulam ſeparatam ab alia Vinea mea, quæ vocatur la Vigna delle Pighe, quæ erat Salmarum* 12. *Vini pro ſuſtentatione vitæ ipſius Præsbyteri celebrantis Divina in eadem Eccleſia in perpetuum.*

Denique Gratia Camiſcia Vidua Gerardi Camiſcia in ſupremis ſuis Tabulis ſcriptis *die* 5. *Septembris* 1404. ſuæ mentis arbitrium his verbis declaravit = *do, & mando, & concedo Religioſo, & honeſto Viro Fratri Benedicto de Aſtaſio Venerabili Abbati Monaſterii S. Placidi pro ſe, & Succeſſoribus ſuis nomine dicti Monaſterii in perpetuum quamdam Vineam cum Domibus ſitam, & poſitam in Contrata Caliſpera, cum lege, quòd dicti Abbas, & Conventus anno quolibet in perpetuum teneantur dare Sacerdoti celebraturo in Altari dictæ Gratiæ Donatricis intus Eccleſiam S. Nicolai Archiepiſcopatus Maſſanæ uncias auri duas.*

Tria hæc Legata pia, ſeu Beneficia nunc poſſidet Canonicus Joannes Baraſtrelli Meſſanenſis. Is enim cum comperiiſſet, ut aſſerit, prædeceſſores Beneficiatos nullum onus impleviſſe, quia putarunt, ad nihil aliud ſe teneri, niſi ad *DEUM* orandum pro Animabus Fundatorum, non autem ad Miſſas pro eis celebrandas, hinc ipſe ex præmiſſis Fundationibus, quarum verba, ſenſus, & intellectus ſuboſcuri ſunt, religione percitus, cupiens ſerenitati propriæ conſcientiæ conſulere, humiliter poſtulat, ut per hanc Sacram Congregationem in re-

adeo

adeo ancipiti declaretur, cui oneri tàm ipſe, quàm Succeſſores in dictis Legatis piis, vel Beneficiis ſatisfacere teneantur. Atque hinc advertit, Monaſterium S. Placidi, quod eſt *primi* Legati Simonis della Abella Patronus, per octo ſicula milliaria abeſſe ab Urbe Meſſanenſi, & ab eo pro Legato nunc exigi *ſcuta ſeptem*, & *obulos* 20. Eccleſiam verò ſitam in Vinea de Faro in vocabulo Sanctæ Catharinæ, de qua in *ſecundo* Legato Pauli de S. Andrea, ab eadem Urbe Meſſanenſi diſtare duodecim milliariis ſiculis, necnon modò non exigi primam ejuſdem Legati partem, quæ erat alligata celebrationi Divini Officii, exigi verò ſecundam ex pretio Muſti *in ſcutis decem*. Tandemque pro *tertio* Legato Gratiæ Camiſciæ modò percipi dumtaxàt annua *ſcuta duo*, & *obul.* 40.

Quæ ſuperius relata ſunt, tàm ex ſingulis Fundationibus, quàm ex animadverſionibus relative ad fructus, & diſtantiam reſpectivarum Eccleſiarum comprobavit Archiepiſcopus Meſſanenſis, nullum tamen ſuum expreſſit ſenſum, nullumque votum aperuit, ſed innuit unicè, vel prorſus deperditos, vel quàm maximè imminutos eſſe redditus Beneficiorum, vel Legatorum, quæ poſtremò à Patronis Oratori collata fuerunt.

Videtur enim favore Oratoris militare conſuetudo orandi ſolummodo pro Teſtatoribus; nam cum agatur de interpretandis ultimis voluntatibus dubietatem involventibus, plurimum defertur conſuetudini, quæ etſi jus novum non conſtituat, per eam tamen dubiæ, & ſuboſcuræ Defunctorum voluntates interpretantur *cap. Cum dilectus* 8. *de conſuetud.*, *leg. Si de interpretatione* 137. *ff. de Legib.*, hinc conſtitutum in jure eſt, meliorem probationem haberi non poſſe illa, quæ deſumitur ab obſervantia, prout in caſu, ab anno 1357. ad hæc uſque tempora continuata, quam in re dubia præcipue ſpectandam eſſe declaravit *Rota coram Royas deciſ.* 279. *num.* 12., & *in Rec. deciſ.* 220. *num.* 23. *part.* 11.; his accedit, interpretationem de jure faciendam eſſe contra eum, qui legem poterat apertius exponere juxta *legale axioma* 57. *de regul. jur. in* 6., & in dubiis intelligendum eſt, minus onus fuiſſe impoſitum *ex regula* 9, & 47. *ff. de regul. jur.* amplexa *in cap.* 30. *de regul. jur. in* 6. ſtatuente, minimum in obſcuris eſſe ſequendum.

E' contra verò ponderandum occurrit, quòd antedictæ Diſpoſitiones quatuor fermè ab hinc Sæculis conditæ fue-

fuerunt, eàque propter aliquid tribuendum eſt inſcitiæ Teſtatorum, & Notariorum, qui diſtinctè, & dilucidè proprias, vel alienas voluntates non explicaverint, ut Hæredes, vel Judices certi ſint, quid Teſtatores ſenſerint ſub demandata *celebratione Divinorum Officiorum*. Præſtat enim animadvertere, quòd antiquitus Miſſæ Sacrificium deſignabatur etiam Miniſterii nomine, ut ex *Gonzal. lib.*3. *Decretal. tit.* 38. *num.*4. ibi = *Miniſterium, hoc eſt Miſſæ Sacrificium, quod frequenter Miniſterium appellatur* = & Miſſarum celebratio etiam ſub Officii nomine comprehendebatur, ut poſt *Can. de iis diſtinct.*12. tradit *Paſqualig. de Sacrific. novæ Legis quæſt.* 882. *num.*4. ibi = *Officium namque Divinum, ut modò ſumitur, eſt illud, quod eſt inſtitutum publico modo in Eccleſiis peragendum ad colendum Deum, & orandum pro Populo: Siquidem ad hunc finem ſunt inſtitutæ Eccleſiæ Collegiales cum proventibus Miniſtrorum; præcipua autem pars cultus Divini eſt Sacrificium, & ideo nomine Officii Divini principaliter venit Oblatio Sacrificii conventualiter exhibendum*.

Hactenùs dicta reſpicere videntur diſpoſitiones Simonis della Abella, & Pauli de S. Andrea, non autem diſpoſitionem Gratiæ Camiſcia, quæ nec dubia, nec ſuboſcura videtur, ut intelligatur, ejus voluntatem ad Miſſarum celebrationem fuiſſe directam, dùm reliquit *uncias duas Sacerdoti celebraturo in Altari dictæ Gratiæ donatricis intus Eccleſiam S. Nicolai*. Innuit igitur Gratia Donatrix, ſe de Sacrificiis tàntum rationem habuiſſe. Vis tamen eſt, utrum ipſa in demandanda Sacrificii celebratione, voluerit etiam illius applicationem pro ejus Anima, ſeu potius arbitrio Cappellani reliquerit.

Quamvis enim onus celebrandi Miſſam diſtinctum ſit ab onere applicandi, itaut non repugnet celebratio præſcripta in certa Eccleſia, vel Altari abſque onere applicationis, ex præſumpta tamen Fundatorum mente communiter receptum eſt, quòd Beneficiatus, vel Cappellanus celebrare ſimul & applicare debeat Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in expiationem Animæ Teſtatoris, licèt ſola celebratio præſcripta fuerit juxta Reſolutiones hujus Sacræ Congregationis editas *in Tinen. Applicationis Sacrificii* 18. *Auguſti* 1668., *in Spoletana Applicationis* 11. *Januarii* 1710., *in Senogallien. Miſſarum* 20. *Decembris* 1731., *in Sancti Miniatis Applicationis Miſſæ* 4. *Decembris*

bris 1734., idemque ſtatuit San. Mem. Benedictus XIV. *de Sacrificio Miſſæ lib.*3. *cap.*9.

An autem Orator, & Succeſſores in dictis tribus Legatis piis, ſeu Beneficiis teneantur unicè preces DEO effundere pro Teſtatoribus, ſeu potiùs pro eis Miſſas celebrare, & applicare, & in quo numero, & qua eleemoſyna, munus erit EE. VV. declarare ſimul, & definire.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 16. Maii 1778. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN *ultima* Ampliſſimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 4. *mox elapſi menſis Aprilis* duæ, quæ ſequuntur Cauſæ propoſitæ non fuerunt. Rogamus itaque Eminentiſſimos Patres, ut ad eas definiendas *Folium* ejuſdem *Congregationis* iterum conſulant.

ALBEN. REDUCTIONIS MISSARUM, cujus Caput eſt. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni oneris Miſſarum in caſu &c.

Affirmative ad rationem eleemoſynæ manualis, detractis utenſilibus.

MESSANEN., in qua diſputatur. *Seſſ. 22. cap. 6. & ſeſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Quoad præteritum ad D. Secretarium cum SSmo, quò verò ad futurum teneri Cappellanum celebrare Miſſas in Altaribus a Fundatoribus deſignatis pro intranti quantitate reddituum ad rationem taxæ perpetuæ cum applicatione pro Anima reſpectivorum Fundatorum,

Seſſ.24.cap.18. de Reform.

CAMERINEN. PAROCHIALIS. Placuit Sacro huic Tribunali *in Congregatione* habita *die* 29. *Novembris ſuperioris anni* 1777. in hac Cauſa, cujus Dubium, quod in antecedenti *Congregatione diei* 13. *Septembris* propoſitum fuerat, & quod erat = *An Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ S. Venantii teneatur nominare Vicarium Curatum S. Petri Terræ Belfortis in caſu &c.* = reſcribere = *Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta mentem* = & mens fuit, *quòd requiratur ab Epiſcopo, ut referat an in Terra Belfortis, vel ejus Diſtrictu adſint Familiæ, quæ ſpectarent ad veterem Parochiam S. Petri, quæ ſubinde tranſierint ad Curam Parochi S. Euſtachii.*

Datæ fuerunt opportunæ Litteræ Epiſcopo Camerinenſi. Is enim, audito Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ S. Venantii Civitatis Camerini, auditoque pariter Parocho S. Euſtachii Terræ Belfortis, nec non ſedulò perlectis, ponderatiſque Foliis,& Documentis,quæ tranſmittit ad hanc Sacram Congregationem, acceptis ab utroque, quem audiverat, retulit = *Satis, ſuperque exploratum eſſe, extare adhuc in dicta Terra Familiam Vicomanni modò in tres diviſam Familias deſcendentes ab uno communi Patre jam defuncto, qui vivente ultimo Rectore Pareciæ S. Petri, ad quam is omninò pertinebat, præfatæ Pareciæ S. Euſtachii ſponte ſe ſubdidit, quæ quidem tres Familiæ modò in Territorio dictæ Terræ commorantur.*

Illud unum veriſſimum eſt, quòd ex tranſmiſſis Documentis alterum adeſt à quatuor Civibus obſignatum, ex quo patet, Pareciam S. Petri in extinctionem abiiſſe culpa, injuria, & negligentia poſtremi ejuſdem Pareciæ Rectoris Manicelli; Ex aliis verò conſtat, quòd Parochum S. Petri poſtulant illius Parochiani, illumque petunt Priores Communitatis Terræ Belfortis epiſtola data Epiſcopo Camerinenſi, illumque demùm laudabiliter exoptat Parochus S. Euſtachii, qui tum propter amplitudinem Territorii, tum etiam propter excedentem Animarum numerum in locis præſertim incommodis habitantium incumbere nequit Sacramentis Populo miniſtrandis, ſine quibus, ac ſine alicujus Sacerdotis auxilio, pro cujus manutentione impares ſunt redditus Parochiales, ut pluries evenit, Infirmi deceſſerunt, ob idque poſtulavit, ut Epiſcopus ſuum interponeret officium penes *hanc Sacram Congregationem* pro reintegratione Parochiæ S. Petri, ac pro Parochiarum diviſione, ut par, & diviſum ſit onus prò recto Animarum regimine.

Hinc

Hinc Epiſcopus in ejus poſtrema relatione ſic ait = *Contenta in ſupplici Libello Parochi S. Euſtachii ad me dato undique vera ſunt, ejuſque poſtulatum rationabile prorſus eſt, & EE. VV. approbatione digniſſimum. Eò namque iſtud collineat, ut Animarum regimini, atque ſaluti provideatur, quarum numerus tantus eſt, ut etiam propter nimiam Territorii extenſionem ſufficiens eſſe non poſſit ad illarum curam unicus Parochus* = Subditque = *Quapropter ſi præfatam S. Petri Pareciam reſtaurandam eſſe EE. VV. judicaverint, huic quidem congruam partem alterius Pareciæ S. Euſtachii adjungere eſſet profectò commodum, & opportunum, nam abſque tali ſeparatione una ex iis redundantem haberet Plebem, altera verò pauciſſimas Perſonas.*

Et revera Parochiarum faciendam diviſionem certis limitibus, certoque aſſignato Populo circumſcriptam præſcripſerunt *Sacri Canones*, & in ſpecie *Can.* 17. *cauſ.* 13. *quæſt.* 1., *Can. Plures* 16. *quæſt.* 1., *cap.* 1. *de Paroch.*, præſcripſitque paritèr *Sacroſancta Tridentina Synodus Seſſ.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* ibi = *In iis quoque Civitatibus, ac locis, ubi Parochiales Eccleſiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium Populum, quem regant, ſed promiſcuè petentibus Sacramenta adminiſtrant, mandat Sancta Synodus Epiſcopis pro tutiori Animarum eis commiſſarum ſalute, ut, diſtincto Populo in certas, propriaſque Parochias, unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque Parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & à quo ſolo licite Sacramenta ſuſcipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant.*

Cauſa nunc reproponitur. A Capitulo jurium libellum nondum habuimus. Videant igitur Eminentiſſimi Patres, qua juris ratione, repetita lectione *Folii ſupradictæ Congregationis diei* 13. *Septembris* 1777., expediendum ſit originarium Dubium.

An Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ S. Venantii teneatur nominare Vicarium Curatum S. Petri Terræ Belfortis in caſu &c.

Affirmative, juxta votum Epiſcopi, & amplius.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

FOROSEMPRONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Pius Sacerdos Petrus Bianchi Foroſempronienſis in ejus ultimo, ſub quo menſe Septembris 1776. deceſſit, elogio, de omnibus ſuis Patrimonialibus Bonis, ac etiam de illis, quæ tamquam Cuſtos Oratorii S. Aldebrando dicati, ſitique intra ambitum antiquæ, dirutæque Arcis extra mœnia Civitatis Foroſempronii exiſtentis, quam unà cum ſuis membris, & annexis in Emphyteuſim perpetuam *eidem Oratorio* conceſſerat ſa. me. Benedictus XIV. ejus obſignato Chirographo die 9. Februarii 1746., idem Sacerdos Bianchi acquiſiverat ex piorum Fidelium largitionibus oblatis pro eodem Oratorio, & in augumentum cultus Divi Aldebrandi, ac de univerſa ſua hæreditate univerſalem hæredem inſtituit ejus Animam, præcepitque, ut certis præſcriptis modis, ac formis ſuper omnibus ſuis Bonis, ejuſque redditibus quinque ſimpliciter laicales erigerentur Cappellaniæ, plurimis unicuique Cappellano indictis oneribus majorem honorem S. Aldebrandi, manutentionem Oratorii, Domus, & Eccleſiæ, quæ Oratorio adnexæ fuerant per ipſum propriis ſumptibus è fundamentis ædificatæ, nec non ſpiritualem Animarum ſalutem reſpicientibus, & præſertim quotidianam Miſſam in dicto Oratorio, & in nova Eccleſia celebrandi,

Voluitque demùm, quòd in caſu, in quo Cappellani, ejuſve Succeſſores = *in qualſivoglia tempo, e modo foſſero impediti di eſercitare le loro incombenze in detto Santuario, o ſi tentaſſe di applicare altrove in parte, o in tutto la mia Eredità, come pure di privare tanto eſſi Cappellani della libera diſpoſizione, quanto il detto Ven. Oratorio, e Santuario del perpetuo, e conceſſogli commodo, ed uſo delle mie Supellettili ſagre ancorchè preziose, ed argenti tutti, ed appropriarſene altrove o in tutto, o in parte* = tunc, & eo caſu in tota ſua hæreditate ſubſtituit Communitatem Civitatis Foroſempronii onere adjecto unum eligendi Sacerdotem, qui adminiſtraret Bona ſua hæreditaria, & ex eorum redditibus præſcripta impleret Legata, impleretque Miſſarum celebrationem in ſupradicto Oratorio, impleretque demum plura alia pia opera, quæ Teſtator, hoc adveniente caſu, impleri mandavit.

Vix defuncto Sacerdote Bianchi Teſtatore, inſurrexit Congregatio deputata conſtructioni Fabricæ novæ Cathe-

thedralis Forosempronii, porrexitque preces *SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO fæliciter Regnanti* plura postulans, *primò*, quòd suspendatur executio, & erectio præscriptarum quinque Cappellaniarum cum applicatione omnium reddituum Bonorum hæreditariorum Bianchi favore jam incæptæ Fabricæ supradictæ Cathedralis Ecclesiæ usque ad omnimodam istius absolutionem; *Secundò*, quòd, absoluta Fabrica, reducatur numerus quinque Cappellaniarum ad duas tantùm: *Tertio* demùm, quòd commutata voluntate pii Testatoris, reliquæ tres Cappellaniæ, ejusque redditus erogentur in erectionem geminarum Præbendarum Canonicalium, illæque cum omnibus Argentis, Sacrisque Supellectilibus in eodem Oratorio, & in hæreditate Bianchi repertis transferantur ad Ecclesiam Cathedralem, onere tamen novis Præbendatis indicendo coadjuvandi Parochum in Curæ Animarum exercitio.

Ablegatis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus de more fuit Forosempronienſis Antistes, qui retulit, vera esse ea omnia, quæ Curatores Fabricæ dictæ Cathedralis in precibus exposuerunt, ideoque, transmisso consensu Interesse habentium, fuit in voto petitioni conformi = *salvis tamen semper remanentibus Mobilibus pretiosis Oratorio quæsitis, & eorum usu occasione Solemnitatum favore Cathedralis arbitrio Episcopi*.

Jura hæreditaria, & opus pium relictum à Sacerdote Petro Bianchi tuentur illius Executores Testamentarii: Jura verò Fabricæ Cathedralis Ecclesiæ sustinent illius Curatores. Duo tamen *in Facto* videntur animadvertenda: *Primum*, quòd cum consensus sub die 11. Novembris 1776. requisitus fuisset a Communitate Forosempronii, ut supra substitutæ, nullum aliud jus habente, nisi eveniente casu suæ substitutionis eligendi Sacerdotem pro hæreditatis administratione, eadem Communitas assensum præstitit spe ducta assequendi jus nominandi Canonicos ad geminas Præbendas Canonicales erigendas ex redditibus duarum, vel trium supprimendarum Cappellaniarum.

Rursus cum fuisset etiam requisitus consensus à quinque Cappellanis à Testatore nominatis, folium ejusdem consensus sub die 8. Januarii 1777, obsignarunt tres tàntum Cappellani, *Philippus* scilicet *Tabarini*, *Andreas Germani*, & *Aloysius Dolfini*, quorum postremi remotissimum jus habent ad assequendam quartam, quintamque

assi-

assignatam Cappellaniam erigendam tamen post, quàm hæreditas, facto cum tenui Capitali Multiplico, perventa fuisset ad sortem scutorum sexmillium; reliqui verò duo Cappellani, nimirum *Balthaxar Casoli*, & *Paschalis Casoli* ad secundam, & tertiam Cappellaniam nominati, quorum Familiæ specialem prælationis in nominatione prærogativam attribuerat ipse Testator, nullum præstiterunt assensum, quemadmodum nec etiam patet, auditum, vel assentitum fuisse *Petrum Paoloni*, cujus filiis Descendentibus fuerat jus passivum quoque collatum.

Et *alterum*, quòd pro Fabrica sæpedictę Cathedralis Ecclesiæ plura millena scutorum de mandato Rev. Cameræ Apostolicæ tradita fuerunt à Subcollectore spoliorum ex spolio Apollinaris Peruzzini defuncti Forosempronienſis Episcopi: Itemque modernus Episcopus, prævio Chirographo SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI sub datum diei 12. Martii 1777., habuit à Mensa Nummularia S. Spiritus scuta 6000. in eamdem Fabricæ causam eroganda, impositа singulis Locis Piis illius Diæcesis taxa annuorum scutorum 783. 10. per decennium solvenda ad effectum reintegrandi præfatam Mensam Nummulariam S. Spiritus de acceptis scutis 6000.

Prætermittimus hic exscribere, quæ facti sunt, circumstantias, & rationum momenta ab utraque Parte disputata, ne Folium in volumen excrescat. Ea enim perlegere poterunt Amplissimi Patres in respectivis earum Libellis de more circumferendis, ut cognoscant.

An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis bo. me. Petri Bianchi in casu &c.

Negativè.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

NULLIUS, SEU NONANTULANA REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Oppidum Crevalcorii situm in Territorio Abbatiæ S. Silvestri Nonantulę unicam habet Parochialem Ecclesiam Divo Stephano dicatam. Hac jam fatiscente, auctoque Oppidanorum numero, Præpositus Jacobus Gavioli preces SACRATISSIMO PRINCIPI NOSTRO dedit pro amplioris Ecclesiæ reædificatione, addiditque folium, in quo plures modos, seu plura media propo-

fuit

fuit ad opus istud perficiendum. Data fuit ab OPTIMO PRINCIPE cognitio hujus petitionis Amplissimis Patribus. Auditus Eminentissimus Abbas veras esse Præpositi preces confirmans suum hac de re animi sensum aperuit.

Duo hisce in precibus sedulò discutienda occurrunt, necessitas nimirum, & ratio, seu modus perficiendæ reædificationis. Necessitatem comprobant tum Emus Abbas, tum Visitator ab eo delegatus, qui loci faciem inspexit, auditisque in unum congregatis Clero, Magistratu, Prioribusque octo Sodalitiorum in eodem Pago existentium, luculenter agnovit, communia esse universi Populi vota pro Ecclesiæ reædificatione, agnovitque simul, Ecclesiam nedum in dies pessum ire, sed etiam eam adeo angustis limitibus esse circumscriptam, ut in eadem ob maximum Incolarum incrementum nec dimidia quidem contineatur Populi pars, nec divina officia decenter valeant exerceri; Quæ in causa esse videntur, ut gravissimas reparationis expensas censeat Eminentissimus Abbas fere inutiles esse ad Populi commodum, & Divini cultus incrementum. Eàque propter si fatiscens Ecclesia prorsus inutiles reddit restaurationis expensas, nec Dei cultus, universique Populi pia vota congruum assequi possunt adimplementum, jam necessaria amplioris Ecclesiæ facienda constructio satis evincitur *ex Can. Præcipimus* 16. *quæst.* 1., *Piton. de controv. Patron. alleg.* 12. *num.* 29.

Quomodo autem reparari, vel refici debeat Ecclesia præsertim Parochialis, differtis verbis mandavit, præcepitque Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.* ibi = *Parochiales verò Ecclesias, etiamsi juris patronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quòd si nimia egestate omnes laborent, ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur cum facultate tam dictas Parochiales, quàm alias Ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi* = ; cui Conciliari sanctioni consona est *Institutio* 100. *sanmem.*

mem. Benedicti XIV. , in qua fusius de hac agitur materia.

Constat enim , præfatam Parochialem Ecclesiam nullos habere Fabricæ redditus , nec ullum in ea esse Jusparonatum , & unicam esse illius Oppidi Paræciam . Præpositus licèt uberes non habeat redditus , se tamen paratum exhibet ad imponendum Censum in sorte scutorum biscentum super Bonis Ecclesiæ , facienda obligatione quotannis deponendi scuta decem pro ejusdem Census redemptione . Communitas verò dicti Oppidi quamvis ære alieno satis gravata , obtulit scuta quatuorcentum , quæ fuisset numeratura , si facultas ei facta esset ab Assumpteria Regiminis Bononiæ , cui subest in temporalibus , à qua tamen facultas subinde petita Communitati negata fuit . Parochiani demùm utcumque impares ad opus explendum ob gravem , qua premuntur , inopiam , nihilominus in spem certam adduxerunt Præpositum contribuendi scuta quatuormillia, computatis cæmentis, operibusque præstandis . Aliquod etiam subsidium Oppidani se ab Emo Abbate recepturos confidunt .

Hisce tamen rationibus adhuc reædificationi haud satis consultum esse videtur . Nam expensæ pro Fabrica ad scuta undecim , vel duodecim millia ascendunt , uti , auditis Peritis , refert Eminentissimus Abbas . Animadvertendum est , quòd sæpe sæpius pro Ædibus construendis impar est præfinita pecuniæ quantitas : Insuper pro ædificata Ecclesia congrua etiam dos in ejus reparationem , & cultum est assignanda *cap. Nemo* 9. *distin.* 1. *de Consecrat.* . Aliud igitur proponitur medium , quod unicum supereſse dicitur ad opus istud perficiendum . Octo sunt in illo Oppido Sodalitia , quæ habent annuos superextantes redditus in summa scutorum circitèr sexcentum, ideoque proponitur illud unicè examinandum , utrum magis expediat , vel supprimere quatuor ex dictis octo Confraternitatibus , eorumque Bona in expensis Fabricæ erogare , quoniam in earum aliquibus propter Confratrum deficientiam sacræ Functiones decentèr exerceri non possunt , vel ipsas omnes ad aliquam annuam præstationem ex superextantibus redditibus adigere , seu potius , ut insinuat Præpositus , cum in ipsa Parochiali Ecclesia quatuor ex ipsis sint erectæ Confraternitates , quarum una tantùm sub invocatione Sanctissimi Sacramenti inservit illius associationi , ista excepta , utrum cæteræ , in quibus Confratres verè deficiunt , supprimendæ sint ,

nàm

nàm omnes ejuſdem ſunt Inſtituti, recitandi ſcilicèt Officium B. M. Virginis omnibus feſtivis diebus.

Et quamvis putaret Eminentiſſimus Abbas, = *non incongruam fore enunciatam ſuppreſſionem* =, Attamen ad omnem evitandam perturbationem melius, & utilius judicaſſe illas, rejectis tamen conditionibus, ſub quibus pecuniarum obtulerunt auxilium, ne poſt incæptum opus aut lites exoriantur, aut aliquod ſuperveniat impedimentum, quod Fabricæ proſecutionem ſuſpendat, = *gravare in annuis ſcutis quatuorcentum pro decurſu annorum vigintiquinque, quoniam ad hanc circiter ſummam aſcendit earumdem Confraternitatum oblatio, & certiſſimum eſt, quòd diſtributo proportionabiliter inter ipſas tali onere, earum quælibet exuberantes habebit redditus, quemadmodum recognitum jam fuit* = ſubditque pariter, quòd = *ex tali imponenda contributione in decurſu annorum vigintiquinque habebitur ſumma ſcutorum decem millium, cui additis aliis ſcutis quatuor mille, quæ Parochiani, ſeu Populus obtulit, additaque aliqua alia ſumma, quam Communitas, & Præpoſitus contribuere non renuunt, computari valet Capitale ſcutorum quindecim millium circiter. Proindeque conſultum erit expenſis Fabricæ, quæ calculantur in ſcutis undecim mille circiter, & conſultum quoque erit cuicumque ſuperveniendo in Fabricæ elevatione infortunio, ſeu majori diſpendio; & ſi aliquid ſupererit, in ſacras Supellectiles erogari poterit.*

Hæc autem omnia, ut ritè, rectèque impleantur, cenſuit Eminentiſſimus Abbas, delegandum eſſe ejus Vicarium generalem, vel aliam Eccleſiaſticam Perſonam, eique facultates injungendas repartiendi inter Sodalitia, juxta unius cujuſque vires, dictam annuam præſtationem, nec non invigilandi Fabricæ delineationi, elevationi, & perfectioni, capiendique pro ipſius effectu quamcumque neceſſariam proviſionem.

Novum ſane non eſt, Confraternitates, quæ partem Populi conſtituunt, vocari in partem oneris Populo incumbentis, præſertim ſi accedat Sodalium aſſenſus *Criſpin. de Viſit. Paſtor. part. 2. num. 5.*, & *Baſſ. de Sodalit. Miſcellan. num. 31.*, ubi refertur, quòd Sacra Congregatio Epiſcoporum Regularium *in Veſtana* 16. *Martii* 1604., & *in Cornetana* 28. *Junii* 1645., decreverit, deficientibus Eccleſiæ redditibus, & attenta Canonicorum inopia ad Cathedralis reparationem nedum Confraternitates concurrere debere, ſed ipſa etiam Ho-

ſpitalia prout *in Sarzanen.* 5. *Februarii* 1602. . Præterea Sacra hæc Congregatio *die* 3. *Februarii* 1776. pro reſtauranda Eccleſia Priorali S. Marci Terræ Pergulæ ejuſdem Abbatiæ Nonantulanæ conceſſit applicationem tertiæ partis ex redditibus ſuperextantibus Societatis Sanctiſſimi Crucifixi nuncupatæ S. Vitalis ejuſdem Terræ, & Pareciæ, Sodalibus ipſis aſſentientibus, *ut ex lib.* 126. *Decret. pag.* 225.

Sodales octo Confraternitatum Terræ Crevalcorii oblationes renovant, ſed conditiones eiſdem adjectas ſervandas eſſe poſtulant. Quibus omnibus ex juribus à Sodalibus, & à Præpoſito circumferendis perpenſis dignabuntur EE. VV. decernere.

An, & quomodo ſit locus reædificationi Eccleſiæ Parochialis in caſu &c.

Affirmative ad primam partem, & quoad ſecundam ad Mentem a D. Secretario Emo Abbati communicandam.

Seſs. 22. *decr. de obſer.,& evitan. in celebr. Miſſæ, & ſeſs.* 22. *cap.* 8. *de Refor.,& Seſs.* 13. *cap.* 6. & 8. *de Sacr. Euch.*

GROSSETANA. In Civitate Groſſeti jam diù erectum ſub titulo Annunciationis Bmæ Virginis reperitur Noſocomium, cujus œconomicum Regimen priſcis temporibus a Rectore Magni Hoſpitalis Senenſis S. Mariæ de Scala nuncupati pendebat, a quo tamen ex facto Magni Ducis Ætruriæ per diviſionem inferioris maritimæ a ſuperiori Senarum Provincia disjunctum fuit, ita ut a proprio nunc Præſide ſeorſim adminiſtretur. Illius autem conſtitutio ejuſmodi eſt = *che reſta in un angolo della Città vicino alle di lei mura: Ha un piccolo Campanile con ſua Campanella, per dare il ſegno, quando vi ſi celebra la Santa Meſſa, ma ſolamente nelle feſte: Vi è una ſola Infermerìa, che immediatamente communica colla Porta pubblica eſteriore, ed in fondo di quella vi è un Altare dedicato alla Santiſſima Vergine Annunziata, a cui per l'avanti in tutte le feſte ſi celebrava la Santa Meſſa, che vedeva dirſi, e ſi aſcoltava da tutti gl'Infermi ivi giacenti. Ora in queſto Altare vi ſi celebra ſolamente ogni anno la feſta Titolare della Santiſſima Annunziata, e dal Parroco della Cattedrale vi ſi canta la Meſſa.*

Cum enim Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non ſine magno incommodo, & aliquo interdum periculo, noctis præſertim tempore, ad ægrotos deferendum eſſet

ab

ab Eccleſiis aliquantulum remotis, ſive Fratrum Min. S. Franciſci Conventualium, ſive Cathedralis, intrà cujus Paræciæ limites Groſſetanum Hoſpitale conſurgit, & penes quam Spiritualis Infirmorum cura reſidebat, Eques Hyeronimus Pannellini Rector Magni Noſocomii Senenſis San. Mem. Benedicto XIV. ſupplicavit, ut in Groſſetano Valetudinario Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per Cappellanum aſſervare liceret. Parochus Cathedralis petitioni aſſenſum præbuit ea lege = *quòd tam modernus* (ſunt verba Benedictini Brevis), *quàm pro tempore exiſtens Cappellanus, ſeù Noſocomii, aut Hoſpitalis prædicti Præfectus dictum Euchariſtiæ Sacramentum Granciario vulgò nuncupato, aliiſque de ejus familia nunquam adminiſtrare pòſſit: dictus Granciarius, ac alii de ejus familia Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum de manu Cappellani Curati Præpoſiti hujuſmodi, QUI ILLUD AB ECCLESIA CATHEDRALI SUSCIPERE DEBEBIT, ſumere teneantur, ſed dictus Cappellanus, ſeu Præfectus ejuſdem Noſocomii, ſeu Hoſpitalis Illud infirmis in eo degentibus, ac illorum, & Noſocomii præfati Miniſtris, & inſervientibus, SI CONTINGAT ÆGROTARE, etiamſi non in dicto Noſocomio, ſed in manſionibus domus, quæ nuncupat. Granciæ ſæpedicti Noſocomii, ſeu Hoſpitalis, exiſtentibus dumtaxat adminiſtrare poſſit*. Revera laudatus Pontifex ſub die 4. Septembris anni 1755. = *ſalvis juribus Parochialibus, & firma remanente ſemper auctoritate Epiſcoporum pro tempore viſitandi enunciatam Cappellam jure ordinario, CUM CONDITIONIBUS EXPRESSIS precibus benignè indulſit*.

Ea conceſſa facultate = *di poter ritenere ſempre in quella Infermeria il Santiſſimo Sagramento; pensò il memorato Rettor Pannellini di erigere un nuovo Altare in altra ſtanza a parte ſegregata, per potervelo cuſtodire colla maggior decenza, e riſpetto. Queſta ſtanza è in fine della ridetta Infermeria = A CORNU EPISTOLÆ = così ritirata però, che gli Infermi non poſſono ne vedere, ne ſentire il Sacerdote, che celebra la S. Meſſa, ſe non la celebri a gran voce. Vi è in oltre la ſua porta, che ſi chiude a chiave per ogni maggior cautela del Sagramento*. In hoc rerum ſtatu variæ nuper ſubortæ quæſtiones a Rectoribus, & Uffi-cialibus hujuſce Groſſetani Hoſpitalis ampliſſimo huic Ordini ſunt ad definiendum propoſitæ.

Primo enim ambigitur, an prædicti Noſocomii Cappella, in qua toto anni curſu celebratur, excepta Titularis feſtivi-

ſtivitate, perfectè publica ſit habenda, unde non ſolum Infirmis, ac Miniſtris ægrotantibus, ſed omnibus etiam devotionis gratia eò confluentibus Sacramenta valeant adminiſtrari. Epiſcopus, qui requiſitus enarrata ſuperius confirmat, arbitratur = *doverſi conſiderare queſta Cappella, come privata di un Luogo pubblico; nè poterviſi amminiſtrare i Santiſſimi Sagramenti della Penitenza, e Communione, fuori che agli Infermi, ſenza la licenza eſpreſſa dell'Ordinario riſpetto ad altre perſone da concederſi ſolamente in alcune circoſtanze ſpeciali, Tanto viene ſtabilito nel Sinodo di queſta Dioceſi al cap. 5. de Sacramento Eucariſtiæ, in cui ſi tratta delle Cappelle, e Oratorii pubblici, che non ſiano Parochie, o Chieſe de Regolari*. Id autem maximè confirmat ab exceptione jam expreſſa in Brevi prælaudati Pontificis Bened. XIV., ſed tamen opinatur = *che l'Ordinario poſſa dare licenza, perchè i Miniſtri, e gl'Inſervienti ricevino, o ſiano loro amminiſtrati i detti due Sagramenti di Confeſſione, e Communione, e ſpecialmente per qualche cauſa legitima, e. g. di non poter abbandonare gl'Infermi, di piccola malattia, o convaleſcenza, e ſimili*.

Porrò inter privata, & publica Oratoria Canonicum diſcrimen compertum eſt, quòd ſcilicet privatum auctoritate privata, vel ex Indulto Pontificis cum reſtrictione pro quibuſdam perſonis erectum ſit, adeoque nec ſacer, nec religioſus habeatur locus, utpote ad profanos uſus redigibilis: *Cap. Ad hæc*, ubi Repetentes communiter, *de Religioſis domibus, Gloſs. in Can. Eccleſiaſtico, verbo ſi terram* 13. *quæſt.* 1., *Fagnan. in* 3. *decretal. Cap. Auctoritate de Granciis num.* 8., *Pignat. Tom.* 1. *Conſ.* 91. *num.* 3., *Rota deciſ.* 30. *num.* 8. *part.* 2. *Recent.*. Publicum e contrà Illud nuncupatur, & eſt, quod ſive Pontifice, ſive Ordinario tacitè ſaltem auctorante, divino cultui eſt perpetuò dedicatum, quodque idcircò profanationi ad libitum ſubjacere non debet. *Can. nemo, Can. ſi quis etiam, Can. Placuit de conſecr. diſtinct.* 1. *Eminentiſſimus Petra commentar. ad Conſtitut. Apoſt. Tom.* 1. *pag. mihi* 391. *num.* 76. & *ſeq.*, *Fagnan. in Cap. auctoritate, de cenſibus num.* 1. 2. & 17., & *in Cap. ad hæc de Religiosis domibus num.* 1. *Pignat. loc. cit. num.* 22., & *ſeq.* Quòd ſi de Canonica erectione in propoſita facti ſpecie dubitetur, ad indicia, & characteres publicas Eccleſias ut plurimum indicantes Doctores confugiunt. Publicum namque sècundum jura illud dicitur, quod = *publico uſui deſtinatur* = *L. ſed celſus, & L. Pacta conventa §. Papinianus*

nus ff. de contrahenda emptione : Et publicum consequenter illud Oratorium censetur , cujus janua immediate in viam publicam respicit , & quod in privatas ædes aditum non habeat , vel in Monasteriis , aliisque Ecclesiasticis locis fuerit ædificatum : *Cap. cit. Ad hæc de Religiosis domibus , Fagnan. loco supra citat. num.* 24. *& seq.* , *Barbos. in Conc. sess.* 22. *cap.* 8. *de Reform. num.* 22. Ita revera Clemens XII. Episcopo Placentino= *si Cappella prædicta publico in loco sita sit , ejusque porta viæ publicæ adjaceat* = & ita sensit Sacra hæc Congregatio *die* 13. *Novembris* 1626. *lib.* 13. *decret. pag.* 128. In quo tamen animadvertendum est , ingressum in privatas domos non reddere Oratorium privatum , quoties publicum simul pateat ostium ; aliàs multæ Parochiales etiam Ecclesiæ eo nomine privatæ essent existimandæ , ut ad rem notat *Pignat. loc. cit. num.* 28. *& seq.* , *Monac. part.* 2. *Tit.* 13. *form.* 2. *n.* 41. , *Gattico de Orat. domestic. Cap.* 3. *n.* 9.

Neque obstare videtur in casu , quòd interius cubiculum Nosocomio Grossetano adnexum pro Oratorio inserviat, in quo cæteris anni diebus , præter festivitatem Annunciationis B. V. , Sacrum peragitur ; ad illud enim non per privatum , sed per publicum locum , per ipsum Hospitale fit transitus . Fortius verò præsumptio crescit , quòd publicum sit Oratorium , dum alia concurrunt signa , quæ in nostro themate prostant , qualia sunt Campana in Turri elevata , ac pulsata , & diei festi Titularis celebratio commissa per Parochum Cathedralis privativè canenda , quamvis ad ipsius Valetudinarii Altare , quod publicam januam spectat . *Eminentissimus Petra Tom.* 1. *ad Constit. II. Paschal. II. sect.* 1. *num.* 78. *& 79.* , *Gattic. cap.* 3. *a num.* 1. *ad* 13. , *Fagnan. in V. decret. Cap. Patentibus de Privileg. num.* 3. , *Pignat. loc. cit. num.* 5. 9. 12. *&* 24. , *& Tom.* 4. *consult.* 21. *n.* 1. Hinc sacer hic Senatus *in Compsana diei* 31. *Maii* 1704. Oratorium licet in Aula Baronis constitutum propter argumenta publicæ erectionis , præsertim Campanulam erectam , ufficiaturam , ac celebrationem festivitatis S. Joannis Baptistæ Titularis publicum existimant , ut *lib.* 54. *decret. pag.* 216. , & jam *die* 18. *Febr.* 1628. cum de facultate celebrandi dubitaretur in Hospitali Fratrum Congregationis S. Joannis de Deo , primò definierat = *prohibitionem hac de re editam ad Oratoria in Hospitalibus constituta non pertinere*=, adeòque Cappellas in Nosocomiis erectas non comprehendi in Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Decreto Missas in privatis Oratoriis vetante , sed

eas

eas nomine religiosæ Domus venire, & Ecclesiarum privilegiis frui concludit *Gattic. Cap.*16. *num.*13. *& seq.*; *ac Fagnan. in V. decretal. num.*23.

Inde penderet solutio, an Sacramenta Poenitentiæ, & Sanctissimæ Eucharistiæ omnibus indiscriminatim in Grossetani Hospitalis Oratorio valeant ministrari, cum id ex Rituali Romano, dempta necessitate, non in privatis Cappellis, sed in publicis Ecclesiis dumtaxat licere edoceamur; prout statuit etiam S. Carolus *in Primo Mediolanen. Conc. Part.*2. *cap.*6., & advertit *Gattic. cap.*49. *num.*1. 3. *&* 12., ac resolvit amplissimus hic Ordo *die* 29. *Augusti* 1761. *in Toletana Visitationis Oratorii*. Liberum est enim Sacerdotibus non Parochis etiam Regularibus in Ecclesiis Eucharistiam petentibus impertiri, si dies Resurrectionis excipiatur, dummodo sciant ab illorum manibus eam sumentes aliis diebus intra duas hebdomadas Palmarum, & Paschatis, annuo Communionis præcepto se non satisfacere. Quod eadem Sacra Congregatio declaravit *in Mechlinen. anno* 1682., ut annuit Benedictus XIV. *de Synod. Dioeces.lib.*9. *cap.*16. § 3. At ponderandum, etiamsi Nosocomii Grossetani Oratorium publicum censeatur; utrum mox dictæ libertati obsit, ac prævalere debeat limitatio, cum qua Parochus illud a Cathedrali quodammodo dismembrari consensit, & cum qua Pontifex Opt. Max. Sanctissimæ Eucharistiæ asservandæ privilegium indulsit; & an in Pontificii Brevis restrictione Missæ tempus comprehendatur, ita ut post Communionem Sacerdotis saltem ex eadem victima, ut inquiunt, extranei quoque Sacratissimo Angelico Pane refici possint; id, quod Eminentissimi Patres pro summa, qua pollent sapientia definient.

Rursus animadversione dignum videtur, Ministros, aliosque Hospitalis servitio addictos, qui, si benè valeant, in Apostolicis Litteris pariter excipiuntur, aliquando fore impeditos, quin pro Sacramentis recipiendis ad Cathedralem accedere possent, adeoque rationabile videri, ut in memorato Oratorio, salvis juribus Parochi pro implemento Paschalis præcepti, Communionem a Cappellano valeant accipere.

Altera, quæ proponitur, dubitatio est, an quilibet in sæpedicta Cappella Missam festis diebus audiendo propriæ satisfaciat obligationi. Grossetani Antistitis sententia est = *che possino tutti i Fedeli soddisfare al precetto ascoltandovi la Messa ne' giorni festivi*. Equidem in Oratoriis privatis, ultra comprehensos in Pontificio Indul-

to,

to, coeteros Sacro intereſſentes Eccleſiaſtico præcepto non ſatisfacere norunt omnes, & apertiſſimum eſt Clementis XI. Decretum anni 1703. *perſonas quaſcumque dictas Miſſas audiendo, nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere.* E contra in publicis Oratoriis, in locis firmiter Deo dicatis, in Cappellis Hoſpitalium Miſſæ audiendæ onus impleri nemo inficiatur ad tradita per Eminentiſſimum Petra *Commentar. ad Conſtitut.* 8. *Honorii III. num.* 50.

Tertiò tandem inquiritur an Ordinarius decernere poſſit, quòd, exceptis Infirmis, atque Miniſtris, cæteri ſolemnioribus ſaltem anni feſtivitatibus Miſſæ intereſſendi præceptum in dicti Hoſpitalis Oratorio minimè adimpleant, ſuper quo hæc habet Epiſcopus = *Parrebbe doverſi dire, che poſſa l'Ordinario eccettuare le maggiori ſolennità dell' anno, nelle quali tutti gli altri* [*fuori che i Miniſtri, ed Inſervienti*) *non poſſino ſoddisfare al Precetto di aſcoltare la Santa Meſſa, perchè in tali giorni ſolenni conviene, che ſiano frequentate le Chieſe pubbliche, e particolarmente la Cattedrale, e Parocchie.* Certum revera eſt, Ordinarium in erectione Oratorii etiam publici dies celebrationi præſcribere poſſe, vel eos præfinire, in quibus Fideles omnes ibidem ſacrificiis præſentes Eccleſiaſticæ pareant Legi, nam etiam Innocentius XIII., dum Noſocomio Pauperum Leproſorum, aliorumque miſerabilium Infirmorum Urbis conceſſit, ut in ejus privato tamen Oratorio una Miſſa pro quibuſcumque intereſſentibus valitura celebraretur, hanc adjecit limitationem =*ut in ſolemnioribus anni feſtis diebus alii præter pauperes Infirmos prædictos, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia minimè liberi cenſerentur.* Vèrum poſt erectionem liberè, & Canonicè factam, dubitandum valdè, quatenus Oratorium publicum cenſeatur, an Epiſcopus contra conſuetudinem pluribus ab hinc ſæculis inductam, & multis Pontificiis Conſtitutionibus roboratam valeat ejuſmodi declarationem emittere. Quidquid enim ſit de veteri Eccleſiæ diſciplina, optandum eſt, ac perutile, Catholicos frequenter in Parochialem Eccleſiam convenire, in qua Paſtoris proprii & Miſſam, & vocem audiant; Sed ad hoc ex Sanctæ Tridentinæ Synodi ſanctione hortandi ſunt, nullo modo cogendi, eiſque hodiè liberum ſit etiam in Oratoriis modò publicis Miſſæ intereſſe; ejuſque præceptum quandocumque occurrens in eis implere, veluti fusè, ac eruditiſſimè de more animadvertit Benedictus XIV. *de Synodò Dioeceſana lib.* 11. *cap.* 14.

cap. 14. *per tot.* nec ab Ordinariis Populum impediri posse censuit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, quemadmodum refert Barbosa *de Paroch. Part.* 1. *cap.* 11. *num.* 16., *& Gattico cap.*8. *num.* 23., *nec non cap.* 26. *num.* 7. 8. *&* 11.

Hisce præ oculis habitis, ad tria subjecta dubia rogantur Eminentissimi Patres respondere.

I. *An Oratorium Grossetani Hospitalis sit publicum, ità ut omnibus in eo Poenitentiæ, & Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenta saltem Missæ tempore valeant ministrari in casu &c.*

II. *An quilibet in dicto Oratorio Missam festis diebus audiendo Ecclesiastico præcepto satisfaciat in casu &c.*

III. *An Ordinarius declarare possit, quod extranei solemnioribus anni festivitatibus ibi Missam audientes præceptum non adimpleant in casu &c.*

*Sess.*22. *cap.* 6. *de Reform.*

ABULEN. ANNIVERSARIORUM. A tempore, cujus initii memoria non extat, erectum est in Abulensi Civitate Sodalitium, sive Congregatio Presbyterorum Sæcularium sub invocatione S. Benedicti, quæ nunc ex Parochis, & Beneficiatis octo Parochialium Ecclesiarum dictæ Civitatis composita duos supra triginta numerat Sodales. Onus ipsis est ex antiquissimis, ac etiam ignotis Fundationibus Anniversaria pro Defunctis in quindecim diversis Abulæ Ecclesiis celebrandi, nimirum in Ecclesia Cathedrali, in omnibus Parochialibus, in quibusdam utriusque Sexus Regularibus, ac demum in publicis Oratoriis. Anniversaria hæc sunt quinquaginta quatuor, certaque stips datur Interessentibus, quæ modica tamen nunc est, quia temporis edacitate, vel Saracenorum direptione, vel aliis de causis, aut monumenta, aut Fundi, redditusque perierunt.

Implementum horum Anniversariorum in tot diversis, dissitisque Ecclesiis cum maxime grave, & incommodum sit, postulat idcircò Congregatio facultatem eadem implendi in Ecclesia Hospitalis S. Joachimi utpote omnium commodiore, & de aliquali pertinentia ipsius Congregationis.

Rem esse inquit non de commutandis, vel reducendis Anniversariis, unde Fundatoribus licet ignotis aliquod irrogetur præjudicium; Sed unicè peti, ut commodiori, & faciliori methodo in una, eademque Ecclesia impleantur, ex quo nihil Fundatorum suffragiis minuitur, illisque

lisque nihil detrahitur. Porrò Congregationi S. Benedicti constitutæ ex Parochis, qui curæ Animarum incumbunt, nec non ex Beneficiatis, qui eorum respectivæ inserviunt Ecclesiæ, maximum incommodum, & grave nimis esse modò ad unam, modòque ad alteram etiam dissitam Ecclesiam percurrere pro Anniversariis implendis tum ob proprii muneris onera, tùm propter statum Abulensis Civitatis, quæ hyemali tempore quantum pluviis, nivibus, immoderatoque frigore premitur, tantumdem ardet æstivo tempore; Ideoque plurimum expedire, & conveniens esse, ut exceptis Anniversariis in Ecclesia Cathedrali, præsente Capitulo, persolvendis, reliqua in una, eademque Ecclesia S. Joachimi tamquam omnium commodiori, & ejusdem Congregationis quasi propria impleantur.

Addit, ea quinquaginta quatuor Anniversaria pro Defunctis nonnisi diebus ferialibus, vel semiduplicibus celebrari posse: Totidem autem dies feriales, vel semiduplices in Hispania deesse, & ideo esse una, eademque die necessariò adimplenda, plurimaque inde absurda evenire: Opus enim esse, eadem mane Ecclesiasticum Cætum huc illuc ab una ad alteram Ecclesiam sese transferre: Opus itidem esse sarcinam Sacrorum Vasorum, Paramentorumque per Civitatem ab una ad alteram Ecclesiam incommodè trahere: Sæpius in una diù expectandum, ut illius Ecclesiæ absolvantur Officia: Sæpius cum alterius Ecclesiæ Rectoribus orta jurgia, & contentiones pro celebrandis Anniversariis. His autem occurrendum, & providendum esse sustinet Congregatio, probatque demùm, illius redditus maxime nunc imminutos esse, unde eò magis tot labores, atque incommoda esse pariter minuenda.

Episcopus, examinatis Testibus, & re maturè perpensa, affirmat, omnia exposita undique vera esse, petitionemque Congregationis omninò justam, concluditque pro gratia facultatis omnia celebrandi Anniversaria in dicta Ecclesia S. Joachim, unice exceptis iis, quæ in Ecclesia Cathedrali unà cum Capitulo sunt peragenda, & dummodo nulla variatio fiat circa Missas lectas implendas in præscriptis Ecclesiis, prout Congregatio eas implere parata se exhibet.

Petitur itaque.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Seſſ.22.cap. 6. de Reform.

ABULEN. OFFICIORUM. In Abulenſi Cathedrali Eccleſia, ejuſque Capitulo plures ſunt Cappellani Chorales, quibus præter onus intereſſendi Choro, cæteriſque functionibus Eccleſiaſticis, quæ fiunt à Capitulo, præcipuum onus incumbit in eadem Cathedrali Eccleſia, & juxta Teſtatorum voluntatem in diverſis, ac ferè in omnibus ejuſdem Eccleſiæ Altaribus, & præſertim Privilegiato pro Defunctis celebrandi quotannis biſcentum quinquaginta tria Anniverſaria, quorum major pars implenda eſt cum Cantu, Veſperis, & Miniſttis, alia ſine Veſperis, & Miniſtris, alia ſine Veſperis, & alia ſine Miniſtris. Vèrum cum hęc Anniverſaria plura ſint à Cappellanis in una, eademque die celebranda in diverſis Eccleſiæ Altaribus maxima cum Populi, & Præsbyterorum in ea celebrantium perturbatione, & Cappellanorum incommodo, hinc iidem, reportato prius explicito Capituli conſenſu, ſupplicant pro facultate omnia prædicta Anniverſaria etiamsi à piis Benefactoribus relicta cum deſignatione certi Altaris exiſtentis in dicta Cathedrali Eccleſia celebranda, & adimplenda in uno tàntum ejuſdem Eccleſiæ Sacello ab Epiſcopo unà cum Capitulo deſignando: Ne autem Animæ Teſtatorum indulgentia, quam optaverunt, fraudentur, ſupplicant etiam, ut privilegium pro Defunctis concedatur Altari, in quo erunt Anniverſaria celebranda,

Super Cappellanorum precibus auditus de more fuit Abulenſis Antiſtes, qui prævio Teſtium examine, recognita veritate expoſitorum, retulit, Cappellanos dignos eſſe Indulto, quod poſtulant.

Renovant Cappellani preces, ſuſtinentque, hìc non agi de commutandis Anniverſariis in totidem Miſſas lectas, nec de eis ad minorem numerum reducendis, ſed agi dumtaxàt de commutando Altari per Teſtatores præſcripto in eadem Eccleſia, & de uno tantùm deſignando, in quo omnia pro cunctis Teſtatoribus impleantur Anniverſaria; nàm hæc commutatio non adverſatur ſuffragio eorum Animarum, nec cultui, aut Devotioni erga illum Sanctum, cui præſcriptum Altare dicatum reperitur, quia utraque cauſa, per quam moti fuerunt Teſtatores ad illud deſignandum, ſuum omninò ſortitur effectum tam ſi in uno, quàm ſi in alio celebrentur Altari ex firmatis per *Pignatell. conſult. Canon. tom. 9. conſult. 80. num. 3. , & ſeqq.* , & inferius *num. 9.* refertur, ita definitum

tùm fuiſſe per Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium *in una Hiſpalen.* 30. *Septembris* 1580.

Maximè ſi juſta, & legitima intercedit commutandi cauſa, qua concurrente, commutationem voluntatis Defunctorum in qualibet materia fieri poſſe, ac debere præſcripſit Sancta Synodus *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.* Atque hinc propugnant Cappellani, juſtam commutandi cauſam conſiſtere in incommodo, confuſione, maximaque rei divinæ perturbatione, quas cauſat ea in hunc modum demandata Anniverſariorum celebratio. Ajunt enim, quòd ſi non quotidiè, ſaltem in hebdomada accidit, eodem mane varianda eſſe Altaria, atque hinc illuc eſſe transferenda ſcamna ad efformandum Cappellanorum Chorum pro duabus, vel tribus canendis Miſſis, id quod fieri nequit ſine ſtrepitu prorsùs indecenti veneration, & reverentiæ debitæ Domui orationis.

Itèm ipſe met cantus, ac rumor translationis ſcamnorum gravem affert perturbationem tùm Sacerdotibus Sacra ad proxima Altaria operantibus, tùm devotioni Populi intereſſentis præſertim illa hora, qua ſolent Anniverſaria celebrari: Ac demùm quòd eadem die non rarò concurrunt alia onera à Capitulo pariter implenda ad idem Altare, in quo ſunt Anniverſaria celebranda, itaut Altare primi fiat occupantis, & alterius onus remaneat inadimpletum.

Hæc, & alia ſunt in libello à Cappellanis circumferendo. Videant nunc EEmi Patres, qua juris ratione definiendum ſit.

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum.

FAVENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Marcus Antonius Curroli Cavina Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Faventiæ in Teſtamentariis tabulis ab eo conditis anno 1766. legato Latifundio *della Damiana*, ſeu *Curla*, nec non Prædio nuncupato *del Caſetto* favore Artuſini, & Antonii Fratrum de Artuſinis cum onere perpetuæ Primogenituræ, ad quam vocavit filium ab eorum altero primo naſciturum, hære- *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

den inſtituit Cauſam Piam, quam eſſe declaravit, ut omnes redditus ſuorum Bonorum, aliorumque, in quibus inveſtiri deberet pretium ſuorum Mobilium, & Semoventium, quæ mandavit, ejus ſequuta morte alienari, deponerentur in Æde Sacra Pietatis Faventiæ, donec = *dà eſſi frutti ſarà coſtituita una Dote per monacare una Zitella in uno de Monaſteri della Città dl Faenza à piacimento della monacanda* = ac rurſus = *monacata poi la prima Zitella, voglio poſcia, che di mano in mano ſi ſeguiti à depoſitare li frutti come ſopra per coſtituire altre Doti in appreſſo*.

Ad harum dotium aſſequutionem voluit, eſſe admittendas filias Thomæ Antonii Artuſinii, & Mariæ Marcianeſi Conjugum, eorumq. filiorum filias, nec non filias Advocati Jo: Joſephi Troncoſſi, & Conſtantiæ Rondinini Conjugum, eorumque filiorum filias, cum prælatione tamen Puellarum Artuſinæ Familiæ. In caſu autem, in quo aliquis ex Cenſibus, ſeu Cambiis hæreditariis periret, mandavit, quòd, ſuſpenſa interim collatione dotium, fructus ſuorum Bonorum erogarentur in reintegrationem ſuæ hæreditatis, nam voluit = *che tal quale dà principio ſi conſervi la mia Eredità, e mai ſi diminuiſca il Capitale dell' iſteſſa ſomma, dal bel principio fù coſtituita*.

Suæ voluntatis executricem nominavit Confraternitatem S. Gregorii nuncupatam *de poveri Vergognoſi* Faventiæ, cui tantas adjecit leges, & conditiones, ut ipſa reddituum hæreditariorum nec domina ſit, nec arbitra voluntatis Teſtatoris, imo Teſtator adeò anxius fuit executionis ſuæ voluntatis, quòd = *ſe poi ſi daſſe il caſo, che da detti Signori Confratelli ſi deviaſſe nella nomina delle Zitelle, che da loro ſi farà, dalla mia intenzione, e volontà eſpreſſa di ſopra, o pure con qualche o vero, o ideato preteſto ſi tentaſſe di ottenere da Sua Santità qualche reſcritto, che pur derogaſſe anche in minima parte à ciò, che da me vien commandato, ed eſpreſſo, in tal caſo voglio, ed intendo, nell'atto iſteſſo di deviare, o preſentar ſupplica per ſe ſteſſi, o per altri, privarli di tale nomina, ſoſtituendo nell'atto ſteſſo ad eſſi il Rmo Capitolo di Faenza, e per eſſo li Signori Canonici, che compongono il medeſimo con le condizioni, e capitoli eſpreſſi di ſopra*.

Teſtator autem pœnitens Legati favore Fratrum de Artuſinis in poſterioribus ſuis Codicillis expletis menſe Julii

lii 1770. illud cum omnibus ſubſtitutionibus ademit, tamen jure præſervato Puellis ab iis deſcendentibus ad dotes obtinendas, juſſitque, ut Latifundia, quæ reliquerat, in ſuæ hæreditatis cederent beneficium, & augumentum. Tandemque novis menſe Junii 1774. peractis Codicillis in augumentum, & imminutionem Legatorum ad rem non pertinentium, Teſtator die 24. Auguſti 1775. deceſſit.

Expleta venditione Mobilium, prout mandaverat idem Teſtator, Artuſinus de Artuſinis porrectis precibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO pro aliqua, ejus attenta rei familiaris anguſtia, obtinenda ſubminiſtratione ab hæreditate Pii Teſtatoris, voti compos effectus fuit ex Reſcripto Supremi Principis in annuis ſcutis quinquaginta præſtandis ex fructibus ſuperextantibus, quatenus ſupereſſent, ſin minus, quòd eidem ſolvatur ſumma ſuperextans, dummodo non excedat ſummam ſcutorum quinquaginta, firma manente ſubſidii dotalis collatione. De hoc Reſcripto habita à Confraternitate S. Gregorii notitia, ſupplex adivit eumdem Summum Pontificem, ut, eo ſublato Reſcripto, mandaret, piam exequi Defuncti voluntatem: Ablegatiſque precibus ad hanc Sacram Congregationem, requiſitus, ut moris eſt, Faventinus Antiſtes fuit, qui in ejus Informatione referens dumtaxàt jura utriuſque Partis, rei definitionem EE. VV. judicio reliquit.

Tuetur Societas, non eſſe locum executioni gratiæ ab Artuſino de Artuſinis obtentæ utpote vitio ſubreptionis, & obreptionis infectæ, veluti latiſſime patet ex libello Societatis de more circumferendo.

Regula juris eſt, ultimas Morientium voluntates eſſe ſtrictè ſervandas, nunquam autem commutandas juxta familiares reſolutiones hujus Sacræ Congregationis præſertim *in Taurinen. Commutationis Voluntatis* 20. *Decemb.* 1732., *& in Florentina Commutationis Voluntatis* 15. *Februarii* 1747., quoniam facilitas in derogandis Defunctorum voluntatibus efficere poteſt, ut Homines retrahantur à diſponendo favore piæ Cauſæ, ut advertit *Card. Petra tom.* 3. *ad Conſtitut. Innocentii IV. num.* 50., ſubdens, quòd nec etiam expediat, voluntatem in melius commutare, quando illa, prout in caſu, commutationi reſiſtit.

Quæ tamen regula limitatione ſubjecta videtur in caſu, in quo pium opus impleri non poſſit, vel juſta, & rationa-

tionabilis concurrat commutandi causa, ut adhæsivè ad censuram Æcumenici Concilii *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Refor.* firmant *Fagnan. in cap. Relatum num.* 36. *de Cleric. vel Monac.*, *Moneta de Commut. ult. volunt. cap.* 6. *n.* 26., *Pignatell. consult. Can.* 148. *num.* 12., *& Rot. in Romana, seu Bononien. Collegii* 24. *Martii coram clar. mem. Card. Aldrovando*.

Sacra Congregatio, ubi actum fuit, an aliqua gratia esset infecta vitio obreptionis, vel subreptionis, eam sæpe definivit, impetrata tamen prius adversus illam oris aperitione, *ut in Civitatis Plebis Commutationis Voluntatis ad I. Dubium* 13. *Januarii* 1731., *in Maceraten. Aperitionis Oris* 23. *Augusti* 1760., *& in Bononien. Aperitionis Oris* 14. *Maii* 1763.

A Fratribus de Artusinis nihil habuimus. Dignentur itaque EE. PP. omnibus maturè perpensis, definire dubium, quod sequitur.

An sit locus Commutationi voluntatis Canonici Curroli, seu potius ultimæ illius dispositiones sint exequendæ in casu &c.

Die

Die Sabbathi 30. Maii 1778. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione habita *ſuperiori die* 15. *labentis menſis Maii* ob alia plura diſcuſſa negocia defuit tempus proponendi quatuor ſequentes Cauſas, quas iterum ſubijcimus Sapientiſſimo EE. VV. Judicio, ut reſumpto Folio tunc diſtributo, dignentur illas expedire.

GROSSETANA, cujus tria ſunt Capita.

I. *An Oratorium Groſſetani Hoſpitalis ſit publicum, ita ut omnibus in eo Pœnitentiæ, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenta Miſſæ tempore valeant miniſtrari in caſu &c.*

II. *An quilibet dicto Oratorio Miſſam feſtis diebus audiendo Eccleſiaſtico præcepto ſatisfaciat in caſu &c.*

III. *An Ordinarius declarare poſſit, quòd extranei ſolemnioribus anni feſtivitatibus ibi Miſſam audientes præceptum non adimpleant in caſu &c.*

Seſſ. 22. decr. de Obſer., & evit. in celebr. Miſſ., Seſſ. 22. cap. 8. de Refor., & Seſſ. 13. cap. 6., & 8. de Sacr. Euch.

Dilata, & ſcribatur Epiſcopo, qui tranſmittat particulam Synodi Diœceſanæ, nec non integrum exemplar Brevis Benedicti XIV., deinde audiatur Parochus, & Officiales Hoſpitalis, qui deducant Jura ſua in Sac. Congregatione.

ABU-

Seſſ. 22. *cap.*6. *de Reform.* ABULEN. ANNIVERSARIORUM, cujus Dubium eſt.

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Dilata', & ſcribatur Epiſcopo, quòd quatenus providere non poſſit per Decretum Sa. Me. Alexandri VII. editi . . . . . , tranſmittat Tabellam Anniverſariorum, & indicet Eccleſias, in quibus ſunt celebranda, & ſignificet an i larum adſit conſenſus pro translatione Anniverſariorum.

Seſſ. 22. *cap.*6. *de Reform.* ABULEN. OFFICIORUM, in qua reſpondendum eſt: *An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.*

Affirmativè, & ad Dominum Secretarium pro impetratione Privilegii Altaris Privilegiati pro celebratione Anniverſariorum, & Miſſarum lectarum ad aliud Altare ab eo, quod fuit demandatum a Fundatoribus.

Seſſ. 22. *cap.*6. *de Reform.* FAVENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, in qua quæritur.

An ſit locus executioni gratiæ, de qua agitur, ſeu potius ultimæ diſpoſitiones Canonici Curroli ſint exequendæ in caſu &c.

Negativè, & amplius, facto verbo cum Sanctiſſimo.

Seſſ. 21. *cap.*7. *de Reform.* DERTHONEN. ERECTIONIS ECCLESIÆ. Eccleſia Parochialis Villæ Rezoalii Derthonen. Diæceſis ſub ſe continet alias quindecim Villas, ſeu Pagos, quos inter recenſentur finitimi Pagi *Brignolæ*, & *Piano* Animarum

marum circiter 300., & ab Ecclesia Parochiali per duo ferè milliaria dissiti. In his autem binis Pagis nulla Ecclesia, nullumque publicum extat Oratorium, in quo vel Sacrum celebrari, vel saltem ubi singuli, seu insimul collecti Incolæ preces DEO possint effundere. Hinc pluries iidem Incolæ deliberarunt de Ecclesia in dicto Pago *Brignolæ* construenda, sed ob hodierni Parochi contradictionem cum nihil unquam ab Episcopo consequi valuerint, nunc, obtento à Domino Pagorum assensu, stipulatoque Instrumento de Ecclesia construenda, manutenendaque, instant pro facultate dictam Ecclesiam ædificandi etiam ad effectum in ea celebrandi Sacra *sine tamen præjudicio jurium Parochialium*.

Sustinent enim, Ecclesiæ ædificationem inter præcipua Religionis, & pietatis opera recenseri, illamque proinde nemini vetitam, imo de jure cuique licitam esse *Zerol. in prax. part. 1. verf. Ecclesia*, *Barbos. de jure Eccles. part. 2. num. 4.*, *& Petr. ad Const. Apost. Paschalis II. Sect. 1. num. 12.*: Rem insuper esse de Villa, ubi nulla Ecclesia est, in qua Incolæ vel conjunctim, vel divisim preces DEO fundere queant, aut senibus, infirmis, vel pueris liceat, vocato Sacerdote, Sacrum audire, ita ut in ea Villa nullum adsit Religionis signum, nullusque Divinus Cultus exerceri possit. Quamobrem nihil sanctius, nihilque pro Animarum bono salubrius esse animadvertunt, quàm ut in eadem Villa construatur Ecclesia, ut aliqua in ea Religionis sedes adsit, utque non Paganorum, sed Christifidelium habitaculum appareat cum Divini Cultus exercitio.

Addunt, distantiam duorum ferme Milliarium esse ab Ecclesia Parochiali; Longum iter, impervium, & difficile præsertim hiberno tempore ob nives, glacies, pluviasque; Intermedium flumen, seu Torrentem nuncupatum *Avanto* persæpè propter redundantes aquas, vel ob lignei Pontis instabilitatem accessum ad Parochiam impedientem: Eàque propter pluriès vel è Cælo defluentibus, vel e flumine erumpentibus aquis præsertim hyemali tempore nequidem pro Sacro diebus festis audiendo ad Parochialem accedi posse, illamque perrarò adire Senes, Mulieres, ac Infantes; Plures etiam esse Senes, & Infirmos, qui jam quatuor, ac etiam novem annorum spatio numquam accesserunt ad Ecclesiam; Persæpè ad eam accedentes gravia pericula in itinere, & præsertim in prætereundo ligneo Ponte subiisse, eorumque plu-

res ſine Sacramentis, & præſertim Sanctiſſimæ Euchariſtiæ deceſſiſſe ob itineris longitudinem, & difficultatem; Defunctos etiam per integrum quatriduum inſepultos permanſiſſe; Pluraque demùm alia frequenter obveniſſe ſpiritualia damna: Claram ideo, & evidentem eſſe neceſſitatem, ut pro Religionis bono, ac Animarum ſalute, Incolarumque ſolatio Eccleſia in dicta Villa *Brignolæ* ædificetur.

Quo poſito, propugnant Incolæ, ſpernendam eſſe Parochi contradictionem, quia eidem nullum aliud jus competit, quàm tuendi jura ſua Parochialia, hiſque præſervatis, nullum ipſius conſenſum requiri ex firmatis per *Petr. ad Conſtit.* 2. *Paſchalis II. Sect.* 1. *num.* 16. *& ſeqq.* Quocirca cum Eccleſiæ conſtructio exoptetur *ſine præjudicio jurium Parochialium*, injuria Parochum poſtulatam ædificationem Eccleſiæ contradicere; Inutiliterque Parochum diffugium quærere, ex, eo quòd voluntarias oblationes, & largitates, conſtructa Eccleſia, amitteret. Has enim inter Parochialia jura non recenſeri, ſed à ſimplici Offerentium voluntate pendere, unde nec juſtam præbere diſſentiendi cauſam *Rot. in Nuperr. deciſ.* 388. *num.* 14. *Tom.* 5. Advertunt etiàm, vel in iis nullum Parocho damnum obvenire, quia, erecta Eccleſia in Villa *Brignolæ*, ſemper unus erit Parochus eorumdem Pagorum, eidemque dumtaxàt privativum incumbet Animarum Curæ exercitium, vel quodvis leve damnum abundè compenſari cum commodo, & utilitate ejuſdem Parochi in Sacramento Sanctiſſimæ Euchariſtiæ dictorum Pagorum Incolis adminiſtrando.

Quibus perpenſis, concludunt in nullo item pretio habendum eſſe Epiſcopi diſſenſum utpote innixum injuſtæ Parochi contradictioni. Epiſcopi enim conſenſum in Eccleſiis ædificandis unicè requiri, ne vel antiquiori Eccleſiæ, vel juribus Parochialibus irrogetur præjudicium: utroque autem præjudicio deficiente, conſenſum ſemper ſupplendum eſſe dixit *Petra ad d. Conſt. Apoſt. Paſchalis II. num.* 9. Demùm addunt, ſeſe prout in præſens, ita & in poſterum ſemper paratos eſſe ad Eccleſiæ Parochialis neceſſitatibus proſpiciendum, nihilque proindè eidem detrahi, vel ſubtrahi: Se pariter promptos eſſe ad Eccleſiam propriis ſumptibus ædificandam; jam per publicum Inſtrumentum pro illius patrimonio plura Credita, Bonaque contuliſſe; jam obſtrictos ad eleemoſynam pro Sacro celebrando præſtandam; & ad perpe-

tuam

tuam demum ejuſdem Eccleſiæ manutentionem. Hoc itaque ſpirituale ſolatium cum tanto Animarum bono, & cultu Divino indulgendum eſſe, in id etiam accedente eorumdem Pagorum Domini conſenſu.

Nec Promotor Fiſcalis, nec Parochus jura ſua deduxerunt. Opus ideo eſt referre, quid in Libello exhibito Derthonenſi Epiſcopo Parochus oppoſuerit. Inquit ille non sòlum eadem, ſed etiam majori diſtantia ſitas eſſe plures ejuſdem Parochiæ Villas, in quibus nullum adeſt publicum Oratorium, & vix in quatuor remotioribus extructum eſſe. Impervium autem, & difficile non eſſe iter, nonniſi perraro ob redundantes Torrentis aquas acceſſum interdici ad Parochialem pro Sacro audiendo: Redditus verò tùm Parochi, tùm Parochiæ tenues eſſe, & potiſſimè in voluntariis Oblationibus, & eleemoſynis conſiſtentes, & utrique per Oratoriorum erectionem magnum adferri damnum: Incolas item ut antea, non eſſe propenſos ad eaſdem largitates ſive Parocho, ſive Eccleſiæ præſtandas: Hinc ob alia jam extructa Oratoria quammaximè tùm ſubſidia, tùm Parochi reditus eſſe imminutos, & exemplo Villarum *Brignolæ*, & *Piano* alias quoque Villas ſimile Oratorium petituras eſſe cum gravi tùm Parochi, tùm Eccleſiæ detrimento.

Epiſcopus, qui de more fuit auditus, adhærens votis, & querelis Parochi ita refert = *ſimilibus, & frequentiſſimis precibus aſſenſum conſtantiſſime negavi, quia luctuoſa, & quotidiana vigintiocto annorum experientia didici, idem eſſe apud illos Monticolas habitatores alicujus Villæ habere Oratorium, & eſſe propterea Parochiæ infenſiſſimos hoſtes. Rident pacta publico Inſtrumento in fundatione promiſſa, rident decreta apprime neceſſaria in Viſitatione lata, & cum pro majori parte pauperes nimium ſint Eccleſiæ illæ Parochiales, deficientibus eleemoſynis illarum Villarum, in quibus aliquod erectum eſt Oratorium, ægre admodum, & opportunæ reparationes fieri, & coram Sanctiſſimo Lampas manuteneri poteſt. Quid de Oratorum promiſſionibus ſit ſperandum, prudenter ex hoc conjicitur.*

Ad rectam hujus Cauſæ deciſionem notandum in jure eſt, Oratorium, vel Eccleſiam ædificare, opus eſſe neceſſarium, pium, religioſum *Can. final. diſt.* 96., *Divus Chryſoſtomus in Act. Apoſtol. Orat.* 18., *Barboſ. Jur. Eccleſ. univerſ. lib.* 2. *de Eccleſ. ædific. & conſecr. cap.* 2. *num.* 1., *& Amoſt. de Cauſ. piis lib.* 5. *de Eccl. ædific. cap.* 1. *n.* 1.,

eamque, Parocho licet dissentiente, intra limites ejus Paræciæ construi posse, dummodò jura Parochialia in illius erectione præserventur, ac illæsa maneant ex *Text. in Can. Quicumque* 16. *quæst.* 1., *& cap.* 2. *de Eccles. ædific.*, *& Monacell. Formular. For. Eccles. part.* 1. *tit.* 6. *formul.* 10. *num.* 8.

Et quamvis certum sit, ædificationem Ecclesiæ fieri non posse sine consensu Ordinarii *Can. Nemo*, *& Can. Placuit de Consec. dist.* 1., *Barbos. d. cap.* 2. *num.* 4., *& Monacell. cit. formul.* 10. *num.* 2., æque tamen certum est, Episcopum justis, & rationabilibus concurrentibus causis, assensum suum denegare non posse, & si illum irrationabiliter negat, appellari posse ad Judicem, qui vel ædificandi facultatem concedat, vel Episcopum compellat, ut præstet ædificationi consensum *Ventrigl. in prax. vol.* 2. *annot.* 17. *sub num.* 3., *Petr. vol.* 1. *ad d. Constit. Paschalis II. Sect.* 1. *num.* 11., *Monacell. d. formul.* 10. *num.* 3., *Barbos. d. cap.* 2. *num.* 18., *& Amostaz. de Causis piis loc. cit. cap.* 2. *num.* 31.

Videndum igitur est, an Episcopus rationabiliter suum negaverit assensum novæ Ecclesiæ constructioni. Siquidem ex parte Parochi concurrit paupertas Parochialis Ecclesiæ, diminutio Populi concursus, ac timor amittendi voluntarias largitiones, oblationes, & eleemosynas præstari solitas ab Incolis antedictorum Pagorum, quæ omnia prorsus esse contemnenda tuetur *Monacell. d. formul.* 10. *num.* 15.: Pro parte verò altera viget necessitas Incolarum, manetque firmum impervium difficile, periculisque plenum iter pro accessu ad Parochialem Ecclesiam: Incolarum lapsus, vel submersio in aquis Torrentis *Avanto*; Obitus sine Sacramentis: Inadimplementum Præceptorum Ecclesiasticorum, quod sæpissimè evenit in Senibus, in Valetudinariis, & impotentibus: Itemque defectus erudiendi in catholicæ fidei præceptis pueros vel adolescentes, qui sine voce Parochi educantur, & alia relata à pluribus juratis Testibus, quorum depositiones ab Incolis unà cum eorum juribus circumferuntur. An autem causæ per Parochum allatæ præstent iis, quæ afferuntur ab Incolis, seu hæ prævaleant iis quæ a Parocho, & Episcopo proponuntur, ita ut Episcopi, & Parochi supplendus sit assensus, ab EE. VV. ponderandum erit

Sacra hæc Congregatio *in Forolivien. Erectionis Ecclesiæ diei* 16. *Januarii* 1694., in qua proposito dubio = *An concedenda sit licentia celebrandi Missam in Oratorio* =

quod

quod ſine Epiſcopi licentia, imo eo, & Parocho diſſentiente fuerat inceptum, non autem abſolutum, imperio hujus Sacræ Congregationis reſponſum fuit = *Affirmative ſine præjudicio Jurium Parochialium* = ut *in lib.* 44. *Decret. pag.* 3. Item pro ampliando Oratorio cum Oblationibus, illudque redigendo in formam publicæ Eccleſiæ cum quotidianæ Miſſæ celebratione, Parocho diſſentiente, reſolutum fuit *in Tarantaſien.* 27. *Aprilis* 1719. *quoad II., & IV. Dubium*. Tandemque prò conſtructione novæ Eccleſiæ, inibique retinendo SSmum Euchariſtiæ Saaramentum ſine licentia Epiſcopi, non obſtante contradictione Capituli Cathedralis Eccleſiæ, definitum fuit *in Privernen. Ædificationis Eccleſiæ, & Jurium Parochialium diei* 24. *Septembris* 1735.

His igitur conſlideratis, Eminentiſſimi Patres decernant.

An ſit locus ædificationi Eccleſiæ etiam cum facultate celebrandi Miſſas in caſu &c.

Affirmativè, ſalvis Juribus Parochialibus, & ad mentem, & mens eſt, quòd Epiſcopus quàm citiſſime curet conſtructionem, & erectionem unius Eccleſiæ, ſeu Oratorii publici in ſitu per eum deſignando, qui commodior ſit omnibus Incolis Villarum Brignolæ, & Plani, eligatque Sacerdotem idoneum, qui in erigenda Eccleſia, ſeu Oratorio Sacrum celebret in omnibus diebus feſtis de Præcepto hora commoda populo, & prævio triplici ſonitu Campanæ cum diſtantia unius quadrantis ab uno ſonitu ad alium, necnon Pueros doceat rudimenta Doctrinæ Chriſtianæ, & pro conſtructione dictæ Eccleſiæ, ſeu Oratorii, prout etiam pro Sacris Supellectilibus, eorumque reſpectiva manutentione, ac pro congrua eleemoſina arbitrio ejuſdem Epiſcopi Sacerdoti ſubminiſtranda taxam imponat Incolis dictarum Villarum, juxta eorum vires, eorumque reſpective patrimonium, & quatenus non ſufficiant, ſuppleat ex fructibus ad Eccleſiam matricem pertinentibus ad formam Concilii Tridentini Seſſ. 21. cap. 4. de Refor.

AUXI-

Seſſ. 23. cap. 6. de Reform.

AUXIMANA DISPENSATIONIS. Cauſæ hujus ſpeciem, omneſque rationes dedimus *in Folio Congregationis diei* 5. *Julii ſuperioris anni* 1777. ſub Dubio = *An, & quæ ſupplicatio ſit ſignanda in caſu &c.* = ſed propoſita non fuit. Iterum itaque eam dedimus *in Folio Congregationis diei* 19. *ejuſdem menſis Julii*, & ea die reſponderunt Ampliſſimi Patres = *Signandam eſſe ſupplicationem Franciſci Nicolai Manzoni, eidemque competere diſpenſationem uſque dum ad legitimam ætatem pervenerit adimpletis oneribus* = Adversùs hanc definitionem Joſeph Amboni ſuccumbens audiri poſtulavit. Cauſa iterum data fuit *in Folio Congregationis diei* 29. *Novembris ſuperioris anni*, quæ *in ſequenti Congregatione habita die* 10. *menſis Januarii proximè præteriti* reſponſum accepit = *Iterum proponatur* = Nunc eam pro quinta vice damus ſine tamen juribus Amboni ſuccumbentis, à quo licèt monito nihil habuimus, ut repetita lectione *Folii Congregationis* habitæ *die* 5. *Julii* 1777., in quo omnia, quæ in hac Cauſa cognoſcenda ſunt, expreſſa fuerunt, ab Eminentiſſimis Patribus reſponderi poſſit.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis die 19. *Julii* 1777. *in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

CONVERSANEN. REDUCTIONIS ONERUM. Capitulum, & Clerus Eccleſiæ Cathedralis Converſanæ Civitatis *quatuor* perpetuis gravatur oneribus, nimirum *primo* plurium Miſſarum lectarum, quarum nonnullæ *per turnum* à Canonicis celebrandæ ſunt in aliis Eccleſiis dictæ Civitatis; *Secundo* Anniverſariorum ſimplicium celebrandorum cum intereſſentia Canonicorum, & Participantium hebdomadalium; *Tertio* Anniverſariorum duplicium, quæ ſunt ab univerſo intereſſente Capitulo, & Clero celebranda; *Quarto* demùm Cappellarum Canonicalium, quæ etiam in diverſis Eccleſiis cum interventu ſimilitèr omnium Canonicorum, & Cleri peraguntur. Cum autem pro his omnibus implendis oneribus impares fuiſſent Capituli redditus, an-

no

no 1728. Epiſcopus Meda, dùm erat Converſanus Antiſtes, utendo ſpeciali facultate ſibi tributa à ſa. mem. Benedicto XIII. per organum hujus Sacræ Congregationis onera prædicta reduxit, fuitque moderatus *juxta redditus* Bonorum, quæ à Capitulo poſſidebantur.

Reduxit enim in hunc, qui ſequitur, modum, ſcilicèt Miſſas lectas perpetuas cum eleemoſyna ad rationem granorum viginti trium pro qualibet Miſſa; *Anniverſaria ſimplicia* ad rationem carolenorum viginti pro unoquoque Anniverſario. *Duplicia* verò ad rationem Ducatorum quatuor pro quolibet; Et ad hanc eamdem rationem reduxit *Canonicales Cappellas*: Prohibuitque demùm Capitulo, ne impoſterum hujus generis onera reciperet cum minori eleemoſyna illa, quam ipſe in reductione præſcripſerat. Capitulum tamen ſucceſſivis inde temporibus, & uſque ad annum 1769., hoc ſpreto Epiſcopi præcepto, plures accepit Miſſarum lectarum fundationes ad rationem eleemoſynæ dumtaxàt granorum viginti,

Verùm cum Capituli redditus poſt antedictam demandatam onerum reductionem notabilem paſſi fuerint imminutionem, quoniam Cenſus, in quibus univerſum ferè Patrimonium conſiſtit, & quorum redditus prius erant in ſcutis ſeptem, octo, novem, ac etiam decem pro quolibet centenario, & anno, nunc non alios redditus, niſi in annuis ſcutis quinque in ſingulis centum ſubminiſtrant, quemadmodum etiam ſors redemptorum Cenſuum, quæ in Bonis ſtabilibus inveſtita fuit, non alios fructus reddit, niſi in annuis ſcutis tribus pro quolibet Centenario, hinc hodiernus Converſanus Antiſtes in ejus poſtrema Viſitatione præmaximas invenit abſurditates tàm in dictorum onerum implemento, & applicatione, quàm in Bonorum adnotatione tamquam indiſtinctim facta in Codicibus Capituli. Quapropter Canonici pro quiete eorum Conſcientiæ unà cum Epiſcopo preces porrexerunt huic Sacræ Congregationi poſtulantes dictorum onerum reductionem aliquo ſumendo temperamento, quod firmum ſit futuris temporibus, quodque certam declaret implendorum onerum quantitatem.

Epiſcopus autem in ea eſt Sententia, quòd primo loco firmiter ſtatus omnium reddituum Bonorum Capituli, habito reſpectu ad vicennium, ut ex eis demptis gravaminibus realibus, ordinariis, & extraordinariis coniici poſ-

ſit

sit quanta sit certa eorumdem reddituum quantitas ex singulis Bonis anno quolibet percepta, & in ea quantitate pro futuris temporibus statuenda, quòdque separentur tot Bona stabilia certi redditus pro fundo Massæ Capitularis, & quotidianarum distributionum prorsùs distincta ab illis pro Missis, Anniversariis, Cappellisque Canonicalibus assignandis.

Secundo verò loco, quòd adnotentur Bona, quæ Capitulo relicta fuerunt titulo Legati, vel donationis, vel alterius cujusvis Successionis, de quibus certa poterit haberi notitia, cuique Bonorum corpori fixo adnotato redditu cum perpetuo Missarum onere, cui redditus subjiciuntur juxta Testatorum dispositiones: Idque ipsum servari deberet quoad alia Bona, de quorum provenientia certa adest memoria, facta in eis tamen individua mentione nominis cujusvis pii Disponentis unà cum Missarum numero, qui redditibus correspondeat.

Ac demùm quòd describantur Bona acquisita à Capitulo cum pecuniis etiam provenientibus à piis Testatoribus, & sicuti hæc subjecta sunt ex una parte Missis perpetuis lectis, & parte ex altera Anniversariis, & Cappellis Canonicalibus, ita adjicienda sit illis certa eorumdem onerum quantitas correspondens unicuique pecuniarum summæ à respectivis Testatoribus provenienti, quæ erogata fuit in emptione Bonorum; Idque paritèr servetur quoad pecunias à redemptione Censuum provenientes, quę adhuc sunt in Bonis stabilibus investienda.

Ad reductionem verò quod attinet, est in voto, quòd Anniversaria simplicia, quorum redditus non ascendunt ad Carolenos viginti, unienda sint, & ex eis una confici debeat massa, & quot sunt redditus, tot sint celebranda Anniversaria simplicia ad rationem Carolenorum viginti pro quolibet cum applicatione pro omnibus piis Fundatoribus. Anniversaria verò duplicia, quæ non habent respectivos redditus ducatorum quatuor, reducenda sint ad totidem Anniversaria simplicia, quot sunt redditus. Item quoad Missas lectas, quibus deficit eleemosyna manualis, uniendi sint redditus, & quot illi sunt, tot Missæ celebrandæ cum eleemosyna granorum viginti trium pro qualibet, vel saltem ad rationem manualis in Fundatione præscriptam cum applicatione *pro pluribus*. Advertit tamen, quòd sicuti pro nonnullarum Missarum celebratione certum fuit præscriptum Altare situm

in

in distinctis Ecclesiis, ita necessarium esse putat, quòd huic Altaris designationi derogetur relativè ad illas Missas in reductione comprehensas, quæ in iisdem Ecclesiis, & Altaribus celebrari non poterunt. Ac demum, quòd Cappellæ Canonicales, quarum redditus imminuti summoperè comperiuntur, reducenda sint ad simplicia, nimirum cum interventu dumtaxat Canonicorum de hebdomada. Concluditque, Presbyterorum numerum ut plurimum esse imminutum, nec ullum inveniri Presbyterum, qui Sacrum celebret ad rationem manualis utpotè prorsùs imparis ad congruam illius manutentionem.

Hæc omnia ablegata fuerunt Eminentissimo Cardinali de Zelada, ut dignaretur rem perpendere, Sacram Congregationem instructam reddere, & votum suum aperire. Is enim in votis est = *ut quæ à piis Testatoribus relicta Capitalia sive in Censibus, sive in Bonis Stabilibus adhuc distincta perseverant, eadem cum aliis non confundantur, sed redditus in præcisam causam ab eisdem Testatoribus designatam adamussim erogentur. Quòd si illorum redditus pro onerum implemento non sufficiant, tunc reductioni locus esse poterit, sed ita reductio decernenda erit, ut Anniversaria ad totidem Missas lectas reducantur, aliæ verò functiones, quæ cum interessentia Canonicorum peragi debent, moderatè, ac tenui expensa peragantur, ut Canonicis interessentibus aliquale emolumentum labori congruum rependatur.*

Rursus ait, quòd = *aliqua statuenda videtur methodus quoad reliquas fundationes, quarum origo ignoratur, & Bona confusa sunt absque eo, quòd secerni valeat quid ab uno, vel altero Testatore demandatum, aut relictum fuerit. Constituunt autem hujusmodi fundationes in aliquibus Missis lectis, in Anniversariis duplicibus, quæ scilicet celebrantur cum interventu omnium Canonicorum, nec non in Anniversariis simplicibus, quæ cum interessentia Canonicorum de hebdomada peraguntur, ac demum in nonnullis Cappellis, quæ cum interventu Canonicorum in diversis Ecclesiis peraguntur. De Missis lectis ita sentiendum arbitror, ut earum quantitas juxta rationem eleemosynæ manualis, inspecto regionis more præfiniatur, quatenus juxta eleemosynam ab Episcopo Meda constitutam integer earum numerus celebrari non possit. Anniversaria verò simplicia ad Missas lectas. Duplicia verò juxta mo-*

dum pro ſimplicibus huc uſque ſervatum reducenda cenſerem ; dummodo tamen non major ſumma , quàm Carolenorum viginti pro unoquoque impendatur , quòd ſi hæc ſumma non ſufficiat , tunc iſta etiam Anniverſaria ad totidem Miſſas lectas reducantur . Advertendum tamen , ut tàm Miſſæ , quàm Anniverſaria , collatis in unum ſuffragiis , pro omnibus Benefactoribus applicentur .

Tandemque = *de Cappellis Canonicalibus non ſatis certum arbitror ferri poſſe judicium , cum nec de earum quantitate , ac modo , nec de impenſa notio ulla habeatur . Hinc prudenti Reverendiſſimi Epiſcopi arbitrio relinquendum, ut illas vel reducat , vel earum celebrationem minori intereſſentium numero præfiniat , vel ſtipendium moderetur , atque hæc ita exequatur , ut pro peragendis Cappellis , ne quid minimum de Miſſis , aut Anniverſariis detrahatur .*

Verumtamen cum agnoverit , rem latis eſſe dubiam , & implexam , nihilque certi ſtatui in ea poſſe . juſſit idcirco , Cauſam eſſe *in Folio* deſcribendam , ut Capituli inſtantia maturius ab EE. VV. perpendeatur .

Cauſa igitur nunc proponitur , Quinque ſunt Dubia .

I. *An , & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum lectarum etiam per Turnum celebrandarum extra Eccleſiam Cathedralem in deſignatis diebus , & Cappellis in caſu &c.*

II. *An , & quomodo ſit locus reductioni Anniverſariorum ſimplicium in caſu &c.*

III. *An , & quomodo ſit locus reductioni Anniverſariorum duplicium in caſu &c.*

IV. *An , & quomodo ſit locus reductioni Cappellarum Canonicalium in caſu &c.*

V. *An , & quomodo ſit providendum quoad Miſſas lectas , Anniverſaria , & Cappellas Canonicales , quorum Fundatorum , & reddituum provenientia ignoratur in caſu &c.*

FOROLIVIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Anno 1682. Confraternitas nuncupata Flagellatorum Forolivii Domum, & Prædium duorum Tornaturarum circitèr utrumque gravatum onere celebrandi unam Missam qualibet hebdomada in Ecclesia dictæ Confraternitatis in Emphyteusim concesserunt Fratribus Laghi ad tertiam eorum descendentiam masculinam duraturam: Emphyteutica pacta fuerunt, *primum*, quòd Emphyteutæ irrepetibiliter pro ingressu solvere deberent scuta quatuordecim, & obulos 26.: *secundum*, quòd tenerentur restaurare dictam Domum, eamque habitabilem reddere propriis sumptibus: *tertium*, quòd Confraternitati traderent anno quolibet libram unam ceræ albæ in recognitionem directi dominii: Tandemque *quartum*, quòd implerent onus præfatæ celebrationis unius Missæ in qualibet hebdomada in expiationem animæ Claræ Gipponi, quæ pacta unà cum aliis in omnibus emphyteuticis Contractibus apponi solitis emphyteutæ Fratres implere promiserunt. *Sess. 25 cap. 4. de Reform.*

Hanc emphyteusim modò possidet in suum Patrimonium Sacerdos Carolus Andreas Laghi, qui preces porrexit huic Sacræ Congregationi postulans antedictarum Missarum reductionem: Narravit enim in precibus, nocte diei 24. Julii 1761. Domum combustam fuisse, pro cujus necessaria reædificatione Patrem, Patruumque Oratoris imposuisse Censum in sorte scutorum centum, ipsumque Oratorem de propriis etiam pecuniis impendisse alia scuta quinquaginta, ita ut facto calculo introitus, & exitus, compertum sit, exitum superare introitum in annuis obulis viginti septem.

Episcopus, qui super precibus auditus fuit, sensum suum aperuit petitioni contrarium, eàque propter Oratoris instantia sub die 7. Junii superioris anni rejecta fuit edito Rescripto = *Lectum* = Hoc autem non obstante, novas Orator porrexit preces pro facultate deducendi jura sua in hac Sacra Congregatione, quam obtinuit, præfixo tamen termino Confraternitati, ut ipsa quoque sua jura deduceret. Sustinet enim Sacerdos Laghi, quòd quidquid sit de statu Emphyteusis, deque pactis, & obligationibus ante Emphyteuticæ Domus incendium, attamen ea combusta, quemadmodum Emphyteusis pro parte perempta fuit, ita pacta quoque, promissiones, & obligationes pro parte peremptæ intelligendæ sunt, ne Em-

phyteuta gravetur ultra debitum, Confraternitas verò mutato rei ſtatu eſſe debeat exempta à quovis onere, & à quavis expenſa, quæ pro reædificanda Domo ex caſu fortuito perempta neceſſaria fuit contra litteram *Textus in Leg. Cod. de Jur. Emphyteut.*; vel igitur Confraternitas cogenda eſt, ut partem oneris Miſſarum aſſumat, vel de eo reductio fiat, quatenùs ab Emphyteuta ſit in univerſum implendum.

Confraternitas autem, quæ propter egeſtatem hanc litem ſuſtinere non poteſt, ſupplicavit, ut præ oculis habeantur ejus jura Epiſcopo exhibita, & per eum tranſmiſſa ad hanc Sacram Congregationem. Ea enim ſe fundat in Contractu Emphyteutico, in quo Emphyteutæ pro ſe, ſuiſque hæredibus, & ſucceſſoribus in ſe ipſos aſſumpſerunt onus celebrationis unius Miſſæ in qualibet hebdomada; nec verum eſſe contendit, Emphyteutam pro illis celebrandis rependere ſcuta quinque, & obulos viginti, ut ab ipſo inter partitas exitus adnotatur, ſed dumtaxàt annua ſcuta quatuor, & obulos ſexaginta ſex, quæ ſatis excludunt aſſertionem, quòd exitus ſuperet introitum in annuis obulis viginti ſeptem.

A Sacerdote Laghi Emphyteuta jura circumferuntur. Dubium eſt.

An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.

Seſſ.23. cap.16. & Seſſ.22. c.4. de Reform.

TIRASONEN. ORDINUM. Doctor Vincentius Calvo ex Terulenſi Diæceſi in Hiſpaniarum Regnis oriundus, cum quadrageſimum, & ultra ætatis ſuæ ageret annum, Regia nominatione, & canonica præcedente inſtitutione, ſub die 19. Junii de anno 1773. Canonicatus Sacerdotalis, qui in Cathedrali Tiraſonenſi Eccleſia vacaverat, poſſeſſionem obtinuit. Tum Commendatitias Litteras originarii Antiſtitis conſecutus, die 14. Novembris ejuſdem anni a Tiraſonenſi Ordinario quatuor minoribus Ordinibus legitimè initiatus eſt, apud quem licet poſteà ſæpius inſtaret, ſua repeteret vota, depre-

deprecatores interponeret, ille tamen recenti Canonico Sacros Ordines conferre conſtantiſſimè renuit. Anno propterea elapſo a Sacroſancta Tridentina Synodo pro ſuſcipiendis Ordinibus Beneficio adnexis præfinito, quamvis divinis intereſſet officiis, jacturam ſe pati diſtributionum, in Choro dejectionem a ſuperiori Stallo ad inferius, quoties alii Sacerdotes ad vacantes Canonias accederent, ſibique vocem in Capitulo eo nomine differri, cum Epiſcopo eodem frequenter conqueſtus, illum fruſtra exoravit, ut optatæ ordinationis gratiam impertire tur. Omne itaque ſtudium expertus irritum, & nullo ſe irretiri authumans impedimento, quò minus ad Sacerdotium valeat aſcendere, Pontifici Opt. Max. ſupplicavit, ut vel ab ipſomet Ordinario, vel ab uno ex vicinioribus, vel a Metropolitano ad Sacros Ordines promoveretur.

Negocio per infraſcripta dubia definiendo ad Ampliſſimum hunc Ordinem abdicato, fuit de more Tiraſonenſis Epiſcopus requiſitus. Is autem refert, quòd Orator pertinaciter contendebat, ſpiritualia decem dierum Exercitia pro minoribus Gradibus a ſe peracta juxta Encyclicam Clem. XII. Hiſpaniarum Præſulibus directam, cujus initium = *Inter graviſſima* = pro Sacris quoque Ordinibus ſufficere, quos extra tempora tribus feſtis diebus recipiendi, & reſpectivè conferendi Pontificium Indultum impetraverat, vel ut piæ exercitationes in Chori ſervitium commutarentur. Refragante Antiſtite, ille ſe diebus triginta iiſdem ſpiritualibus Exercitiis vacaturum fuiſſe aſſeruit; at reapſe vanis prætextibus nihil egit, quin ordinationis curſum potius velle abrumpere ſimulavit his verbis = *dunque, Monſignore lo ſoſpenderemo*.

Interea Canonicus Calvo, ut ab aliis Epiſcopis ſibi Ordines conferrentur, dimiſſorialibus Ordinarii Teruli munitus Litteris ſucceſſivè tentavit: Cæſarauguſtam Cauſam dicturus apud Metropolitanum adiit: coram Reverendiſſimo Apoſtolico Nuncio ſtetit; ſed nihil ab eis obtinuit, & ab omnibus rejectus eſt.

Ulterius multis Dignitates inter, & Capitulum Cathedralis obortis queſtionibus ſuper retentione Archidiaconatus ſimul, & Canonicatus in eadem Eccleſia, ſuper fructuum amiſſione propter fidei profeſſionem, & in Capitulo, & coram Ordinario tempore a Sacra Tridenti-

na Synodo præscripto non emissam, necnon super jurisdictione Decani in Canonicos; eorum dissidiorum Oratorem vel unicum, vel præcipuum Auctorem appellat Episcopus = *His enim omnibus* (sunt ejus verba) *consilium, & calamum concordare Canonicus Calvo nunquam destitit .... Vidi ego met illius plura hujusmodi scripta alia fideliter desumpta, alia manu exarata ejusdem; quia nec ipse auctorem se diffitetur, immo talem esse deprædicat, & gloriæ ducit. Illud æquè certum est, ex quo temporis momento in hanc Urbem, & Ecclesiam advenit, pacem penitus exulasse, qua fruebantur, atque nobis ignota & judicia, & Fora quotidiè personare.*

Circa hujus Canonici mores (pergit Episcopus) *indolem, ac tenorem vitæ dicam profectò, non pauca in eis mihi apparere reprehænsione digna; Longo enim experimento, quemadmodum, & vulgata fama, ipsisque publicis factis eumdem evidenter comperii litigiosum, ac discordiæ cupidissimum, discolis paratum socium, ac Patronum, vaniloquum, arrogantem, superbumque, Præsulis sui licet indignissimi contemptorem, detractorem, calumniatorem, versipellem, imposturarum architectum, susurronem; dolis verò, & mendaciis ità assuefactum, atque imbibitum, ut passim, & palam nedum alibi, & coram diversis, sed vel ipsomet singulari colloquio, & incredibilia, & inter se apertè pugnantia proferat .... Atque utinam spes emendationis ulla in tam obdurato animo effingi posset, qui admonitiones, & remedia quæcumque procaciter irridet, & cavillatur ... Itaque re multoties, ac serio perpensa, existimavi nunquam, uti ex Tridentini Concilii, & Apostolicarum Constitutionum præscriptis oportebat, evasurum illum utilem Ecclesiæ Ministrum in sacris constitutum Ordinibus, immo haud futurum in dies magis exitiosum.*

Addidit insuper Episcopus ex actis illius Curiæ deprompta monumenta = *che detto Canonico propalò a voce, ed in iscritto varie espressioni ingiuriose, e di cattivissimo esempio, vantandosi con termini, che per decenza si tacciono, della libertà, con cui aveva parlato al Vescovo, e che punto non lo temeva, ne aveva di lui alcun bisogno, ancorchè nel tempo stesso confessasse di essere stato sempre dal Vescovo ascoltato, e trattato con particolar convenienza.*

Hæc omnia causatur Ordinarius, ex quibus magis in dies cognitis, licet idem Canonicus postremis temporibus illius

illius quibuſcumque mandatis ſe pariturum ſpondens inſtantius Ordinationem efflagitaret, non modò eum repellendum cenſuit, ſed ſub die 4. Martii anni 1775. ad Superiores Ordines adſcenſum ei ſimul prohibuit, ne contra ſanctiones Canonicas ab altero fortaſſe promotus ſuſpenſionem incurreret.

E contra contendit Canonicus Calvo ſibi Ordines non denegandos, ſive illius doctrina, ſive mores ſpectentur. Paratus eſt enim ad conſuetum ſubeundum examen, demonſtratque, ſe Cæſareo, ac Pontificio Juri ſedulam navaſſe operam, multipliciter ſui progreſſus, ingeniique periculum feciſſe, in Univerſitate Gaudienſi uſque, & ab anno 1756. fuiſſe in Canonica facultate licentiatum, ac Regios inter Advocatos cooptatum pluribus Academiis nomen dediſſe, eiſque laudabiliter præfuiſſe.

Preces verò pro Ordinum collatione aliis Epiſcopis obtulit fretus Teſtimonialibus ſuæ originis Ordinarii Litteris, quibus quo modo anteà minoribus, ità poſtea ſacris initiari ſibi fas eſſe putavit.

Si verò de contentionibus inter Capitulares ſit ſermo, idem Calvo fatetur = *di non aver fatto altro, che due piccole, e brevi oſſervazioni ſopra le due coſtumanze le più ben fondate di queſta Chieſa, cioè ſopra la retenzione del Canònicato, e dignità in uno ſteſſo ſoggetto ſenza diſpenſa Pontificia . . . L'altra ſopra il poſſeſſo immemorabile, in cui trovanſi i Canonici di queſta Santa Chieſa di non fare altra profeſſione di Fede, che quella Capitolare &c.* Cæterum Regius Advocatus Emanuel de Lamata, non tamen juratus, deponit, dignitates Capituli Cathedralis Tiraſonenſis, in quibus vis Cauſis agendis eius opera uſas eſſe; & eædem dignitates non juratæ ſimiliter teſtantur = *unicamente ci ſiamo avvalſi del Conſiglio, e patrocinio del Licenziato D. Emanuele de Lamata . . . ſenza ingerirvi alcun' altro &c. Che il Dottor D. Vincenzo Calbo . . . . hà ſoltanto contribuito per parte ſua ad eſſortarci in varj abboccamenti famigliari con impegno, e premura a terminare all' amichevole le noſtre differenze con l'Illuſtriſſimo Monſignor Veſcovo, e Capitolo.*

Epiſcopus tandem Terulenſis, ex cujus Diœceſi Canonicus Calvo eſt oriundus, authenticè teſtatur = *illum vitæ, ac morum honeſtate apud nos commendari; eum inſuper nullo, quòd ſciamus, crimine, nec ſuſpenſione, excommunicatione, ſententia, irregularitate innodatum, nullo-*

que

que impedimento obſtrictum. Decanus verò, aliæque duæ Dignitates Cathedralis Tiraſonen. ſub die 27. Junii anni 1776. aſſerunt triennio, quo ibi commoratus erat Orator = *illum vitæ, morumque honeſtate commendabilem, nobilitate, ſcientia, & doctrina fulgentem, nulloque impedimento Canonico, crimine, ſive perſonali defectu, quominus ad Sacros Ordines Presbyterali Præbendæ ejus inſitos promotus fuerit, laborare &c. Sacerdotali dignum miniſterio jure cenſemus, id ſolemni* [*quatenus opus fuerit*) *JURAMENTO ASSEVERANDUM, atteſtandumque promittimus*. Fidem hujuſcemodi ſub die 4. Julii prædicti anni Tiraſonenſis Civitatis Prætor, ac Cives primarii aſtruunt = *pronti a deporre ſotto la Religione del giuramento*.

Ad quæſtionem collationis Ordinum quod attinet, hæc inter Canoniſtas diſtinctio communiter recepta eſt: Vel enim agitur de promovendo ex propria devotione, ac titulo Patrimonii; & tunc Ordines conferre non tenetur Epiſcopus, eumque ex cognitis ſibi cauſis ab Eccleſiaſtica militia poteſt arcere ſolum Deum Judicem habiturus, quatenus irrationabile ſit ejus arbitrium. *Cap. Ad Aures de tempòr. Ordinat., Gloſſa in fin. Cap. Ex tenore, eodem, Conc. Trid. Seſs.* 14. *Cap.* 1., & *Seſs.* 21. *Cap.* 2. *de Reform.*, *Gloſsa in verb. relinquatur Cap. Statutum §. Aſſeſſorem de Reſcriptis in* 6., *Fagnan. in Cap. cit. Adaures §.* 7., *Barboſa in Conc. Seſs.* 21. *Cap.* 2. *de Ref. num.* 54. & 55., & *in Seſs.* 23. *Cap.* 16. *num.* 5.. Vel agitur de promovendo ratione Beneficii, quod ei collatum fuit, & tunc cum is propter Titulum Ordines eidem adnexos petendi jus habeat, quoties neceſſariis qualitatibus ſit præditus, nec Canonico detineatur impedimento, etiamsì aliquod fortaſſe crimen, quod tamen ſit occultum, patraſſet, eo caſu liberum non eſt Ordinario Proviſum ab aſcenſu ad Ordines, ad quos arctatur, prohibere, aut pro iis ſuſcipiendis dimiſſoriales Litteras denegare, quia privaret aliquem Beneficio, quod abſque tali Ordine retineri non poteſt, & per conſequens gravamen inferret ad firmata per *Card. de Luca de Beuef. diſc.* 71. §. 3. *ad* 5., & *Barboſ. de Officio, & Pot. Epiſcopi part.* 2. *alleg.* 4. *num.* 66. Videndum igitur, num Orator Canonicis pro Sacerdotio requiſitis ornetur, ſeu iis potius deſtitutus cum amiſſione quoque ſuæ Præbendæ ab Epiſcopo valeat repelli, quod

Eño

Emi Patres pro ſumma, qua fulgent, prudentia dijudicabunt.

Ex hoc ſuo veluti alveo deſcendit alterius capitis ſolutio, in quo de diſtributionum reſtitutione diſputatur. Etenim ſanctio notiſſima eſt æcumenici Tridentini Concilii *ſeſſ.* 22. *cap.* 4., quòd Beneficia obtinentes, ibi = *Teneantur*, *JUSTO IMPEDIMENTO CESSANTE*, *infra annum Ordines ſuſcipere requiſitos*, *alioquin pœnas incurrant juxtà conſtitutionem Concilii Viennenſis, quæ incipit* = *Ut ii*, *qui* = Cujus verba ſunt hæc = *diſtributionum*, *quæ dantur his*, *qui certis Horis interſunt*, *pars dimidia ſubtràhatur*. *Clement. dicta de ætat.*, *& qualit.*, *Barboſ. de Canon. cap.* 16. *num.* 10. Expendendum igitur, an id generis fuerit impedimentum, ut dici queat per Oratorem ſtetiſſe, quominus intra tempus a jure ſtatutum Sacris Ordinibus inſigniretur; quandoquidem ſi ex propria culpa promoveri non potuit, licet divinis Officiis interfuerit, medietate diſtributionum, & non omnibus, uti aſſeritur factum privandus erat, ceu ad rem ponderat *Gloſſa in eadem Clem. ut ii*, *verb. impedimento*, *& Barboſa loc. ſupra cit. num.* 15. At ſi Ordinum collationem non ex propria deſidia, ſeu aliquo facinore, vèrum aliunde conſequi non meruit, ſui Canonicatus juribus non fuiſſe expoliandum, adeoque diſtributiones quotidianas reſtituendas eſſe eruitur *ex Gloſſa in fin. cap. ut Abbates de ætat.*, *& qualit.*. Nec bona fide a Canonicis, quibus accreſcunt, conſumi potuiſſe dicendum videtur, cum Canonicus Calvo uſque, & a die 4. Decembris anni 1773. de iis non amittendis coram Capitulo emiſiſſet proteſtationem, quo caſu diſtributiones injuſtè retentas eſſe obnoxias reſtitutioni ſenſit *Rota dec.* 260. *num.* 17. *part.* 12. *recent.*

Quod denique circa Stalli in Choro reintegrationem quæritur, notandum eſt, præeminentiam deſumendam eſſe ex tempore receptionis in Collegium, & captæ poſſeſſionis ita ut Canonici antiquiores, qui longius Eccleſiæ ſervitium impenderunt, poſteriores ex eodem ordine in omnibus præcedant. *Gloſſa in Cap. final. verb. antiquior de conſuet. in* 6., *de Luca de Canon. diſcept.* 15. *num.* 2. 3., *Gonzalez ad Reg.* 8. *Cancell.* §. 3. *Proœm. num.* 23., *Pignat. Tom.* 6. *conſ.* 48. *num.* 9.. Quòd ſi de eodem non ſint ordine, diſtinctione opus eſt: Namque vel juſtè, & ex proprio defectu ſimul Beneficiatus a ſede acquiſita detruſus fuit, puta quia poſſeſſionis ap-

prehenſio nullitatis vitio laboraret, & locus ab aliis nuperrimè inſtitutis occupatus eſt, & tunc in eorum præjudicium reſtitutio ad priſtinum Stallum non deberur; vel injuſtè, & abſque propria culpa quis a ſuperiori Stallo dejectus fuit, eoque caſu, cum verè a ſua non ceciderit poſſeſſione, reintegratio conceditur, ut fere in terminis loquitur *Rota deciſ.*44. *num.*1., *& ſeq. part.*3. *recent.*

Fuſius alia permulta in libello pro parte Oratoris circumferendo. Animadvertere igitur ampliſſimus hic Ordo dignetur, quid ſequentibus dubiis ſit reſpondendum.

I. *An ſit locus Ordinationi in caſu &c.*

II. *An, & a quo tempore reſtituendæ ſint diſtributionès quotidianæ in caſu &c,*

III. *An Rev. Canonicus Calvo reintegrandus ſit ad Stallum in Choro prius quæſitum in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 27. Junii 1778. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes, quæ primo loco ſubiiciuntur Cauſæ, ob temporis anguſtiam proponi non potuerunt *in ultima Congregatione* habita *die* 30. *nuper elapſi menſis Maii*. Rogantur itaque EE.VV., ut, reſumpto mox dictæ Congregationis Folio, nunc eas expediant.

CONVERSANEN. REDUCTIONIS ONERUM, cujus V. ſunt Capita. *Seſſ. 25 cap. 4. de Reform.*

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum lectarum etiam per Turnum celebrandarum extra Eccleſiam Cathedralem in deſignatis diebus, & Cappellis in caſu &c.*

II. *An, & quomodo ſit locus reductioni Anniverſariorum ſimplicium in caſu &c.*

III. *An, & quomodo ſit locus reductioni Anniverſariorum duplicium in caſu &c.*

IV. *An, & quomodo ſit locus reductioni Cappellarum Canonicalium in caſu &c.*

V. *An, & quomodo ſit providendum quoad Miſſas lectas, Anniverſaria, & Cappellas Canonicales, quorum Fundatorum, & reddituum provenientia ignoratur in caſu &c.*

Affirmative juxta Votum Emi de Zelada, dempta tamen Epiſcopo facultate reducendi Miſſas.

FOROLIVIEN. REDUCTIONIS MISSARUM, cujus Dubium eſt. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.

In Deciſis.

Seſſ.23. cap.16. & Seſſ. 22. c.4. de Reform.

TIRASONEN. ORDINUM, cujus tria Dubia ſunt.

I. *An ſit locus Ordinationi in caſu &c.*

II. *An, & à quo tempore reſtituendæ ſint diſtributiones quotidianæ in caſu &c.*

III. *An Canonicus Calvo reintegrandus ſit ad Stallum in Choro prius quæſitum in caſu &c.*

Dilata.

Seſſ. 24. cap. 3. & cap. 5. de Reform. Matrim.

NICIEN. DISPENSATIONIS. Camilla Seaſſala Nicienſis die 24. Auguſti 1772. ſervatis ſolemnibus à Sacroſancto Concilio Tridentino præſcriptis, Matrimonium per verba de præſenti contraxit cum Petro Ramoin phthiſi laborante, qui proinde poſt tres menſes à die contracti Matrimonii, nimirum die 26. Novembris ejuſdem anni 1772. fato ceſſit. Quia verò ſuperſtes Uxor Camilla morabatur cum Franciſco Ramoin ejus leviro, hinc ambo humana fragilitate devicti ſe carnaliter cognoverunt, & ex hac conſuetudine Filia adnata eſt. Ad hanc legitimandam Prolem; ad proprium vindicandum honorem, ſimul, & ad evitanda ſcandala iidem Franciſcus, & Camilla preces porrexerunt SACRATISSIMO PRINCIPI aſſerentes, Matrimonium initum Camillam inter, & defunctum Petrum ejus Virum ratum quidem fuiſſe, non autem conſumatum, proindeque benigniter ſibi concedi poſtularunt diſpenſationem ſuper impedimento primi gradus publicæ honeſtatis juſtitiæ in forma pauperum, attenta eorum extrema, qua reſpective laborant, paupertate, juxta exhibitum proprii Ordinarii teſtimonium.

Preces ablegatæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem, quæ litteras dedit Epiſcopo pro confectione Proceſſus ad formam Benedictinæ Conſtitutionis incipientis = *Dei miſeratione* =, auditis omnibus de jure audiendis, ſubindeque ut Sac. Congregationem redderet inſtructam, animique ſui ſenſum aperiret. Omnia executus eſt Epiſcopus. Ex confecto autem Proceſſu patet, formiter examinatos fuiſſe juxta interrogatoria data à Defenſore Matrimonii dictam Camillam, Franciſcum ejus levirum, Medicum fiſicum, & Chirurgum. Camilla enim interrogata ſuper condormitione, & conſumatione Matri-

trimonii cum Viro reſpondit = *Non hò mai avuto commercio maritale col medeſimo, atteſo che nel giorno, che ſi celebrò il Matrimonio, la malattia, di cui era ſtato attaccato, crebbe à tal ſegno, che non ſi ſtimò bene, ne anche Io, di conſumare il Matrimonio, e nella ſteſſa ſera dormiſſimo ſeparati di ſtanza, e letti, anzi il di lui fratello Franceſco dormì per più ſettimane con detto Pietro ſin à tanto che aggravandoſi ſempre più il male, che era di tisìa, il Medico gli proibì di dormire inſieme per non reſtare attaccato da detto male.*

Franciſcus autem defuncti Petri frater interrogatus de ejus ſcientia non ſequutæ conſumationis reſpondit = *Oltre il motivo da me allegato di averla deflorata ſi è anche, perchè dal primo giorno del Matrimonio hò ſempre dormito con detto mio Fratello, il quale in detto giorno trovandoſi maggiormente aggravato dalla malattia, che già precedentemente aveva, ſi aſtenne di dormire con detta Camilla ſua Moglie, e così continuò pure in appreſſo ſino al ſuo deceſſo, motivo, per cui dormivo col medeſimo ſino à che approſſimandoſi ſempre più la malattia, che era di tisìa, di conſiglio del Medico mi aſtenni di dormire col medeſimo nello ſteſſo letto, avendo però Io ſempre continuato à dormire nella medeſima ſtanza ſopra di un Canapè per aſſiſterlo, e sò che detta Camilla hà ſempre dormito in un altra ſtanza.*

Medicus item formiter examinatus ſuum dedit reſponſum, Petrum Sponſum jam ante Matrimonium affectum fuiſſe morbo phthiſis = *, da cui ſi riebbe, indi qualche tempo dopo contratto il Matrimonio ſi rinovò in modo, che ne ſeguì la febbre lenta, che le cagionò la morte* = interrogatus autem, an morbus Petrum inhabilem conſumationi reddere potuiſſet, reſpondit = *la malattìa, di cui ſopra, non poteva dà per ſe ſteſſa renderlo inabile all' uſo matrimoniale, ma bensì tal uſo poteva recar danno alla ſanità del medeſimo.*

Teſtatus denique fuit Chirurgus, ſe rogatum poſtridie Matrimonii celebrationem acceſſiſſe ad Domum Petri, quem infirmum invenerat, eidemque duplici procurata emiſſione ſanguinis, = *Indi eſſendoſi alquanto riſtabilito, ed uſcito alcuni giorni per la Città, nuovamente frà breve ſpazio di tempo eſſendoſi reſo ammalato, più non ſi riebbe, e morì di quella malattia* = ; Similiter interrogatus de potentia, vel impotentia Petri cauſa morbi, reſpondit, = *La malattia era di tisìa, e ſebbene una tale ma-*

malattia non lo rendesse impotente all'uso del Matrimonio, niente meno la debbolezza, in cui trovavasi ridotto per causa di detta malattia, credo a mio giudizio, che non fosse il medesimo atto à consumare il Matrimonio.

Hæc ex Processu. Episcopus autem ait his verbis = *Cum autem vel ex juratis testimoniis intelligerem, causæ quid esset, cur Summus Pontifex supplicaretur, hortatus sæpius sum Oratores, ut sententiam immutantes ab ea, qua se invicem prosequebantur, consuetudine perpetuò in posterum abstinerent. Ac principio quidem mihi visi sunt ita morem gerere, ut studia ipsos convertisse sua crediderim. Verùm, simul nescio, qui hos ad illa pristina revocare aggressus est, statim in spem adducti assecuturos se, quod rogant, veterem sine contubernio inierunt consuetudinem, quam & tuentur rati, nonnisi maxima, quæ reapse est, cum difficultate nequire, se alias conciliare nuptias. Itaque victus ego crebris Oratorum precibus supplicem eorumdem libellum unà cum actis forensibus rite, quantum potuit, confectis ad Sacram istam Congregationem transmitto, id unum confirmans, Camillam Seossala, quæ modo Christianè se gerit, periclitari admodum, atque etiamnum vivere prolem ex incestu susceptam, quæ per subsequens Matrimonium fieret legitima. Et quoniam de non consumato priore Matrimonio unum mihi videtur haberi expressum Mulieris testimonium, illudque est in propria causa; Si contigerit, ut Eminentissimi, ac Reverendissimi Patres Oratorum votis perbenignè annuendum censeant, illud peto, ut ad securitatem Apostolica detur facultas super impedimento etiam Affinitatis in primo gradu ex copula licita, quæ fuisset occulta.*

Quæ juris in hac Causa sunt, repeti poterunt *ex Folio* Causæ *Uritana Dispensationis* distributo *in Congregatione* habita *die* 7. *Junii* 1777.. Simillimi habentur disceptati casus, unus scilicet in Congregatione particulari à SANCTISSIMO deputata Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium hujus Sacræ Congregationis, nimirum *à Lanceis* Præfecti, *Castelli*, & *Antonelli* in Causa *Strigonien. Dispensationis* proposita *die* 16. *Septembris* 1755., & alter in dicta Causa *Uritana Dispensationis diei* 7. *Junii* 1777., quoniam eædem circumstantiæ, quæ in præsenti Causa concurrunt, in illis concurrebant, & tamen antedicta Congregatio particularis in citata *Strigonien. Dispensationis* definivit = *Non constare de non consumatione Matrimonii, ideoque non esse dan-*

dandam Dispensationem = Itemque Sacra hæc Congregatio in præfata Causa *Uritana Dispensationis* iisdem met geminis, quæ modò proponuntur, Dubiis dicta *die* 7. *Junii* 1777. respondit = *Non esse consulendum SSmo pro dispensatione*.

Nullus ab Oratoribus, eorum attenta maxima paupertate, de qua Episcopus fidem facit indubiam, circumfertur libellus. Duo sunt capita.

I. *An constet de Matrimonio rato, & non consumato Petri Ramoin cum Camilla Seassala in casu &c.* = & quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c*

Negative ad utrumque.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Sorores De Nardis Romanæ, sed ex *Parentibus forensibus* ortæ, quamvis ab Advocato Cæsare Valentini distent ex transverso per quadruplex medium Fæminarum in *octavo* gradu per medium Prudentiæ Silvestri dicti Advocati Cæsaris ex Sorore germana neptis, & in *undecimo* gradu ex parte alterius Cæsaris Valentini ejusdem Prudentiæ Viri, veluti patet ex Arbore genealogica per ipsas Sorores distributo, postulant subsidiorum dotalium cumulum super Patrimonio supradicti Advocati Cæsaris, qui condito Testamento hæredem instituit Ven. Archiconfraternitatem B. M. Virginis ab Angelo Annunciatæ Urbis, onere adjecto tot anno quolibet ex redditibus suæ hæreditatis dotandi Puellas *secundum* (sunt verba Testamenti) *ejus Institutionis Decreta, & Statuta*, quæ sunt, pauperrimas dotandi Puellas *ex utroque Parente Romanas*. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Quæ facti cohæreant illarum petitioni, quæ juris, & quæ sit hujus Sacri Tribunalis Sententia, data latissimè fuerunt *in Folio Congregationis* habitæ *die* 15. *Martii superioris anni* 1777., in qua proponi Causa non potuit, sed in sequenti *Congregatione diei* 19. *Aprilis*, sciscis in æquas partes Eminentissimorum Patrum suffragiis, rescriptum fuit = *Iterum proponatur* =: Idemque Rescriptum ob iterum exortam suffragiorum scissuram prodiit in ejusdem Causæ repropositione facta *in Congregatione diei*

diei 19. *Julii dicti anni* 1777.. Nunc antiquis ab utraque Parte repetitis juribus, & novis etiam ſuperadditis, Cauſa pro tertia vice proponitur. Duo enim præcipuè ſuſtinet Archiconfraternitas. Primum, quòd in ejus Decretis, & Statutis, ad quæ Teſtator pro collatione Dotium cum redditibus ſuorum Bonorum facienda ſe retulit, præſcribitur, Dotes eſſe conferendas miſerrimis, pauperrimiſque Puellis *Romanis*, & ex *utroque Parente Romano* natis, ideòque contendit, Sororibus de Nardis obſtare tum voluntatem Teſtatoris, tum Statuta Archiconfraternitatis, quia ipſæ licèt Romanæ ſint, attamen *forenſem* habent utrumque Parentem. Nec eas eſſe pauperes, & miſerabiles, quoniam earum Pater præter munus Subſtituti, quod exercet in Officio alterius ex Secretariis Rev. Cameræ Apoſtolicæ, poſſidet in Terris *Caſperiæ*, & *Aſpræ* in Sabinis plura Bona Stabilia, ex quibus congruam Dotem, juxta earum conditionem aſſequi commodè poſſunt.

Additque, nullam Sororibus De Nardis utpotè ſanguine in *octavo* ex una parte, & parte ex altera in *undecimo* quadruplicis Affinitatis gradu cum Teſtatore conjunctis prælationem in collatione Dotium ſupra Puellas Romanas ex utroque ab eodem Teſtatore prædilectas, vocataſque competere poſſe intuitu naturalis charitatis, & præſumptæ voluntatis, & affectionis Defuncti erga ſuos Proximiores: Quoniam cum Teſtator nullam ſuis Conſanguineis, vel Proximioribus, vel Affinibus, vel Collateralibus in conferendis Dotibus prælationem attribuerit, hinc objecta naturalis, & ordinata charitas, præſumptaque Teſtatoris affectio non excedit *quartum* gradum civili jure computandum, ad differentiam caſus, de quo non agitur, ſcilicet, in quo Teſtator expreſſe ſuas Conſanguineas, vel Proximiores Puellis extraneis prætuliſſet *Urſaya diſcept. Eccleſ. 2. tom. 3. part. 2. numer. 20., & ſeqq., Rot. coram Emerix jun. deciſ. 898. num. 2., & ſeqq., in Nuperrim. deciſ. 472. num. 58. tom. 5. part. 2.*, & ſæpiſſimè docuit, definivitque Sacra Congregatio in ſpecie *in Ferrarien. Subſidiorum Dotalium* propoſita *die* 14. *Decembris* 1765., & reſoluta *die* 11. *Januarii* 1766.

Aliter enim naturalis charitas contra juris communis diſpoſitionem procederet in infinitum, & præſumpta Teſtatoris voluntas deſtrueret expreſſam omninò ſervandam *cap. Inter dilectas de fid. Inſtrum. Card. Petr. ad Conſtit. In-*

Innocentii IV. tom. 3. Sect. 1. num. 39., *Urſaya cit. diſcept. 2. num. 48.*

Et alterum, quòd Teſtator Fæminis de Valentina deſcendentia litteraliter, & expreſsè providit. Is enim Legati titulo reliquit Communitati Terræ Arcis Antiquæ Domum ſuæ habitationis, & Fænile in Urbe ſitum, juſſitque, quòd ex iſtorum Bonorum penſionibus ſolverentur annua ſcuta centum Juveni de ſua Familia, ſi adeſſet, qui = *idoneus fuerit ad litterarum ſtudia, ſcilicet Legum, vel Medicinæ* =, ſin minus eadem ſumma rependatur = *alteri ad prædicta ſtudia idoneo cum hac ſpeciali conditione, ut dictæ Familiæ Teſtatoris nomine, & Inſignis perpetuò utatur* =; reliquæ verò penſiones conſerventur pro dotanda filia Cæſaris quondam Joannis Matthæi, qui Vir erat Prudentiæ Silveſtri Teſtatoris neptis = *uſque ad ſummam ſcutorum mille, & paulatim penſiones dictarum Domus, & Fænilis ponantur ad lucrum honeſtum, ſcilicet Cenſus perpetui, ut facilius ad dictam ſummam ſcutorum mille perveniatur* = Itemque juſſit, quòd alia ſcuta centum ex penſionibus dd. Domus, & Fænilis Priores dictæ Communitatis teneantur = *erudito Magiſtro Grammaticæ in dicta Terra conducendo quotannis aſſignare* = Demumque voluit, quòd = *ſi plures Filiæ fuerint ejuſdem Cæſaris Joannis Matthæi, præter ſcuta centum, quæ idoneo Familiæ ad ſtudia prædicta habili, & Magiſtro Grammaticæ ſunt aſſignata, quod ſupereſt ex dd. penſionibus conſervent ipſi alteri filiæ eodem modo, quo dictum eſt de priori filia, ſin verò nullæ filiæ extiterint, tunc reliquum penſionis dd. Domus, & Fænilis aſſignatum pro dote filiarum Cæſaris Joannis Matthæi convertatur in fabricam Domus prædicti Magiſtri Grammaticæ, & refectiones, & reſarcimenta dd. Domus, & Fænilis detrahantur ex dd. penſionibus, & ſi dicti Priores, & Communitas non ſervaverint hujuſmodi Legatum cum ſupradictis omnibus conditionibus, illicò recadat, & convertatur ad Illuſtriſſimam ſuam hæredem.*

Hac autem perſpecta Teſtamentaria diſpoſitione, ſuſtinet Archiconfraternitas, Sorores De Nardis has perſequi debere penſiones, quæ ſuperſunt, demptis Legatis pro Juvene ad ſtudia Litterarum idoneo, & pro Ludi Magiſtro, non autem impetere poſſe hæreditatem Teſtatoris, cujus redditus fuerunt in certam, expreſſamque cauſam deſtinati. Probat enim, Domum locari pro annua penſione ſcutorum 253., Fænile verò locari pro

penſione annuorum ſcutorum 10., quæ ſummæ ſimul unitæ conflant ſcuta 263., ex quibus demptis ſcutis centum pro Juvene ſtudiis operam navante, aliiſque demptis ſcutis quinquaginta pro Ludi Magiſtro, juxta conventionem initam Juvenem inter, & Communitatem, ſuperſunt annua ſcuta 113. non à Juvene deglutienda, ſed quidem conſervanda, & inveſtienda pro dote Fæminarum.

Hæc & alia Archiconfraternitas. Aſt Sorores De Nardis in earum libello admittuntDotem ſcutorum mille ex penſionibus dictorum Bonorum ſolutam fuiſſe filiæ Cæſaris Joannis Matthæi de anno 1628., admittuntque paritèr, ex ſuperextantibus penſionibus fieri debere Multiplicum pro fæminis dotandis, negant tamen, quòd penſiones ſuperſint, iis inſpectis de tempore antiquo, & proximiori morti Teſtatoris, quo Domus locabatur pro annuis ſcut. 170., & Fænile pro annuis ſcutis 25., & ſic in totum pro annuis penſionibus ſcutorum 195., non autem de tempore præſenti, nàm penſionum augumentum uſque ad ſummam annuorum ſcutorum 263. profilit ex melioramentis in dicta Domo ære proprio factis à Cæſare Valentino juniore, qui ſtudiorum erat Juvenis, qui Legatum poſſidebat, & qui ejuſdem Legati renunciationem obtinuerat de anno 1738. a ſupradicta Communitate cum onere ſolvendi annua ſcuta 50. pro Ludi Magiſtro, publico in id ſtipulato Concordiæ Inſtrumento ſubinde approbato à Sacra Congregatione particulari Boni Regiminis (inconſulta tamen, & inaudita Archiconfraternitate tamquam ſubſtituta ad aſſequutionem Legati in caſu illius inadimplementi, juxta ea, quæ Teſtator ipſe mandaverat).

Præ oculis habendum eſt, Cauſam Dotium à Teſtatore ſcriptam pro miſerrimis Puellis Romanis, & ex utroque Parente Romano natis ſemper eſſe præcipuam, bonumque publicum reſpicere. Videtur itaque, non licere Sororibus Oratricibus cum jactura pauperum Puellarum contra Domini voluntatem emolumentum excerpere, ut in Urbe, & cum luxu nubant, & in eo convertant Subſidia dotalia, quorum unum tantùm ſuffic t ſcutorum 30. pro parandis nuptiis uni ex pauperrimis Puellis, quæ, ſi petitus elargiatur Dotium cumulus, vel innuptæ remanerent, vel nuptias differrent, intereaque cogerentur ulterius panem quærere, vitamque vivere cum earum honeſtatis, & pudicitiæ periculo. Utrum hæc

fue-

fuerit pii Teſtatoris voluntas, cognoſcent Eminentiſſimi Patres.

Animadvertendum præterea eſt, multam eſſe Gentem, quæ à Valentina Familia per multiplices Affinitatis, & Cognationis gradus ex tranſverſo deſcendit, ita ut ſi, quod petitur, concedatur, Subſidia dota ia per plurimos annos pauperibus Puellis ſubducentur. Adſunt enim Familiæ *Stuppini*, *Nardi*, *Colli*, *& Valentini*, *&* in earum qualibet filiæ fæminæ ſunt, quæ non Matrem, ſed Tritaviam, ac etiam Tritaviæ Matrem habent Valentinam. In Familia Nardi quippe non ſolæ ſunt *Margarita*, *& Roſa* Oratrices, ſed etiam ſunt earum germanæ Sorores *Clementina*, *& Conſtantia*, quæ unà cum Fæminis aliarum Familiarum favorabilem hujus Cauſæ reſolutionem expectant, ut, poſthabitis pauperibus Puellis Romanis à Teſtatore vocatis, propria evadant Subſidia dotalia, propriumque fiat Patrimonium Advocati Cæſaris Valentini.

Eſt inſuper ponderandum, quòd Teſtator Proneptem ſuam filiam Cæſaris Joannis Matthæi dotandam eſſe juſſit non ex redditibus ſuæ hæreditatis Archiconfraternitati relictæ, ſed quidem ex ſuperextantibus penſionibus Domus, & Fænilis; ex quo profluere videtur argumentum, quòd ſi Teſtator excluſit Proneptem ſuam à redditibus ſuæ hæreditatis, eò certius ab iis excludere voluiſſe dicendum eſt remotiores ſuæ Cognationis fæminas, eaſque dotandas eſſe ex præſcriptis penſionibus dictorum Stabilium, prout ex illis dotari Proneptem ſuam expreſsè mandaverat, ut in individuo firmat *Urſaya dict. diſcept.* 2. *num.* 86. *tom.* 3. *part.* 2., *Rot. in nuperrim. dec.* 31. *num.* 7. *tom.* 4., *& dec.* 472. *num.* 50. *tom.* 5. *part.* 2.

Quod verò pertinet ad harum penſionum idoneitatem, ponderandum pariter eſt, eas eſſe pares ad hoc etiam onus ferendum, tàm ſi illæ conſiderentur juxta ſtatum antiquum, quàm modernum; nàm antiquitùs penſiones ex dictis Bonis retrahebantur in annuis ſcutis 195., ex quibus demptis ſcutis 159. 75., nimirum ſcutis centum pro Juvene ſtudiorum, aliiſque ſcutis quinquaginta pro Ludi Magiſtro, necnon aliis ſcutis 9., & obul. 75. pro diſlocationibus, & reparationibus ad rationem ſcutorum quinque pro quolibet centenario juxta communem taxam, quam amplexa ſæpiſſime fuit *Rota*, & ſignantèr *in Tyburtina Salviani* 20. *Februarii* 1756. §. 14. *coram cl. mem.*

mem. Card. Paracciano, ſuperſunt annua ſcuta 35., & obul. 25.; Aſt in longe majori ſumma ſuper excedunt illæ conſideratæ juxta præſentem ſtatum in ſcutis 263., quoniam ex iis, demptis ſcutis 163., ſcilicet ſcutis 150. pro Studiorum Juvene, & Ludi Magiſtro, aliiſque ſcutis 13. pro neceſſariis reparationibus, & dislocationibus, ſuperſunt annua ſcuta centum. Hoc enim penſionum reſiduum conſervandum videtur pro dotandis fœminis Cognatis, vel Affinibus, quatenus ad eas verè pertineat dotationis prærogativa, non autem illud ſibi condicere potuerunt, vel poſſunt filii Cæſaris Valentini junioris ceſſionarii Communitatis Terræ Arcis Antiquæ nec ratione Studiorum, nec ratione Melioramentorum propriis ſumptibus à mox dicto Cæſare juniore factorum in dicta Domo. Non equidem cauſa Studiorum, quia hoc titulo non alia percipere poſſunt, niſi annua ſcuta centum à Teſtatore præſcripta: Minuſque jure Melioramentorum, quia ultraquamquod illa, ut par eſſet, non probantur, & quatenus probarentur, illis tamen frui non poſſunt, ſimulac paternam hæreditatem expreſsè repudiarunt.

Sacra Congregatio ne immutetur pia Teſtatoris voluntas, ac ne Subſidia Dotalia pauperibus Puellis incertis a Teſtatore vocatis auferrentur, dotium cumulum ejuſdem Teſtatoris *Neptibus* utcumque miſerrimis negavit *in Romana Subſidiorum Dotalium* 11. *Septembris* 1717. ut *in lib.* 67. *Decret. pag.* 375.: Itemque *Proneptibus* Teſtatoris, ut *in Romana Subſidii Dotalis* 9. *Junii* 1714., ut *in lib.* 64. *Decret. pag.* 218., & *in Meſſanen. Subſidiorum Dotalium* 19. *Novembris* 1718., ut *in lib.* 68. *Decret. pag.* 455. *a tergo*. Et quamvis hæc Sacra Congregatio in concedendo Subſidiorum Dotalium cumulo benigne indulſerit favore fœminarum deſcendentium de Cognatitia Familia Valentini, ſuam tamen Sententiam temperans, & explicans Dotium cumulum negavit Sororibus de Durantibus ultra quartum gradum cum Advocato Valentini Teſtatore ſanguine conjunctis, ut *in Romana, ſeu Sabinen. Subſidiorum Dotalium* 14. *Februarii* 1767., & nuperrimè Sorores Poſſenti poſtulantes Dotium cumulum à Legato Juſtinianeo, quia diſtabant à Legante ultra quartum gradum, a petitione rejecit, mandavitque, ne *amplius* Cauſa proponeretur, ut in *Camerinen.*, & *Fabrianen. Subſidiorum Dotalium* 10. *Maii* 1777.

His

His perpensis, *resumptisque Foliis Congregationum diei* 15. *Martii*, & *diei* 19. *Julii superioris anni* 1777. munus erit EE. VV. definire.

An, & pro qua summa sit locus præstationi Subsidiorum Dotalium in casu &c.

Affirmative pro summa scut. 150. pro unaquaque.

ROMANA, ET MESSANEN. Sacerdos Melchior de Salvo Civitatis Castri Regalis Messanensis Diœcesis anno 1723. condito Testamento jussit, quòd post ejus obitum vendi deberent omnia semoventia cujusvis generis, & speciei, nec non oleum, frumentum, vinum, & sericum hæreditarium, & cum eorum investiendo pretio, quod redderet annua scuta quinque pro quolibet centenario *si stabilissero tanti beneficj di Messe, cioè il primo beneficio di onze quindici per ogn'anno per cadauna Messa secondo la consueta elemosina cascasse in persona del mio diletto Nipote Chierico D. Lorenzo di Salvo, ed essendo in età di* 21. *anno ad ordinarsi ad titulum Beneficii, e l'altro per quanto verrà, che sarà ò di Messa quotidiana, ò più, ò meno secondo lo che si esiggerà, cadesse in persona d'altro mio Nipote D. Antonio* = Patronatum verò tàm activum, quàm passivum detulit Proximioribus agnatis, vel cognatis. Missas verò celebrandas esse voluit in Ecclesia S. Mariæ Infirmorum sitæ in eadem Civitate Castri Regalis, & in Solo Lateranensi fundata. *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Testatoris obitu sequuto, ejus hæres in executionem voluntatis Defuncti publico stipulato Instrumento die 8. Maii 1733. cessit, & assignavit in titulum Beneficii Clerico Laurentio de Salvo ab ipso Testatore nominato pro quotidiana Missa celebranda ad Altare majus dictæ Ecclesiæ S. Mariæ Infirmorum tot Bona annui redditus unciarum quindecim juxta Peritorum æstimationem correspondentium ad annua scuta triginta sex monetæ Romanæ, quorum pleraque consistebant in Prædiis rusticis, nonnulla in Censibus, & in una Domo: Clericus autem Laurentius = *cum quibus quidem unciis quindecim annualibus superius ad titulum Beneficii assignatis durante ejus vita se obligavit, & obligat celebrare in dicto Ven. Altari Missam quotidianam pro Deo, & Anima dicti quondam Melchioris de Salvo, quæ prædicta Missa in perpetuum cele-*

celebrare debebitur omni die ſcilicet per dictum Laurentium durante ejus vita, & poſt ejus mortem per alios Beneficiatos vocatos per dictum quondam de Salvo adimpleta ſemper forma prædictæ teſtamentariæ diſpoſitionis ipſius quondam de Salvo, & uſquequo dictus Clericus Laurentius ad prædictum Præsbyteratus Ordinem aſſumptus non fuerit, teneatur, & debeat cum dictis unciis quindecim annualis redditus dictorum Bonorum Stabilium, & reddituum Miſſam prædictam in eodem Altari celebrare facere.

Cum autem Prædiorum ruſticorum, urbanæque Domus redditus admodum ſint imminuti, hinc idem Laurentius de Salvo ipſius Beneficii poſſeſſor pro congrua Miſſarum reductione preces porrigit EE. VV. Exhibet enim juratam Peritorum depoſitionem, ex qua probatur, aſſignata Bona ruſtica præſertim, & Urbana non ex Beneficiati culpa, ſed ex aeris intemperie, ex nivium copia, & ex ventorum impetu in deterius abiiſſe, licèt in iis excolendis, reparandiſque nulla defuerit diligentia, nulla cura, nullaque expenſa, quibus non obſtantibus, nunc eorum redditus vix medietatem aſſignatarum unciarum quindecim excedunt.

Semel, atque iterum auditus fuit Eminentiſſimus Archipræſbyter Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis, qui in ejus prima relatione reddit inſtructam hanc Sacram Congregationem, = *Bona Beneficii aeris intemperie, & abſque culpa Rectoris adeò fuiſſe deteriorata, ut prorſus imparia ſint oneri ferendo Miſſæ quotidianæ* = proſequiturque, Fundatorem non abhorruiſſe, quinimmò maxime proſpexiſſe = *ut Rectoribus eleemoſyna juxta loci conſuetudinem æqualiter pro Miſſis celebrandis reſponderet, nàm agens de primo a ſe inſtituto Beneficio ait = ſecondo la conſueta Elemoſina = & de ſecundo profeſſus fuit = che ſarà di Meſſa quotidiana ò più, ò meno ſecondo lo che ſi eſigerà* = Ponderandum tamen proponit his verbis = *Verumtamen Laurentius de Salvo Rector nominatus ad unicum Beneficium ab hærede executum ſeſe per Contractum obligavit oneri Miſſæ quotidianæ durante ejus vita naturali, & a die, qua ad Præsbyteratus Ordinem aſcenderit; Videndum igitur, an petitæ per eumdem Laurentium Miſſarum reductioni obſtet Contractus ultro citroque obligatorius ab ipſo initus cum hærede fideicommiſſario.*

In ſecunda verò relatione prælaudatus Eminentiſſimus Archipræsbyter ex documentis eidem exhibitis, quæ ſedulò ponderavit, confirmans imminutionem reddituum

cum

cum Bonorum deterioratione ſine culpa Rectoris ſecutam, ſic ait = *Reſtat nunc altera diluenda amaritudo, quòd idem Sacerdos oneri ferendo Miſſæ quotidianæ per contractum inter vivos ſeſe obligaverit*, & ſuper ea ſuum votum aperuit in hunc, qui ſequitur, modum = *In hac verò leviori quæſtione, cum Rector Beneficii non ſecus, ac Fundatoris hæres ad Leges in Tabulis teſtamentariis Fundationis conſtabilitas ſeſe retulerint, nec ab eis diſcedendi animum ullum expreſſerint, conſtito quòd Fundator ipſe nil magis cordi habuit, quàm ut Miſſarum celebrationi congrua eleemoſyna tribueretur dum primum ait in prærecenſito ſuo Teſtamento = ſecondo la conſueta elemoſina = ſubdens deinde = che ſarà di Meſſa quotidiana o più, o meno, ſecondo lo che ſi eſiggerà = hinc obligationem Rectoris explendæ quotidianæ Miſſæ celebrationis per Contractum aſſumptam non aliter, quàm correſpective ad redditus nunc proportionatos eidem oneri, ac ſub tacita conditione, dummodo res in eodem ſtatu permaneant juxta mentem Contrahentium fundationi conſonam ſtipulatam eſſe cenſerem, itaut petitæ Miſſarum reductioni ex ſuperventa reddituum diminutione nullatenus obſtet.*

Et reverà, explicita perpetua voluntate tum hæredis aſſignantis Bona, tum Beneficiati aſſumentis onus Miſſæ quotidianæ, Contractus inter eos initus nequaquam obſtare videtur Miſſarum reductioni, quæ poſtulatur. In tantum enim hæres præſcripſit celebrationem Miſſæ quotidianæ, quam cæteroquin non dixerat Teſtator, dum juſſit Sacra celebrari = *ſecondo la conſueta elemoſina* = itemque = *ò più, ò meno, ſecondo lo che ſi eſiggerà* =, in quantum ut redditus Bonorum aſſignatorum tunc eſſent annuarum unciarum quindecim; Beneficiatus verò non ſecus in ſe onus aſſumpſit celebrationis Miſſæ quotidianæ, niſi firmis permanentibus annualibus unciis quindecim, = *cum quibus ſe obligavit, & obligat celebrare in d. Ven. Altari Miſſam quotidianam*.

Quamobrem cum hodie Bonorum aſſignatorum redditus, ſepoſita Beneficiati culpa, non amplius in eadem exigantur quantitate unciarum quindecim, videtur, obligationem etiam corruere relative ad illarum imminutionem, quæ efficit, ut Miſſarum quoque onus proportionabiliter reducatur ex traditis per *Fagnan. in cap. Ex parte de Conſtit. num.* 25., *Bianchin. de Reduction. Miſſar. cap.* 8., & 9. idque ipſum pluries definivit hæc Sacra

cra Congregatio, & in ſpecie *in Romana* 10. *Maii* 1727. *in Nepeſina Reductionis Onerum* 3. *Julii* 1734., *in Romana Subſidiorum Dotalium*, & *celebrationis Miſſarum* 22. *Septembris* 1764., & *in Firmana Onerum Miſſarum* 2. *Junii* 1736. Dubium eſt.

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum in caſu &c.

Iterum proponatur:

Seſs. 6. cap. 2. de Reform., & *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

MACERATEN. Species omnis hujus Cauſæ habetur *in Folio Congregationis* habitæ *die* 24. *proxime præteriti menſis Januarii*, à quo repeti poteſt. Quatuor ea die propoſita fuerunt Dubia his verbis concepta = I. *An Indulta Pontificia obtenta per Canonicum Franciſcum Angelucci ſint ſuſtinenda in caſu &c.* & quatenus affirmative = II. *An, & quomodo ſint obſervanda, & exequenda in caſu &c.* = III. *An idem Canonicus Angelucci teneatur ad reſidentiam, & intereſſentiam in caſu &c.* = & IV. *An participare debeat de diſtributionibus quotidianis, aliiſque fallentiis, ſeu Punctaturis aliorum Canonicorum, & à quo tempore, ita ut ſint eidem conſignandæ Diſtributiones huc uſque rètentæ, ſeu potius per ipſum reſtituendæ jam perceptæ in caſu &c.* = quibus in ſequenti Congregatione *diei* 14. *Martii nuper elapſi* reſpondit Sacrum Tribunal = *Ad I. Affirmative* = *Ad II. Proviſum in primo* = *Ad III. Affirmative* = *Ad IV. Deberi à die* 12. *Julii* 1766. *uſque ad diem* 12. *Julii* 1770.

Adverſus haſce reſolutiones audiri poſtulavit, obtinuitque Canonicus Angelucci. Cauſa nunc reproponitur. Ab eodem Canonico libellum ſuorum Jurium nondum habuimus. Decernere itaque debent Ampliſſimi Patres.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

Reliquæ non propoſitæ.

Seſs. 21. cap. 7. de Reform.

PONTIS CURVI REÆDIFICATIONIS, ET TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Dedimus hujus Cauſæ ſpecimen *in Folio Congregationis* habitæ *die* 9. *Auguſti ſuperioris anni* 1777. Proponi quidem

ea

ea die Causa non potuit, nec etiam in seqŭenti *Congregatione diei* 30. *ejusdem mensis Augusti*, sed ea proposita in Congregatione habita *die* 13. *subsequentis mensis Septembris dicti anni*, Eminentissimi Patres, suspensa *quinque* Dubiorum resolutione, responderunt = *Dilata*, *& scribatur Episcopo juxta instructionem* =

Datæ fuerunt Episcopo litteræ, in quibus ab eo plura requisita fuerunt, ut super his omnibus Sacram hanc Congregationem redderet instructam. *Primò*; quòd prævia deputatione Periti, seù Peritorum sibi confidentium, referret, utrum Parochialis Ecclesia S. Angeli restaurari possit, eique subsstrui fundamenta, quæ deficere asseruntur, ut eadem Ecclesia stabilis, & firma reddatur: *Sècundo*; an dictæ Ecclesiæ constructio antiquior sit contermina Domo Philipporum, vel istorum Domus sit antiquior constructione Ecclesiæ, ut removeri jure possit sterquilinium dictæ Domus adhærens Ecclesiæ, simul & mandare clausuram Fenestrarum existentium supra Tectum Ecclesiæ pro ipsius ampliatione facienda: *Tertiò*; an foveæ, vel excavationes, quæ circumdant Ecclesiæ murum removeri possint, & reparari, ne aquæ penetrent in Ecclesiam: *Quàrto* demum; utrum Ecclesiæ detrimentum processerit ex natura rei, vel ex incuria, & negligentia Collegii, & Patrum Doctrinæ Christianæ ob non factas tempore debito necessarias restaurationes, vel ex culpa, & facto illorum de Filippis causa tùm dicti sterquilinii, tùm projectionis aquarum, & immunditiarum supra Tectum Ecclesiæ e Fenestra, seù Fenestris eorum Domus supra Ecclesiæ Tectum existentibus, mandatumque fuit, ui hæc omnia gereret Episcopus, citatis, & auditis illis de Filippis pro eorum jure, & interesse.

His omnibus satisfecit Episcopus per relationem Peritorum deponentium, Ecclesiam Parochialem S. Angeli nec restaurari posse, quia muri fatiscentes sunt, quamvis Ecclesiæ fundamento, quorum defectus afferebatur, realiter existant, & quamvis non subsistant assertæ foveæ, & excavationes Ecclesiæ murum circumdantes, una tàntum excepta illius parte versus Domum cujusdam Sparagana, ubi = *si vede al di sotto il muro corroso, esenza calcina* =; nec eam reædificari posse in eodem situ utpote nimis angusto pro recipiendo Populo, quot sunt Parochiani, perinde ac si omnes uno, eodemque tempore, ac momento in dicta Ecclesia convenire deberent: Multoque minus eam ampliari posse retuleruut ob impedimentum

Feneſtrarum conterminæ Domus de Filippis exiſtentium ſupra Tectum Eccleſiæ, quarum clauſuræ, ſimul, & remotionis ſterquilinii prætenſionem injuſtam eſſe judicarunt, præter alia, quæ legi poſſunt in eorum relatione, ad demolitionem Eccleſiæ directa.

Epiſcopus iterum votum ſuum aperuit pro illius demolitione, ejuſque reædificatione in loco prope Collegium Patrum Doctrinæ Chriſtianæ Parochianis incommodo, proponitque per Folia diſtincta modum hujus ædificandæ Eccleſiæ, & præſertim ſuſpenſionem ad ſeptenarium omnium Miſſarum, excepta illa pro *Populo*, tàm ſcilicet earum, quæ oneris ſunt Eccleſiæ in annuo numero Miſſarum 349., quàm illarum in annuo numero aliarum Miſſsrum 293., quarum onus Patronis Cappellarum incumbit; advertit tamen idem Epiſcopus, hanc Miſſarum ſuſpenſionem non eſſe exequendam = *abſque Patronorum conſenſu, quem nonnulli, etſi pauci, erunt veriſimiliter denegaturi*.

Cætera, quæ refert Epiſcopus in poſtrema ſua relatione unà cum tenore Peritiarum, & foliorum tranſmiſſorum ad hanc Sacram Congregationem, habentur in Summario Fatrum Doctrinæ Chriſtianæ juxta morem cum eorum juribus circumferendo. A Parochianis nihil hactenus habuimus. Videant igitur Eminentiſſimi Patres, qua juris ratione, reſumpto *Folio dictæ Congregationis diei* 9. *Auguſti* 1777., expedienda ſint V. ſequentia Dubia.

I. *An ſit locus reædificationi, & ampliationi Eccleſiæ Parochialis S. Michaelis Arcangeli, ſeu potius illius reſtaurationi in caſu &c.* = & quatenus affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam.

II. *An reædificanda ſit in eodem ſitu, ſeu potius transferenda ad aliam prope Collegium Doctrinæ Chriſtianæ in caſu &c.* = & quatenus negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam.

III. *An liceat vendere ſitum antiquæ Eccleſiæ ad effectum erogandi pretium in conſtructionem novæ Eccleſiæ in caſu &c.*

IV. *An, & cujus expenſis novæ Eccleſiæ ædificatio, aut antiquæ reſtauratio facienda ſit in caſu &c.* = & quatenus Parochianorum.

V. *An ſit imponenda taxa, ſeu collecta, & quomodo in caſu &c.*

VE-

VERULANA JURISPATRONATUS. Intra limites Ecclesiæ Collegiatæ, ac Parochialis Civitatis Frusinonis Verulanæ Diœcesis antiquissima extat Ecclesia sub invocatione B. M. V. Gratiarum. Anno 1629. Maria Quartucci titulo Dotis eidem assignavit tria Prædia, ac plura supellectilia Sacra, elegitque in Cappellanum Clericum Joannem Dominicum Marianetti cum onere geminas celebrandi Missas in singulis mensibus, nec non manutenendi fabricam Ecclesiæ, ejusque Bona, & supellectilia, rogans Episcopum *per l' istituzione di un perpetuo Juspatronato* favore suorum hæredum masculorum, aliorumque sibi proximiorum, emissa etiam ampla, juratáque promissione, *che tutti gli sopradetti Beni in dote assegnati alla detta Cappella sono liberi, ed immuni, e non ceduti, e non donati, ne obligati à qualsivoglia altra Persona sotto qualsivoglia titolo.* *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

Quem effectum tunc habuerit hæc dotatio, & nominatio, prorsus ignoratur. Anno tamen 1642. Sacerdos Carolus Quartucci *Cappellanus dictæ Ecclesiæ Jurispatronatus quondam D. Mariæ Quartucci simplicis Beneficii* inventarium omnium Bonorum ejusdem Ecclesiæ, seu Cappellæ confecit, & in eo omnia Bona à dicta Maria assignata anno 1629. religiosè descripsit. Vicissim verò in Sacra Visitatione ab Episcopo De Argolis facta de anno 1652. eadem Ecclesia B. M. V. Gratiarum asseritur, *esse de Jurepatronatus Familiæ De Quartuccis*, & in alia Visitatione anni 1661. enunciatur *electio Cappellani spectantis ad Familiam de Quartucci Patronam*. Prout etiam in Sacris Visitationibus Episcopi de Zaulis anni 1690., & 1696., & in aliis posterioribus annorum 1717., & 1720. eadem Ecclesia, & Beneficium affirmatur *de asserto Jurepatronatus Familiæ de Quartuccis*.

Verum anno 1690., & 1696. decreta per Episcopum De Zaulis reparatione Parietum Ecclesiæ, cum Sacerdos Silverius Grapelli Cappellanus, ea solo æquata, novæ Ecclesiæ ædificationi manus admovisset, hinc ob secutum ipsius Cappellani Silverii obitum exorta fuit quæstio tam circa perfectionem ædificationis, quàm circa Patronatum Ecclesiæ. Decrevit autem Episcopus anno 1699. = *per D. Joannem Baptistam Grapellum hæredem dicti quondam Abbatis Silverii perfici ædificationem Ecclesiæ, quæ debebat tàntum reparari, seu reaptari in locis necessariis exiguo tempore, prout demandatum fuerat in præteritis Visitationibus, cumque non indigeret nova constructione,*

ſed ſolum reſtauratione, & conſequenter illius deſtructio fuerit voluntaria, remanet Juſpatronatus favore D. Joſephi Quartucci hæredis qu. Mariæ Quartucci, à qua fuit erectum, & dotatum.

Quamobrem prout antea, ita & in poſterum uſque ad præſens Familia Quartucci veluti Patrona Cappellanum nominavit, ejuſque nominatio ſemper expeditis Litteris approbata fuit ab Epiſcopis pro tempore exiſtentibus. Verum miraculis undique refulgente Imagine B. M. Virginis in dicta Eccleſia aſſervata, deliberavit Populus pro illius majori cultu ampliorem, ac decentiorem Eccleſiam è fundamentis ædificare. Conſenſum illico præſtitit anno 1737. Paulus Quartucci *alla rinovazione, e mutazione della detta Chieſa per ridurla in forma moderna, e più decente alla venerazione, e culto della B. V. M. delle grazie, colle condizioni però, che ſenza punto pregiudicare al detto mio Juſpatronato, eſſa Chieſa in ogni tempo reſti aperta &c* = nec non = *ſenza punto pregiudicare à me, ed à miei Eredi in infinito per il ſudetto Juſpatronato antico di Caſa Quartucci, con condizione ancora, che ſi debba apporre la mia Arma al Fronteſpizio del ſudetto Altare, oppure in quel luogo, che deſtinarà Monſignor Veſcovo in ſegno del Patronato*.

Confluentibus ideò Benefactorum eleemosynis, univerſoque auxiliante Populo, nova, conſentiente Epiſcopo, amplior, decentiorque Eccleſia fuit extructa, in qua modò B. M. Virginis Gratiarum aſſervatur Imago. Nuperrimè *menſe Aprilis anni* 1776. defuncto Cappellano, collationem dictæ Eccleſiæ, ſeu Cappellæ à SANCT S-SIMO DOMINO NOSTRO reportavit Sacerdos Philippus Brizi qua præſentatus *à Scholaſtica Quartucci* unica hærede dictæ Mariæ Fundatricis, & nupta Petro Molelli. Aſt cum interim publicum dictæ Communitatis Fruſinonenſis conſilium eamdem Eccleſiam unà cum adnexis Bonis, ſacriſque ſupellectilibus ceſſiſſet Patribus Congregationis Sanctiſſimi Redemptoris, hinc contingit, ut una, eademque *die* 20. *Junii* 1776. poſſeſſio dictæ Eccleſiæ tradita fuerit tùm à publico conſilio dictis Patribus; tum ab Executore Litterarum Apoſtolicarum antedicto Sacerdoti Brizi.

Recurrentibus itaque tùm Patribus dictæ Congregationis, tùm publico Conſilio *ad Sanctiſſimum*, omnis quæſtio ad hanc Sacram Congregationem ablegata fuit. *Tria* modò proponuntur Dubia.

Ad

Ad *primum* inquiunt Patres Congregationis Sanctiſſimi Redemptoris Juſpatronatus non acquiri, niſi ex fundatione, ædificatione, ac dotatione: Nullum ex his titulis in caſu concurrere: Ineptam quippe eſſe dotationem anno 1629. à Maria Quartucci factam; In ea aſſignaſſe ipſa met Prædia, ac ſupellectilia jam antea ad Eccleſiam ſpectantia, ſibique uſque de anno 1619. loco depoſiti conſignata, vixque auxiſſe dotem in binis tumulis terreni, aliiſque perpaucis ſupellectilibus. Cauſa ideo hujus dotationis nullum Juſpatronatum acquiri potuiſſe, tum quia Eccleſia jam erat antea dotata *Berard. in Comment. ad jus Eccleſ. tom. 2. diſſert. 4. §. Ac enim, & Rota in Pampilonen. Juriſpatronatus ſuper primo Dubio 8. Februarii 1773. §. 8. coram R.P.D. Litta*, tum quia dos à Maria ex propriis Bonis aſſignata non fuit augmentum ſupra medietatem *Fargna de Jurepatr. part. 15. can. 3. caſ. 10. num. 10.*, & *Rota coram Coccin. deciſ. 1056. num. 16.*, tùm demum quia nullum interceſſit Beneplacitum Apoſtol cum, quod neceſſarium eſt in Juriſpatronatus acquiſitione ex augumento Dotis *Fontanel. de Jurepatr. lib. 1. tit. 12. quæſt. 6.*, & *Rota in Pampilonen. Juriſpatr. ſuper primo Dubio 16. Junii 1771. §. 16. coram Riño Ratta Decano*.

Addunt inſuper, quodvis prætenſum Juſpatronatus amiſſum fuiſſe: Hodiernam Eccleſiam ob anterioris vetuſtatem à Populo fuiſſe e fundamentis extructam, hinc proinde Juſpatronatus in auras abiiſſe: Item à Familia Quartucci plura Eccleſiæ Bona, Mobilia, & Semoventia alienata fuiſſe, unde eam cecidiſſe à Juriſpatronatus beneficio *Card. Petra ad Conſt. VII. Gregorii IX. nu. 62.*: Deeſſe rurſus Juriſpatronatus initium, vel ſaltem adeſſe ejuſdem caducitatem. Perperam idcirco confugi ad obſervantiam. Hanc in primis deeſſe, quia nullibi unquam ab Epiſcopis probatum fuit jus Quartucciorum, imò in ſacris Viſitationibus ſemper impugnatur per verba *aſſertum Juſpatronatum*: Inſuperque conſtare de initio vitioſo, & de infecto titulo Inſtrumenti anni 1629. ſæpius à Familia Quartucci allegato, & producto, unde vetitum eſſe ad præſumptum titulum confugere *Rota coram Dunozet. jun. deciſ. 804. num. 4.*, *coram Tanar. dec. 83. num. 29.*, & *in Baren. Juriſpatronatus 22. Martii 1754. §. 13. coram Figueroa*.

Ad *ſecundùm* advertunt, in Litteris Apoſtolicis Philippi Brizi additam fuiſſe clauſulam = *verificato prius coram Ordina-*

dinario Loci dicto Jurepatronatus ex fundatione, vel dotatione. Hoc autem Juſpatronatus nullibi verificatum fuiſſe, imò ex ſuperius adductis excludi: Quamobrem Litteras Apoſtolicas veluti non juſtificatas non eſſe exequendas. Nihil verò referre, eumdem Brizi præſentatum fuiſſe à Scholaſtica Quartucci ultima de hac Familia, quæ ex facto ſuorum Auctorum eſt in poſſeſſione præſentandi. Non enim mòdo quæri de executione Litterarum Apoſtolicarum, itaut quæſtio ex ultimo ſtatu velut in poſſeſſorio definienda ſit, ſed contemporaneè ex Pontificis delegatione quæri etiam principaliter de Patronatus exiſtentia, ac veritate, & juxta veritatem dumtaxat tituli Juriſpatronatus eſſe Cauſam definiendam *Gonzal. ad regul. Cancell.* 8. *gloſſ.* 18. *num.* 22., *& Rot. cor. Anſald. dec.* 410. *num.* 45.

Ad *tertium* denique concludunt, omnia Bona, jura, credita, ſacraque Supellectilia ad ipſam Eccleſiam ſpectare, eorumque adminiſtrationem ad Patres Congregationis SSmi Redemptoris pertinere. Ea enim omnia Eccleſiæ donata fuiſſe ob devotionem erga Imaginem B. M. V., unde utpotè intuitu Eccleſiæ relicta ad ipſam Eccleſiam ſpectare, & in ejus uſum eſſe convertenda. Horum autem omnium adminiſtrationem de jure pertinere ad Parochum Eccleſiæ Collegiatæ, intra cujus fines erecta eſt, ac proinde in vim ceſſionis factæ favore dictorum Patrum nunc eis competere *Rot. in recen. deciſ.* 37. *num.* 9. *part.* 5. *tom.* 1., *& in Uratislavien. Translationis Imaginis* 17. *Martii* 1738. §. 12. *cor. clar. mem. Card. Calcagnino*.

A Scholaſtica Quartucci Molelli, & à Sacerdote Philippo Brizi nihil adhuc habuimus. Epiſcopus Verulanus, Partibus auditis, viſiſque juribus, concludit = *illud mihi ſtatui poſſe viſum eſt, ut ſcilicet Juſpatronatus maneat in Familia Quartucci, oblationibus uſque adhuc à Fidelibus dictæ Eccleſiæ exhibitis D. Philippus Brizi præſens Cappellanus à dicta Familia Quartucci nominatus fruatur. Ea verò Bona, quæ in poſterum Fidelium pietas ſperamus fore, ut offerat, cedant Patribus SSmi Redemptoris, quibus Eccleſia iſthæc paucis ab hinc menſibus eſt conceſſa*.

Juſpatronatus Eccleſiæ tribus potiſſimum modis de jure poteſt acquiri, nimirum fundatione, ædificatione, & dotatione *Gloſſ. in cap. piæ mentis* 26. *cauſ.* 16. *quæſt.* 7., & qui-

& quilibet ex his tribus modis disjunctim, & seperatim sufficit ad Juspatronatus acquirendum *Fagnan. in cap. quoniam* 3. *de Jurepatr. num.* 49., hinc sola dotatio idonea est ad illius acquisitionem *cap. Filiis* 31. *caus.* 16. *quæst.* 7., *& Concil. Trident. Sess.* 14. *cap.* 12. *de Reform.* Præter hos supradictos tres modos acquiri etiam potest vel *ex privilegio*, quando Summus Pontifex alicui de Ecclesia benemerito, vel ob aliam causam illud concedit *cap. licet* 2. *de Præben. in* 6., vel ex *præscriptione* ex multiplicatis præsentationibus per tempus immemorabile *Concil. Trident. Sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.* ibi = *Sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat* = Ad hoc autem, ut præsentationes dicantur multiplicatæ, duas sufficere tradit *Barbos. ad Concil. Trident. Sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform. num.* 5. Tempus verò immemorabile censetur tempus quadraginta annorum in Personis de usurpatione minimè suspectis *cap. quia indicante* 9. *de Præscript.*, *& Barbos. jur. Eccles. cap.* 12. *num.* 75.

Juspatronatus in Personis privatis, & non suspectis de usurpatione non requirit adeo exactam, & plenam probationem, sicut in Personis potentibus, & de usurpatione suspectis *Concil. Trident. Sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.* Hinc in ipsis Personis privatis satis illud probari videtur ex præsentationibus per quadraginta annos effectum sortitis; ex iteratis enunciativis centum annorum, vel hominum memoriam excedentibus; ex Litteris Institutionum Ordinarii, quibus Beneficium ad præsentationem alicujus Patroni asseritur pertinere; ex antiquis Episcoporum Sacris Visitationibus; ex consensibus vel Patrono reservatis, vel ab eo prestitis in pluribus provisionibus; ex fama, & publica voce juncta longa possessione; & demum ex aliis similibus argumentis, & circumstantiis.

Sanè usque ab anno 1629. Maria Quartucci Ecclesiam B. M. V. dotando sibi, suisque Successoribus reservavit Juspatronatus, & à dicto anno 1629. usque ad præsens Familia Quartucci Cappellanum nominavit, qui ad ipsius præsentationem ab Episcopis pro tempore fuit institutus. Inquirendum hinc quanti æstimanda sit dicta dotatio anni 1629., quæ comitem habet observantiam fere 150. annorum, & quanti æstimanda sit tam longissima

ma poſſeſſio militans favore Familiæ Quartucci, Eminentiſſimi Patres decernent.

I. *An Eccleſia, & Cappella B. M. V. Gratiarum Fruſinonis ſit de Jurepatronatus Familiæ Molelli in caſu &c.*

II. *An conſtet de legitima verificatione Litterarum Apoſtolicarum expeditarum favore Sacerdotis Philippi Brizi in caſu &c.*

III. *An, & ad quem pertineant Bona, jura, credita, Sacra Supellectilia, & alia quæcumque data, conceſſa, & perventa ad dictam Eccleſiam, & Cappellam in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 18. *Julii* 1778. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

REaſſumere dignabuntur EE. PP. folium præteritæ Congregationis *diei* 27. *nuper elapſi menſis Junii*, & infraſcriptis dubiis tunc non propoſitis trium Cauſarum, quæ priori loco ſubjiciuntur, nunc reſpondere.

MACERATEN. in qua quæritur.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c. — *Seſſ 6. cap. 2. de Reform., & Seſſ.24.cap.12. de Reform.*

In Deciſis, & amplius.

PONTIS CURVI REÆDIFICATIONIS, ET TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS, cujus ſunt V. Capita. — *Seſſ.21. cap.7. de Reform.*

I. *An ſit locus reædificationi, & ampliationi Eccleſiæ Parochialis S. Michaelis Arcangeli, ſeu potius illius reſtaurationi in caſu &c.* = & quatenus affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam.

II. *An reædificanda ſit in eodem ſitu, ſeu potius transferenda ad aliam prope Collegium Doctrinæ Chriſtianæ in caſu &c.* = & quatenus negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam.

III. *An liceat vendere ſitum antiquæ Eccleſiæ ad effectum erogandi pretium in conſtructionem novæ Eccleſiæ in caſu &c.*

IV. *An, & cujus expenſis novæ Eccleſiæ ædificatio, aut antiquæ reſtauratio facienda ſit in caſu &c.* = & quatenus Parochianorum.

V. *An ſit imponenda taxa, ſeu Collecta, & quomodo in caſu &c.*

Iterum proponatur.

Seſſ.21. cap.7. de Reform.

VERULANA JURISPATRONATUS, cujus dubia tria ſunt.

I. *An Eccleſia, & Cappella Beatæ Mariæ Virginis Gratiarum Fruſinonis ſit de Jurepatronatus Familiæ Molelli in caſu &c.*

II. *An conſtet de legitima verificatione Litterarum Apoſtolicarum expeditarum favore Sacerdotis Philippi Brizi in caſu &c.*

III. *An, & ad quem pertineant, Bona, jura, credita, Sacra Supellectilia, & alia quæcumque data, conceſſa, & perventa ad dictam Eccleſiam, & Cappellam in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem.

Seſſ.24. cap.1. & cap.5. de Reform. Matrim.

CIVITATIS CASTELLI NULLITATIS MATRIMONII. Ad conciliandas nuptias inter Dominicum Paſqui Civem Civitatis Caſtelli, & Roſam Dragoni a biennio jam commorantem in Oppido Silicis Diæceſis Civitatis Caſtelli, in tertio Conſanguinitatis gradu inter ſe ſanguine conjunctos, obtentæ fuerunt Apoſtolicæ litteræ erroneè directæ Vicario Generali Epiſcopi Civitatis Caſtellanæ, in quibus, enarrata cauſa, quòd præfata Roſa vigeſimum quartũ ætatis annũ excederet, quòdque oblata hactenus ei non fuiſſet occaſio nubendi cum paris conditionis Viro, mandatum fuit eidem Vicario = *quatenus de præmiſſis diligenter te informes, & ſi factis proclamationibs etiam in Parochiali Eccleſia originis dictæ Roſæ, & habita relatione dictarum proclamationum, per informationem eamdem preces veritate niti compereris &c. tum cum ipſis, dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, impedimento tertii Conſanguinitatis gradu diſpenſes*,

Hæ litteræ exhibitæ fuerunt Vicario Generali Civitatis Caſtelli, pro quarum verificatione producta fuit tum fides Baptiſmatis dictæ Roſæ ortæ anno 1747., tum depoſitiones Teſtium ſuper ſtatu libero utriuſque Sponſi, & ſuper defectu occaſionum nubendi Viro paris conditionis, hinc Vicarius injunxit utriuſque Parochis publicationes, ſeu denunciationes. Sponſæ Parochus illarum binas explevit, non ita tamen Sponſi Parochus, qui vix unica facta, à cæteris deſiſtere debuit ob contradictionem Ioannis Mariæ Paſqui Sponſi Patris, qui in actis oppo-

ſuit

ſuit *nihil tranſeat*, inſtititque viriliter, eaſdem litteras u.i non verificatas non eſſe exequendas.

Sic itaque judicia i interpoſita mora exoptato Conjugio, Sponſus, & Sponſa *ſub die* 13. *Maii* 1777. ſeſe contulerunt ad Eccleſiam Parochialem Mulieris, dum Parochus Sacrum celebra at; eo autem abſoluto, cum Parochus ex Altaris gradibus deſcenderet, Dominicus, & Roſa ſeſe illi præſentarunt, & coram Teſtibus, plurimiſque Perſonis ibidem adſtantibus conſenſum in Matrimonium, invito, reluctante, & aufugiente Parocho, aperuerunt.

Curia Eccleſiaſtica mandavit Conjuges ſeparari, & contra eos criminalem Proceſſum fieri præcepit, At quamvis Joannes Maria PaſquiDominici Pater à quavis oppoſitione ſubinde receſſiſſet, attamen in hac Sacra Congregatione ſeſe in Contradictores erexerunt Antonius Paſqui Sponſi frater, & Roſa Paſqui illius Soror, necnon Hieronymus Chriſtiani ejuſdem Sororis Vir acriter inſtantes pro declaratione nullitatis dicti Matrimonii. His itaque Matrimonii validitatem impugnantibus, nunc de ejuſdem validitate inquirendum eſt.

Contendunt enim primò, Matrimonium tunc nullum fuiſſe ob nondum ſublatum Conſanguinitatis impedimentum: Litteras quippe Apoſtolicas non diſpenſationem, ſed ſimplex Mandatum de diſpenſando prætuliſſe: Nullam ideo concipi poſſe diſpenſationem, antequam Delegatus reverà diſpenſaverit. Hanc autem diſpenſa ionem nec datam à Vicario Generali Civitatis Caſtelli fuiſſe, nec ab eodem ferri potuiſſe. Non quidem datam, quia nullum diſpenſationis Decretum ab eodem Vicario Generali latum fuerat, & eo pendente, initum fuerit Matrimonium, adeò ut tempore Matrimon i non adhuc fuerit ſublatum impedimentum *Corradin. in prax. diſpenſ. Apoſt. lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 55., *& de Juſt. de diſpenſ. Matrim. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 12.: Non item ferri potuiſſe, vel quia litteræ non directæ fuerint Vicario Genera i Civitatis Caſtelli, ſed alteri Civitatis Caſtellanæ, ita ut ille in ipſarum executione nullimode ſe ingerere poſſet, etiamſi erronea fuiſſet directio *Roſa de execut. Litter. Apoſtol, part.* 1. *cap.* 4. *num.* 10., *de Juſt. de diſpenſ. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 70., vel quia obreptitiæ eſſent ob falſas expreſſiones, quòd Roſa oriunda eſſet è Diæceſi Burgi S. Sepulchri, quòdque parem Virum invenire nequiviſſet, quan-

do in Diæceſi Aretinâ orta fuerat, pluresque Viros paris conditionis invenerat.

Addunt, idem Matrimonium nullum, & irritum etiam esse ob defectum moralis Parochi præsentiæ: Certi quippe juris esse sustinent, non sufficere solam physicam, & materialem Parochi præsentiam, sed requiri moralem, ita ut noverit, & audiverit utriusque Sponsi consensum *Tiribal. Oper. Moral. tom.* 3. *tract.* 10. *cap.* 7. *Dub.* 12. *num.* 90., *Schmalzgrueb. de Cland. Desponſ. num.* 166., *& Sacra hæc Congreg. in Romana Dubiorum Matrimoniorum* 6. *Martii* 1700. At Parochum in casu verba consensus utriusque Conjugis non audivisse, aut intellexisse, & sicuti Parochus nequeat esse Testis consensus utriusque, ita nec validum dicendum sit Matrimonium *Ventrigl. in prax. tom.* 1. *adnot.* 3. §. 2. *num.* 5., *Clericat. de Sacr. Matr. deciſ.* 35. *num.* 21.: Quin inquirendum sit, an ea verba affectatè, vel ex suo facto non audierit. Quoniam cum Parochus testiari non possit de dicto consensu, quem non audivit, neque intellexit, proindeque dictum Matrimonium ob defectum moralis præsentiæ Parochi minime sustineatur *Monacel. form. leg. tom.* 1. *tit.* 10. *form.* 8. *num.* 2., & *Ursaya tom.* 3. *part.* 1. *discept.* 1. §. 13. *num.* 1.

Contra verò Dominicus, & Rosa Conjuges propugnant, Matrimonium initum fuisse coram Parocho Sponsæ, & duobus Testibus, unde quamvis illicitum, validum tamen esse juxta censuram Sacrosancti Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* Nec obesse, quòd Executor tunc dispensationis Decretum adhuc non tulerit; nam dispensationem ab Executore tam verbo, quàm facto concedi potuisse *Sanch. de Matrim. tom.* 3. *tit.* 8. *diſput.* 4. *num.* 1., *de Juſt. de diſpenſ. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 18; At exhibitis coram Vicario litteris, hunc post examinatos Testes tùm super veritate Causæ, defectus nuptiarum cum Viro paris conditionis, tùm super statu libero utriusque Sponsi, & demum post compertam veritatem annorum 24. Sponsæ, demandasse publicationes: Claram ergo esse ejusdem Vicarii voluntatem dispensandi, idque satis, superque sufficere, ut impedimentum sublatum dicatur. Nihil verò referre, quòd litteræ directæ fuerint Vicario Generali Civitatis Castellanæ:

Id enim ex mero errore processisse, certamque esse Pontifi-

cis

ficis voluntatem illas dirigendi Vicario Generali Civitatis Caſtelli, cui Sponſi ſubſunt. Injuria verò impugnari allatam cauſam, quòd idoneum Virum Roſa non invenerit: hanc ſatis probari ex teſtimonio Patris, & Avunculi Sponſæ, imo ſatis verificari, ex quo adhuc erat innupta *Kugler. de Matrim. tom.* 2. *part.*4. §. 12. *num.* 310.

Tandemque Matrimonii Defenſor æque advertit, cauſas in Litteris Apoſtolicis contentas undique verificatas fuiſſe, certamque etiam Executoris voluntatem, ac factum diſpenſationis eſſe. Addit inſuper, inanem eſſe nullitatem Matrimonii ex eo deſumptam, quòd Parochus nihil aliud audiverit, quàm ſui nominis prolationem à Sponſo factam, nec perceperit verba conſenſum utriuſque ſignificantia: Non enim opus eſſe, quòd conſenſus ex verbis percipiatur, ſed ſat eſſe, illum percipi etiam ex ſignis licèt extrinſecis *Rota in Majoricen. Matrimonii* 8. *Julii* 1749. §. 6. *coram. bon. Me. Canilliac*. Parochum verò in caſu jam denunciationes expleviſſe, jamque noviſſe Sponſorum animum ineundi Conjugium; Ex ipſo actu, quo ſeſe ambo Sponſi ad Altare conſtituerunt, cognoviſſe ipſorum voluntatem illud contrahendi; audiviſſe etiam verba Sponſi ad Matrimonium directa, & Sponſæ verba conſenſum exprimentia: Conſtare ideo, Parochum plenè noviſſe Conjugum conſenſum, & voluntatem celebrandi Matrimonium: Id autem ſufficere ad Matrimonii validitatem, etiamſi affectatè, & fugiens præciſa verba utriuſque Conjugis non audiviſſet, nec intellexiſſet *Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. tom.* 2. *lib.*13. *cap.*23. *num.* 10.

Epiſcopus Civitatis Caſtelli ſummopere tuetur validitatem initi Matrimonii, ut ex ejuſdem Informatione, quæ inter monumenta circumfertur.

Longè ſanè diſtat *diſpenſatio à mandato de diſpenſando*. Illa tunc dicitur indulta, quando Summus Pontifex directè diſpenſationem concedit, & Brevia, vel Litteras Apoſtolicas diſpenſationis *in forma gratioſa* ipſis Oratoribus dirigit. Contra vero ſimplex mandatum de diſpenſando eſt, quando litteræ certis Judicibus *in forma Commiſſaria* diriguntur, ut, verificatis expoſitis, diſpenſatio concedatur. Diverſus autem eſt effectus utriuſque gratiæ; nam in primo caſu gratia ab initio dicitur pura, & perfecta, directèque tollit impedimentum: In altero verò caſu gratia perfecta non eſt, niſi Executor

eam-

eamdem indulserit, unde ex facto Executoris pendet impedimenti remotio *Sanchez de Matrim. lib.* 8. *disp.* 30. *num.* 12., *de Just. de Dispens. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 340., *Rosa de execut. Litter. Apostol. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 11., & 12., & *Rota in recentior. decis.* 73. *num.* 2. & *seqq. part.* 18.

Verùm Summus Pontifex non directe gratiam dispensationis indulsit, sed mandavit Vicario; *quatenus de præmissis diligenter te informes, & si factis proclamationibus etiam in Parochiali Ecclesia originis dictæ Rosæ, & habita relatione dictarum Proclamationum, per informationem eamdem preces veritate niti compereris &c. tum cum ipsis, dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, impedimento tertii consanguinitatis gradu dispenset* = Porro Vicarius Generalis post verificatas causas expressas, nempe ætatis sponsæ annorum 24., & defectus occasionis nubendi Viro paris conditionis, nec non post examinatos Testes super statu libero utriusque Conjugis, relaxavit publicationes, quæ in Parochia Sponsi, & Sponsæ expletæ fuerunt: Quærendum hinc, an ex hoc facto Executoris certa habeatur illius voluntas dispensandi, itaut si non positivo Decreto, saltem facto, & voluntate deletum fuerit impedimentum, unde Sponsi validè Matrimonium inire potuerint: viden. *Sanchez de Matrim. tom.* 3. *lib.* 8. *disput.* 4. *num.* 1., *de Justis de dispens. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 28.

Ad præsentiam Parochi quod attinet, Sacra Congregatio *diei* 6. *Martii* 1700. *in Romana super Dubiis Matrimonii* propositis = III. *An Parochi præsentia, de qua loquitur Sacrum Concilium cap.* 1. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cum illis verbis* = qui aliter, quàm præsente Parocho &c. *debeat esse moralis humano modo, & cum advertentia, itaut possit esse Testis Matrimonii actualiter, & de facto contracti, non verò voluntatis contrahendi; vel sufficiat potius sola præsentia physica, seu materialis* = IV. *An affectante Parocho non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestinè contrahere Matrimonium, & revera illa non audiente, vel non vidente, validum sit Matrimonium coram ipso attentatum* = respondit = *Reprobata opinione, quòd sufficiat præsentia Parochi purè, physicà, seu materialis, providebitur in casibus particularibus* = *ut in Lib. Decr.* 50. *pag.* 73., & *seq.*

Inquirendum pariter, an in casu, in quo intercesserit punon

ra, phiſica, ac materialis Parochi præſentia, vel potius ipſe Parochus licèt verba mutui conſenſus integrè non perceperit ob ipſius reluctantiam, verè tamen, & realiter ſi non ex verbis, ſaltem ex ſignis, & actibus eumdem conſenſum noverit; Parochus jam denunciationes fecerat: ſciebat obices à Parentibus, & Conſanguineis datos: viderat ambos Sponſos ad Altare accedentes: vix audita voce Sponſi = *Signor Don Ignazio* = ſtatim reclamavit, & reluctavit, fugienſque ſe in Sacrario occluſit plenè noſcens, eos Clandeſtinum Matrimonium inire velle, Sacra Congregatio in una *Sarzanen. Matrimonii* 15. *Februarii* 1646., in qua quæſitum fuerat = *An Matrimonium contractum abſque denunciationibus, & ſine licentia Ordinarii coram Teſtibus, & Parocho contradicente, qui audivit tantummodo verba conſenſus per Sponſum præſtiti, dum præ manibus habens Sponſam dixit* = queſta è mia Moglie = *& audivit, quod Sponſa dixit nonnulla verba, quæ tamen non intellexit, an ſit de jure validum, & ſubſiſtat* = reſpondit = *Matrimonium ſuſtineri, etiamſi Parochus non intellexerit verba Sponſæ, dùm tamen de illius conſenſu ex aliis ſignis juxta juris communis diſpoſitionem legitime conſtet* = ut refertur *in Folio* Cauſæ *Romana Matrimonii* Congregationis *diei* 28. *Julii* 1730., de quo *in Theſaur. Reſol. tom.* 5. *pag.* 23.

Itemque in una *Neapolitana Matrimonii diei* 6. *Maii* 1741., in qua Parochus ſuſpicatus de clandeſtino Matrimonio à Viro, & Muliere Eccleſiam ingreſſis ineundo, in Sacrarium aufugit, unice auditis Viri verbis = *Sig. Paroco* = quin aliud à Muliere audiverit, propoſito Dubio = *An conſtet de Sponſalibus, & Matrimonio, vel potius ſint concedendæ Litteræ teſtimoniales ſuper ſtatu libero in caſu &c.* = reſpondit = *Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam, & amplius* = ut ex *Theſaur. Reſolut. tom.* 9. *pag.* 106., & *tom.* 10. *pag.* 59. Similiter *in Carthaginen. Matrimonii*, in qua agebatur de Matrimonio contracto coram Parocho Domi ſuæ circa octavam noctis horam deprehenſo, qui Virum agnoverat, ejuſque verba audierat = *Padre Curato Lei ſia teſtimonio* =, Mulierem autem nec viderat, nec audierat, eadem Sacra Congregatio, audito Voto Canoniſtæ, & duorum Theologorum, reſpondit *ſub die* 22. *Septem-* 1753. = *Affirmative pro validitate Matrimonii, attentis facti circumſtantiis, in caſu, de quo agitur* = veluti ex *Theſaur.*

ſaur. Reſol. tom. 22. *pag.* 16, 21. 50, & 55. Quæritur.

An conſtet de validitate Matrimonii, ſeu potius ſint exequendæ Litteræ Apoſtolicæ diſpenſationis in caſu &c.

Negative in omnibus, & ad mentem.

Seſſ. 24. *cap.* 6. *de Reform. Matrim.*

PRÆMISLIEN. NULLITATIS MATRIMONII. Nuptias anhelans Barbara Pininski degens in Monaſterio Ordinis S. Benedicti Civitatis Præmislienſis familiaritatem contraxit cum Xaverio Laszowski ejuſque fratre Franciſco Canonico Cathedralis Eccleſiæ præfatæ Civitatis, occaſione, qua iidem frequentèr ad dictum Monaſterium accedebant cauſa inviſendi ſuas Conſanguineas ibidem Moniales profeſſas. Illa enim pluries modò cum uno, modòque cum altero fratre Loszowski ſecreta habuit colloquia, eiſdemque pandidit voluntatem ſuam, quæ erat numquam amplectendi Statum Religioſum, ut ſummoperè exoptabant Parentes ipſius, ſed quidem Matrimonium contrahendi quantocitius; habitaque notitia, quòd alii erant Fratres Laszowski natu majores, rogavit Xaverium, ut illis ſignificaret, ſe eorum alteri nubere velle, ſignificaretque pariter ejus Parentibus, ut Rhedam ſubminiſtrarent pro hujuſmodi contrahendo Matrimonio, addens, quòd ſi hoc fruſtraretur Conjugio, ſe paratam eſſe pro aliqua fruenda libertate jungi cuique homini etiam infimæ ſortis.

Explicita Barbaræ voluntas cum relata fuiſſet Thereſiæ de Buckowski Laszowski antedictorum Fratrum Matri, hæc reminiſcens ſuaſiones ſibi factas à Joſepho Drokojowski Caſtellano Præmislienſi ejuſdem Barbaræ Avo materno, ut Barbaram ejus neptem in Uxorem daret alicui ex ſuis filiis, Rhedam ad Barbaram miſit unà cum Cubicularia, præcepitque Canonico Franciſco filio, ut per ſter ſociaret Barbaram, eamque duceret in Domum ſuam: Præcepto Matris Canonicus licet invitus obtemperavit, perventoque ad Monaſterium, cum Barbara reſciviſſet adeſſe Rhedam, læſis Clauſtri vinculis, fugaciter ad Rhedam acceſſit, & per ſe ipſam apertis valvulis, in eam aſcendit, ac inter illius Culcitras ſe abſcondit, ut à nemine cognoſceretur, ſubindeque Canonico quoque Rhedam aſcenſo, petierunt Villam.

Noz-

Nozdrzec de dominio Succamerarii Sanocenſis illorum de Laszowskis Avunculi, alteraque die pervenerunt ad Villam Humniska, ubi Laszowskiorum lares ſunt, ibique perventis, Barbaram ultra modum hilarem eduxit e Rheda Ignatius ex fratribus Laszowski natu major, qui pridie ante adventum Barbaræ ad Domum ſuam ex Confœderatione Barenſi redierat.

Barbara ſtatimac vidit Ignatium, illicò affectum ſuum, quem erga eumdem in mente, & in corde conceperat, oſtendit. Ipſa enim inſtetit penes Thereſiam Ignatii Matrem pro contrahendis nuptiis cum Ignatio, quem in Virum ſelegerat ex fratribus Laszowski; Ipſa acceleravit & urſit Matrimonii celebrationem cum Ignatio, votique compos evaſit, quoniam geminis à Præmislienſi Epiſcopo remiſſis denunciationibus, una tantùm expleta in Eccleſia Humnicenſi, *die* 22. *Auguſti* 1768., quæ dies erat tertia, vel quarta ab adventu Barbaræ, Matrimonium in faciem Eccleſiæ per verba de præſenti Ignatium inter, & Barbaram hilarem, & lætabundam, nobilibus præſentibus Teſtibus, aliiſque compluribus Perſonis ſolemniter celebratum fuit. Hæc omnia habentur ex juratis depoſitionibus tùm Thereſiæ Matris, tùm Xaverii filii Laszowski, tùm etiam ex Teſtibus formali examine ſubjectis.

Ex hoc Conjugio, in quò Barbara ſummoperè læta manebat, Proles duplex adnata eſt, imo tantus fuit amor, quo Conjuges ſe invicem proſequebantur, quòd *die* 30. *Aprilis anni* 1770. publico Inſtrumento hæredes uſufructuarios omnium ſuorum reſpective Bonorum Mobilium, & immobilium, præſentium, & futurorum ſeſe viciſſim, donec vixerint, declararunt. Sexto jam decurrente Matrimonii anno, cum Conjuges ad reconciliandos animos Parentum ipſius Barbaræ, qui morabantur in Villa Cieſzacinek, acceſſiſſent, hi retenta Barbara filia, Viroque expulſo, Libellum nomine Barbaræ contra ipſum expediverunt in Curia Eccleſiaſtica Præmislienſi poſtulantes Matrimonii nullitatem ex tribus capitibus, primò ex cauſa *raptus in perſona Magnificæ Actricis in abſentia Illuſtrium ejus Parentum*. Secundò ex cauſa *vis, & coactionis per Magnificam Laszovuska Matrem Citati Actrici illatæ*. Tertiò demùm *ſtante actuali defectu recti Judicii ob aliqualem internam infirmitatem pro tunc in eadem Magnifica Actrice læſi*.

Super his datæ fuerunt Poſitiones, ſive Articula Ignatio

Viro, ſubindeque examinati fuerunt Teſtes hinc inde inducti. Ac demum in Conſiſtorio Generali Eccleſiaſtico Præmislienſi *die* 6. *Octobris* 1775. lata fuit definitiva Sententia, declarans, Matrimonium fuiſſe ritè, validè, & legitimè contractum, Barbaram verò infra terminum triginta dierum teneri ad redeundum cum Ignatio Viro ſuo. Hęc Sententia poſtmodum in gradu Appellationis infirmata fuit per geminas alias conformes Sententias, nimirum alteram *ſub die* 30. *Januarii* 1776. latam per Judicem delegatum à Metròpolitano Leopolienſi, alteramque proditam *die* 14. *Junii ejuſdem anni* 1776. ab alio Judice Auctoritate Apoſtolica in partibus delegato declarantes irritum eſſe Matrimonium, obſtante impedimento Raptus juxtà Vota Barbaræ, facultatemque dantes utrique Parti ad aliud Matrimonium, quatenus vellent, convolandi.

Ulteriori interpoſita Appellatione, Cauſæ cognitio conſcendit ad hanc Sacram Congregationem. Requiſiti de more fuerunt tùm Epiſcopus Præmislienſis, tùm Archiepiſcopus Leopolienſis: Primus enim teſtatus fuit, per ſe ipſum legiſſe, & ponderaſſe inquiſitiones, & depoſitiones Teſtium juratorum, eaſque ſufficientes comperiiſſe ad probandam validitatem contracti Matrimonii, fuitque in voto *pro fide, honore, & conſcientia nulla ratione debere, vel poſſe invalidari, & annihilari inter præfatos Conjuges Matrimonium*. Secundus autem retulit, Judicem ab eo delegatum cognoviſſe = *propter Raptum in Perſona dictæ Barbaræ commiſſum Matrimonium non ſubſiſtere* = ideoque = *retractata Sententia primæ Inſtantiæ Præmislienſis, ſuam protulit pro nullitate ſæpedicti Matrimonii, quam pro juſtitia, & æquitate eumdem protuliſſe in Domino cofido, & credo*.

Tribus ex titulis, Raptu ſcilicet, vi, & ſuæ mentis imbecillitate nullum, & irritum Barbara dicit Matrimonium ſuum. Ipſa enim tota innititur Conciliari diſpoſitioni *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform. Matrim.*, cujus verba ſunt hæc = *Inter Raptorem, & Raptam, quamdiu ipſa in poteſtate Raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium*: *Quòd ſi Rapta à Raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in Virum habere conſenſerit, eam raptam in Uxorem habeat*.

Atque hinc ponderandum eſt, Raptum juxta Sacroſanctum Oecumenicum Concilium non alium eſſe, niſi *violentam* abductionem fæminæ de loco in locum Matrimonii con-

tra-

trahendi causa ex *Can. Caus. 36. quæst. 1. §. Lex illa vers. Raptus*, *Pichler in Jus Canon. lib. 4. tit. 1. de impedimento Raptus num. 117.*, *& Reiffenstuel. in suis Commentariis ad Jus Canon. lib. 4. Decretal. tit. de Sponsa., & Matrim. §. 10. num. 373.*, istamque violentiam esse de *essentia* Raptus, ut prosequitur *Pichler. loc. cit. sub eodem num. 117.*, eamque requiri vel physicam, quæ fit per injectionem manuum, vel moralem, quæ fit per graves minas, gravemque metum, ita ut si procul absit violentia, etsi Puella consentiat in Raptum, Raptus non admittitur, ut firmant Canonistæ, & in specie *Reiffenst.*, *& Pichler. locis citatis*, *& Lauren. in Jus Canon. qaæst. 119. lib. 4. §. 3. tit. 1. de Sponsal.*, *& Matrim. num. 1.*

Quo posito, examinandum esset, utrum Concilium Tridentinum *citata Sess. 24. cap. 6. de Reformat. Matrim.* interdicens Matrimonium inter Raptorem, & Raptam, *quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit*, loquatur nec ne de abductione voluntaria, seu de violenta, quoniam abductioni violentæ aptari videntur pœnæ Raptoribus indictę *in eodem cap. 6.*, ubi sic prosequitur = *& nihilominus Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque Dignitatum incapaces, etsi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea Raptor mulierem raptam, sive eam in Uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

At verò sive Sancta Synodus loquatur de abductione violenta, sive de abductione, consentiente Muliere, videtur tamen præsens casus alienus a Conciliari dispositione, quia non Ignatius Vir fuit, qui Barbaram abduxit à Monasterio, imo Testes examinati formiter affirmant, Ignatium ad Domum suam rediisse pridie ante Barbaræ adventum: nec etiam Canonicus raptor dici posse videtur, quia Barbara per se ipsam læso Claustro, Rhedam ascendit, unde illius discessum, insciis etiam Parentibus, non Raptui, sed voluntariæ fugæ tribuendum esse docet *Bonaccin. Oper. Moral. tit. de iis, quæ pertinent ad usum Matrimonii quæst. 4. punct. 18. num. 5.*. Non enim vel à longe probatur, Canonicum per violentam manuum injectionem Barbaram abduxisse; nec etiam à Barbara probatur, ipsam arripuisse fugam ob importunas Canonici preces, vel suasiones, nisi eæ ad irritandum Matri-

monium probentur tales, ut violentiæ æquiparentur *Barboſ. ad Concil Trident. dicta Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform. Matrim. num.*7. Illa enim tamquam degens in Monaſterio conſtituta jam erat in loco tuto, & libero, ubi violentia cujuſvis generis eidem inferri non poterat. Quamobrem cum nulla vis illata demonſtretur vel Barbaræ, vel ejus Parentibus Canonicum a raptu abſolvere videtur Litteralis *Canon. Cauſ.* 36. *quæſt.* 1. §. *De Raptoribus verſic. Aliud eſt*, ibi = *Aliud eſt enim promiſſionibus aliquam ſeducere, aliud ſibi vim inferre, unde quia Neutri* (hoc eſt Puellæ, & Parentibus) *vis illata probatur, Raptor hoc jure dici non debet.*

Quòd ſi hæc à Barbara non probantur, nec etiam ab ipſa probari videtur illius aſſertio, quòd Ignatius in mandatis dederit ejus Fratri, ut Barbaram abduceret ad effectum ſecum contrahendi Matrimonium. Cæterum cum Barbara ſub initium hodiernæ litis articula, ſeu poſitiones exhibuerit Ignatio, ut reſponderet, in quibus præ cæteris interrogabatur de violenta ipſius abductione, eo impellente, Matrimonii contrahendi cauſa, deque coactione ſibi facta pro illius celebratione, & demum de ſuæ mentis imbecillitate: Cumque Ignatius hæc omnia negaverit in ſuis juratis reſponſionibus, palam proinde fit, quòd, niſi à Barbara convincatur Ignatius de mendacio, & perjurio, quemadmodum Ignatius convictus eſſe non videtur per Teſtes ſubſequenter inductos, formiterque examinatos, eadem Barbara ſtare deberet negativis reſponſionibus ab Ignatio datis *Rot. in Vintimilien. Sponſalium* 9. *Februarii* 1756. §. 5. *coram bo. mem. Borrull.*, *& in Ariminen. Diviſionis* 20. *ejuſdem menſis*, *& anni* 1756. §. 10. *cor. cl. mem. Card. Caprara*.

Rurſus quoties Barbara ipſa aufugit à Monaſterio, ac quoties eadem conſenſit in Matrimonium, quod anhelans, exoptaverat, dum conſtat, illud hilarem, & feſtivam coram omnibus celebraſſe per verba de præſenti, nec unquam de illius nullitate ex violenta abductione, vel ex coactione, vel ex vi reſultante conquæſtam fuiſſe ſive cum Ancillis, ſive cum Nobilibus Mulieribus, ſive cum ipſo Epiſcopo Præmislienſi, quem, ut ipſe ait, frequentabat, devium à jure videtur eſſe, modò contra Matrimonium inſurgere prætextu vis illatæ vel ſibi, vel Parentibus ſuis, quorum aſſenſus, ut validum ſit Matrimonium à Barbara ſpontè, & libere celebratum non eſt neceſſarius ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.*

Ad

Ad dementiam verò quod attinet, notandum occurrit, Barbaram, ne validum dicatur Matrimonium ab ipsa celebratum, dementem se prædicare tàm ante ejus ingressum in Monasterium, quàm in ejus asserta abductione, necnon etiam in actu celebrati Matrimonii, modò verò, quo ipsa agit pro illius nullitate, repente se restitutam esse ad pristinam mentis serenitatem. Verumtamen quidquid sit de hujusmodi dementia, sive de mentis levitate, hoc unum certum esse videtur ex depositione Monialium, aliorumque Testium hinc inde formiter examinatorum, Barbaram persæpè habuisse lucida mentis intervalla. Qua concurrente probatione, non licet eidem Barbaræ nullum dicere Matrimonium, nisi concludentissimè probet, ipsam tempore præciso tum ejus discessus è Monasterio, tùm celebrati Matrimonii à recto mentis sensu fuisse prorsùs alienam ad *Textum in cap. In præsentia de Probat.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 262. *num.* 9., *Palm. Nep. alleg.* 23. *num.* 9., *& seq. Rot. cor. Faconer. de Senat. Consult. Vellejan. decis.* 2. *num.* 15., *& in Lycien. Associationis, & Immissionis* 4. *Martii* 1754. §. 7. *cor. cl. mem. Card. Molino*.

Hæc, & alia plurima legenda, & ponderanda sunt in respectivè libellis ab utroque Conjuge, & à Defensore Matrimonii circumferendis. Dubium est.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Dilata, & proponatur in Prima proxima sequenti etiam unica.

TIRASONENs ORDINUM. Decidenda fuerat hæc Causa *in postrema Congregatione* habita *die* 27. *mensis Junii proxime præteriti*, sed cum Canonicus Vincentius Calvo *dilationem* postulaverit, & obtinuerit, idcircò definiendum nunc erit ab Eminentiis Vestris. *Sess.* 23 *cap.* 16. *& Sess.* 22. *cap.* 4. *de Reform.*

I. *An sit locus Ordinationi in casu &c.*

II. *An, & a quo tempore restituendæ sint distributiones quotidianæ in casu &c.*

III. *An Canonicus Calvo reintegrandus sit ad Stallum in Choro prius quæsitum in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

RO-

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

ROMANA, ET MESSANEN. Non graventur Eminentiſſimi Patres reſumere *Folium ultimæ Congregationis diei 27. proxime præteriti menſis Junii*. Fuit enim in eo deſcripta hæc Cauſa, ſuffragiiſque in eamdem Sententiam minimè convenientibus, reſcriptum fuit = *iterum proponatur* = nunc autem juribus maturius perpenſis, deliberandum erit.

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum in caſu &c.

Seſſ. 23. cap. 1. de Reform.

PORTUEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Eximio, quo ardet, zelo erga ſibi commiſſum Gregem Eminentiſſimus Cardinalis Epiſcopus Portuenſis, in Relatione Status illius Eccleſiæ duo propoſuit, quæ maturo examine indigere videntur, quæque idcircò, ut æqua lance de more librentur, infraſcripta dubia judicio ampliſſimi hujus Ordinis optimum viſum eſt proponere. Cum enim ea diæceſis Parochiis decem, & ſeptem, Cathedrali comprehenſa, componatur, quarum Rectores duo ad nutum amovibiles, aliqui indigenæ, plerique ſunt exteri; Si excipiatur Parochus Caſtri Novi, Riani, & Cæſani, ut plurimum cæteri ex immemorabili antiquiſſima conſuetudine eſtivo tempore, obtenta ab Ordinario licentia, ac idoneo pro animarum cura Sacerdote deputato, cum majori parte Parochianorum, ne ob veneficum aerem mortem ſubire cogantur, ultra menſes duos a Sacroſancta Tridentina Synodo conceſſos, aliis inſuper duobus ſubſequentibus menſibus a ſuis Eccleſiis hactenus abeſſe conſueverunt.

Contendunt ſiquidem Parochi, abſentiam hujuſmodi Sacri Concilii menti nequaquam adverſari, a quo cum tres etiam menſes tolerentur, videtur, arbitrium Ordinarii rationabilibus de cauſis ad alium menſem extendi poſſe, dummodo animarum cura nullatenus negligatur. Tanta quippe iis in locis æſtivis menſibus eſt aeris intemperies atque infectio, ut in reſpectivis Paræciis reſidere, & lethalem ægritudinem declinare ſit fere impoſſibile, veluti Rectores aliqui in ſui perniciem miſere experti ſunt. Parochi Prædeceſſores Inſulæ Farneſianæ, Ceræ, & Cereveteris, qui continuam reſidentiam ſervare tentarunt, contracto morbo, vitam ea de cauſa cum morte com-

commutaſſe feruntur : Hodiernus Archipresbyter Farneſianus diutinam paſſus infirmitatem vix mortem effugit, & alternis poſtea diebus, ac quarta deindè quaque die febre correptus hiſce incommodis liber fuit, dum a ſua Eccleſia æſtivo tempore cæpit abeſſe : Archipræsbyter Portuenſis, pluribus licet remediis contra peſtiferum aerem adhibitis, in eadem nihilominus Salutis, & vitæ diſcrimina anno præterito incidit : demum Cereveteris Sacriſta ibidem æſtivos proximè elapſos menſes tranſigere auſus, ea vi morbi affectus eſt, quam inſuperabilem medicinæ Profeſſores renunciarunt ; Et ſucceſſivè tamen ad Salubrius Cælum evectus vitam equidem, ſed alternantibus febribus, quibus expedire ſe nequit, adhuc moleſtam trahit.

Quæ cauſæ per Parochos Portuenſes allatæ reverà tanti ſunt, ut Eminentiſſimis Epiſcopis pro tempore difficile ſit idoneos reperire Sacerdotes, qui ad vacantium Paræciarum regimen aſſumantur ; difficillimum verò ipſis Rectoribus, quocumque oblato ſtipendio, Vicarios ſubſtituere, qui tempore æſtivæ abſentiæ Parochorum in eorum munia incumbentes Capite velint periclitari. Hinc factum eſt, ut Prædeceſſores Ordinarii evidentiam periculi dignoſcentes conſuetudini acquieverint, quotieſcumque a Parochis in reſpectivis Paræciis idoneus Vicarius in menſibus æſtivis relinqueretur, ne alia ratione propter morbum frequentem, ſive obitum Paſtorum novos Rectores quotannis conſtituere cogerentur.

Alterum, de quo ambigitur, inſurgit ex quadam Cappellania, quam clar. mem. Cardinalis Carolus Barberini erigendam curavit. Is etenim cum a Principe Urbano Barberino Latifundium Arcis S. Marinellæ circa initium labentis ſæculi emiſſet, Eccleſiam ibi divo Joſepho dicatam invenit, in qua Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, Fons Baptiſmalis, & Sanctum Oleum Infirmorum aſſervabatur. Cognovit autem, quòd prædictus ſuus Author ob ejus animi religionem, & ad commodum Chriſtifidelium a Paræcia S. Severæ per ſex milliaria diſtantium in memorato templo Loci S. Marinellæ quotidianæ Miſſæ celebrationem exequeretur, ad quem effectum Sacerdoti reſidenti ædium commoditatem, & congruum ſtipendium ſuppeditabat ; probeque intelligens, ut in erectione Cappellaniæ enunciatur = *utilitatem ex continua permanentia alicujus Sacerdotis in dicta Eccleſia reſultantem pro ſalute animarum, & admi-*

administratione Sacramentorum, ac celebratione dictæ Missæ quotidiè pro omnibus in dicta Tenuta pro tempore inhabitantibus, aliisque circumvicinis, & Viatoribus EX SUA PARTICULARI DEVOTIONE, ET PIETATE = sub die 29. Januarii anni 1703. Sacerdoti Cappellano ad nutum amovibili annuum redditum scutor. 115., nec non domum pro habitatione assignavit.

Inter cætera porrò voluit, ut iste Cappellanus = *nominato, e da nominarsi, e dall' Eminentissimo Signor Cardinale Vescovo di Porto approvato alla Cura delle anime* = residere eo loci teneretur; Sacramenta omnia habitantibus, Viatoribus, ac Infirmis ministrare; propria ære ardentem lampadem manutenere, ceram pro divino cultu, atque distributione in die Purificationis B V. emere, Missas annuas 350. juxta modum præscriptum, ac ejus intentionem PER SE IPSUM in eadem Ecclesia celebrare, ita ut = *le rimanenti Messe poi possa il medesimo Cappellano applicarle a suo arbitrio*: Et denique onus eidem adjecit = *d'invigilare all'esercizio della Cura delle Anime si per le Confessioni, e Communioni, si anche per tutto quel di più, che apparterrà alla perfetta Cura delle Anime &c. le Feste dopo la Messa cantata le Litanie della Madonna, insegnare a tutti la Dottrina Cristiana &c. recitare il Rosario tre volte la settimana &c.*

Suam postremò voluntatem piissimus Fundator hisce verbis declarat = *Affinchè alcuno mai, ne in alcun tempo possa credere, e giudicare, che l'Eminenza Sua coll'assegna fatta della somma suddetta al predetto Cappellano abbia avuto intenzione di erigere in detta Chiesa di S. Marinella alcun Beneficio Ecclesiastico, perciò dichiara non aver avuta, ne avere tale intenzione, e vuole, che detto Cappellano sia in perpetuo amovibile ad nutum . . . proibisce concedere in perpetuo Benefizio detta Cappellania, ò che alcuno si ordini a titolo della medesima, volendo, che rimanga sempre, ed in perpetuo mera e semplice Cappellania laicale amovibile, come sopra, e de jure Patronatus di S. E., e dè Possessori pro tempore della medesima Tenuta ex fundatione, & dotatione.*

Quamvis autem hodiernus Cappellanus præfata munera Parochialia, non secus ac Prædecessores, exerceat, & ex consuetudine Archipræsbyteri nomine appelletur, is tamen Dominicis, festisque diebus Missam pro Populo ægrè fert applicare, Parochum se esse negans, eo quòd ex lege tàntum Cappellaniæ, & ad coadjuvandum Archi-

chipresbyterum S. Severæ proximum recensita officia illi sint obeunda : Irrationabile verò contendit esse, hoc onere se prægravari, quippe qui ea de causa plura sacrificia a Fundatore SIBIMET injuncta necessariò cogeretur contra justitiam omittere.

Itaque per Eminentissimum Episcopum interpellatus est S. Severæ Archipræsbyter, intra cujus Paræciæ limites Arx S. Marinellæ consurgit, qui fatetur utique, memoratas functiones a Cappellano peragi, Sacramenta retineri, ac ministrari, qui mos in aliis etiam illius Diœcesis Ecclesiis non Parochialibus pro inhabitantium commodo viget ; Ignorari autem, an super his Prædecessorum Parochorum expressus consensus intercesserit, quorum certè, prout hodierni Rectoris, tacitus libenter accedit, cum ex prædicti Cappellani opera Parochi pro tempore non parvum a labore ac molestia in animarum regimine levamen accipiant ; Ea tamen propriis Parochialibus juribus nequaquam obesse autumant, quandoquidem nemo ipsam S. Josephi Ecclesiam in Paræciam consensit erigi ; Fundator Cappellaniæ nec voluit, nec per se præstare hoc potuit ; illam nec Apostolica Sedes, nec Eminentissimi Episcopi talem unquam declararunt, neque dismembratio a Parochia S. Severæ ejus favore secuta est, neque certa utrique Ecclesiæ confinia ad tramites juris præsignata fuerunt.

Hæc, & non alia in facto habemus. Qui autem de Residentiæ excusatione innuat Sacrum Tridentinum Concilium, legimus *Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Refor.*, ibi = *Cum Christiana charitas, URGENS NECESSITAS, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant &c.* Hoc verò nomine superius enarratum salutis, ac vitæ discrimen comprehendi non adeò facile est judicare ; quidquid enim nonnulli senserint, communior inter Canonistas, & Sacro huic Senatui accepta est opinio, aeris intemperiem non modò, sed neque infirmitatem Parochos a Residentiæ obligatione eximere, quibus divino jure suas oves pascere, & pro eis animam dare præceptum est. In eo utique conveniunt omnes, quòd si quis Parochus ægritudinem contraxerit, nec ob defectum Medicorum, medicinarumve in Paræciæ districtu valeat curari, tunc Ordinarius ei possit licentiam impertiri, ut ad tres, vel quatuor menses in vicinioribus locis recuperandæ sanitatis gratia maneat, assignata congrua portione ex redditibus

Parochialibus idoneo Vic., qui interea Sacramentorum administrationi,& animarum curæ laudabiliter incumbat. Ità *Bened. XIV. Instit. Eccl.* 17. *num.* 14., *Fagnan. in cap. Clericos num.* 10. *de Cleric. non resid.*, *Barbos. de offic.*, *& pot. Paroch. part.* 1. *cap.* 8. *num.* 29., *& seq.*, *& de offic. & pot. Episc. part.* 3. *alleg.* 53. *num.* 90., *& in Conc. sess.* 23. *cap.* 1. *num.* 56., *Garz. de Benef. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 179. *vers.* QUARTA: Qui tamen enunciatæ opinioni contrariam regulam designavit in præmisso *vers.* TERTIA, ibi = *Inter causas absentiæ connumeratur infirmitas curabilis, aeris intemperies certo anni tempore, & quando ita solitum est fieri ab omnibus Sacerdotibus præsertim alienigenis, & ad tempus.*

Constans nihilominus Sacræ Congregationis prænarrata Sententia, & praxis fuit, quam videre est *in una Regien.* 1573., ubi dumtaxat ratione jam contracti morbi Ordinario licere definitur alibi migrare ad tres, vel quatuor menses, & cum supra allatis conditionibus Parochis licentiam concedere, *& in una Nicien.* 4. *Augusti* 1646. *lib.* 18. *decret. pag.* 164.

Quoties verò duæ simul circumstantiæ concurrant, nempe quòd Parochus sit alienigena, & grave præterea valetudinis periculum immineat, mitius aliquando Sacer hic Ordo se gessit. Eo namque casu ob solam aeris infectionem gratiam Rectoribus indulsit, dum patet *in Algaren.* proposita per Summaria precum *die* 13. *Martii* 1762., in qua Rescriptum fuit *Pro gratia ad quatuor menses æstivos currentis anni tàntum comprehensis Conciliaribus arbitrio Episcopi: cum obligatione commorandi in locis Parochiæ proximioribus non infectis aeris intemperie, quatenus ex eis in occurrentibus solemnitatibus, vel necessitatibus, sine detrimento propriæ valetudinis accedere possit Orator ad consulendum Parochianorum indigentiis, deputato interim idoneo Vicario ab Ordinario approbando, qui resideat, & curam Animarum, ac Sacramentorum administrationem laudabiliter exerceat = ut in lib.* 112. *decret. pag.* 112. *à tergo*. Et successivè *in Calaritana* 8. *Maii prædicti anni relat. in Thesaur. Resol. tom.* 31. *pag.* 79., inibi enim cum quæreretur, an Parochus æstivo tempore, & autumnali ob aeris intemperiem a sua Ecclesia abesse posset, prodiit responsum = *Negativè, & detur decretum ad formam Algaren.*

Ponderandum igitur, quantum in Portuensi Diæcesi Parochorum salus, ac vita ipsa quotannis ex aeris contagione

gione periclitetur, quomodo huic eorum malo juſtum ſit conſulere, quale inter Parochos loci originarios, atque alienigenas diſcrimen oporteat adhibere, quid ad animarum illis commiſſarum perennem curam magis conferat, quæque firmiter pro ſingulis eorum in re tanti momenti ſit regula præfinienda.

Caput alterum, quod proponitur, applicationem Miſſæ pro Populo reſpicit, ad quam non teneri Archipresbyter Arcis S. Marinellæ opinatur. Quid jura noſtra hac in re decernant, compertiſſimum eſt, & neminem Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi loco citato ſanctio latet, ibi = *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro iis ſacrificium offerre &c.* Quam quidem ſanctionem San. Mem. Benedictus XIV. in ſua Encyclica, cujus initim = *Cum ſemper oblatas* = declarat, diſſertiſque verbis, præſcribit, omnes, & ſingulos, = *qui actu animarum curam exercent* =, quamvis ad alium habitualis cura ſpectaret, Dominicis, feſtiſque diebus Miſſam pro Populo omninò applicare debere, ut, quo tempore ſaltem Fideles in Eccleſia frequentiores conveniunt, & ſalutaribus verbis, ac Fidei rudimentis imbui debent, eo vel maximè pro eiſdem a reſpectivo illorum Rectore ſalutaris Hoſtia offeratur.

Verùm in ſubjecta quæſtione animadvertendum eſſe videtur, an prælaudata Conciliaris Sanctio, & Benedictina Conſtitutio de eo ſolum intelligi debeat, qui, canonica præcedente erectione Pareciæ, in animarum curam incumbit; an de Illo etiam, qui ſubſidiario potius nomine, quàm proprio, officiis Parochialibus perfungitur. E contra vix dici poteſt, Populum Arcis S. Marinellæ diſtrictum inhabitantem ad Parochiam Archipræsbyteri S. Severæ ſpectare, quem numquam, vel fere nunquam accedentem videat, quippe quia dictus S. Marinellæ populus nec S. Severæ Eccleſiam frequentet, nec vocem ejus Parochi audiat, nec cathecheſi, aut Sacramentis in Fide, & Charitate roboretur, licet hic de ſuis Parochialibus juribus ſtudioſus appareat. Iterum, ſi S. Marinellæ Cappellanus uti Parochus feſtis diebus pro Populo Sacrum peragere teneatur, vel Miſſas Cappellaniæ adnexas contra præſcriptum Fundatoris, vel Miſſas ipſas Parochiales non parvo numero celebret per alium oportet.

Norunt hæc, norunt quæcumque alia perpendenda Eminentiſſimi Patres, qui rogantur idcircò ſapientiſſimè reſpondere.

I. *An, & quomodo propter aeris intemperiem ſit providendum in caſu &c.*

II. *An Cappellanus, ſeu Archipræsbyter nuncupatus Sanctæ Marinellæ feſtis diebus Miſſam pro Populo applicare teneatur in caſu &c.*

Seſſ. 25. cap. 5. de Reform.

SARSINATEN. ERECTIONIS PLEBANATUS. In Diæceſi Sarſinatenſi plures ſunt Plebanæ Eccleſiæ, quarum præſtantior eſt illa Loci *S. Damiani* ita dicti à Plebana Eccleſia ibidem ſita ſub invocatione Ss. Coſmæ, & Damiani. Huic Eccleſiæ ſubjectæ ſunt novem Paræciæ finitimorum Pagorum, quas inter numeratur Eccleſia Parochialis contermini Pagi, ſeu Oppidi *Fori Saraceni* vix per dimidium miliarii diſtantis à Plebana Eccleſia S. Damiani. Antiquitus enim univerſus Populus Fori Saraceni Plebs erat antedictæ Plebanæ, & Parochialis Eccleſiæ S. Damiani: Subinde verò, & de anno 1653. virtute Conſtitutionis ſan. mem. Innocentii X., quæ incipit *Inſtaurandæ*, ſuppreſſo Conventu Eremitarum Ordinis S. Auguſtini in dicto Foro Saraceno degentium, Eccleſiam in eo exiſtentem ſub invocatione Sanctæ Mariæ Novæ Sarſinatenſis, tunc Epiſcopus in Parochialem certis limitibus circumſcriptam erexit, ejuſque Parochum titulo Prioris condecoravit, cujus Animarum curæ commiſit totum Fori Saraceni Populum à Plebana Eccleſia diſmembratum, illæſa tamen manente illius ſubjectione Plebanæ Eccleſiæ S. Damiani.

Inter onera ſubjectionis, reverentiæ, præeminentiarum, & ſimilium, quæ à ſuffraganeis Parochis jure debentur Plebano, ſive Archipræsbytero S. Damiani, ea ſunt, accedendi ſingulis menſibus juxta Synodales Conſtitutiones ad Plebanam Eccleſiam, ut ſeſe congregent in conferen-

ferendis Conſcientiæ caſibus, nec non die Sabbathi Majoris Hebdomadæ, ut interſint Sacri Fontis benedictioni.

Nunc verò hodiernus Prior Parochialis Eccleſiæ Fori Saraceni nomine etiam ejus Cleri, & Populi preces porrexit SUMMO NOSTRO PONTIFICI, ut ad evitandas contentiones, & diſſidia frequenter exorta ipſum inter, & Plebanum S. Damiani, dignaretur mandare erectionem ſuæ Parochialis Eccleſiæ in Plebaniam, eidemque ſubiicere quatuor Parochiales Eccleſias Pagorum *Montis Caſtelli*, *Montis Saxi*, *Columnatæ*, *& Rodognani*, eis divulſis à Plebana Eccleſia S. Damiani, cui ipſæ jamdiu ſubiiciuntur. Ablegatis precibus ad hanc Sacram Congregationem, requiſitus fuit de more Sarſinatenſis Antiſtes *pro ſua Informatione*, *& voto*, *auditis omnibus intereſſe habentibus*. Is verò, nequaquam auditis Parochis dictorum quatuor Pagorum, vera dixit ea, quæ in precibus narrata fuerunt, ſuumque votum aperuit pro petitæ erectionis conceſſione.

Cauſa proponitur, contradicente Plebano, ſive Archipræsbytero S. Damiani. Erectionem in Plebaniam poſtulat Prior Parochialis Eccleſiæ Fori Saraceni non ex titulo juſtitiæ, ſed *ex gratia*, quippe quia amænitas Oppidi, ejuſque decor, & honor ſupra Pagum S. Damiani id expoſcere videatur, præſertim ad evitanda ſcandala, jurgia, & diſſentiones huc uſque exortas, & inpoſterum orituras ipſum inter, & Archipræsbyterum S. Damiani, qui e contra ſuſtinet Oppidum Fori Saraceni humillimum eſſe, ejuſque honorem, & decorem proceſſiſſe ab indulgentia Epiſcopi. Diſſentiones verò, & amaritudines, quæ hactenus nunquam fuerunt, nunc exortas eſſe à voluntate Prioris, qui ſuam ſubjectionem erga Plebanum agnoſcere recuſat; probatque ſimul nullam juſtam adeſſe cauſam petitæ erectionis, & diſmembrationis dictarum quatuor Parochialium, quarum duo Parochi nimirum *Montis Caſtelli*, *& Rodognani* poſtulatæ diſmembrationi expreſsè diſſentiunt: Suſtinetque demùm, hanc erectionem, & Parochialium diſmembrationem, ſi concedantur vergere in maximum ipſius præjudicium tàm quoad emolumenta, quàm quoad Præeminentias.

Qua verò juris ratione gratiam poſtulet Prior Fori Saraceni, & quo jure gratiæ reſiſtat Plebanus S. Damiani,

Am-

Ampliſſimi Patres latiùs agnoſcere poterunt in Libellis ab utraque Parte circumferendis. Quatuor ſunt hujus Cauſæ Dubia ex iiſdem eruta, & definienda.

I. *An ſit locus erectioni Eccleſiæ Parochialis Fori Saraceni in titulum Plebanatus, in caſu &c.* = & quatenus affirmative.

II. *An ſit locus diſmembrationi ejuſdem Eccleſiæ Parochialis, & aliarum quatuor Parochialium Montis Caſtelli, Montis Saxi, Columnatæ, & Rodognani à Plebana Eccleſia S. Damiani, earumque unioni prædictæ Eccleſiæ Fori Saraceni in caſu &c.*

III. *An Archipresbytero, ſeu Plebano S. Damiani competat Jus præeminentiæ in omnibus functionibus Eccleſiaſticis fieri ſolitis in Parochialibus eidem Suffraganeis in caſu &c.*

IV. *An Parochi ſuffraganei teneantur menſe quolibet accedere ad dictam Plebanam Eccleſiam pro conferentiis caſuum moralium, ſeu potius ſit locus alternativæ cum altera Eccleſia Fori Saraceni in caſu &c.*

Die Sabbathi 8. Auguſti 1778. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN ultima ampliſſimi hujus Ordinis Congregatione, quæ habita fuit *die* 18. *nuper elapſi menſis Julii*, duæ, quæ priori loco ſubiiciuntur, Cauſæ dilationem obtinuerunt ad hodiernam Congregationem, reliquæ verò propoſitæ non fuerunt. Rogantur igitur Ampliſſimi Patres, ut ad eas definiendas folium dictæ Congregationis iterum conſulant.

VERULANA JURISPATRONATUS, cujus tria ſunt Capita. *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

I. *An Eccleſia, & Cappella Beatæ Mariæ Virginis Gratiarum Fruſinonis ſit de Jurepatronatus Familiæ Molelli in caſu &c.*

II. *An conſtet de legitima verificatione Litterarum Apoſtolicarum expeditarum favore Sacerdotis Philippi Brizi in caſu &c.*

III. *An, & ad quem pertineant Bona, jura, credita, Sacra Supellectilia, & alia quæcumque data, conceſſa, & perventa ad dictam Eccleſiam, & Cappellam in caſu &c.*

Dilata ad primam poſt Aquas.

PRÆMISLIEN. NULLITATIS MATRIMONII, cujus Dubium eſt *Seſs. 24. cap. 6. de Reform.*

An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.

Negative, & amplius.

TI-

Sess.23.cap.16 & Sess.22.cap. 4. de Reform.

TIRASONEN. ORDINUM, cujus Dubia tria sunt
I. *An sit locus Ordinationi in casu &c.*
II. *An, & à quo tempore restituendæ sint distributiones quotidiaaæ in casu &c.*
III. *An Canonicus Calvo reintegrandus sit ad Stallum in Choro prius quæsitum in casu &c.*

Supplicet Episcopo, & ad mentem.

Sess.25. cap. 4. de Reform.

ROMANA, ET MESSANEN., in qua respondendum est
An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Dilata, & proponatur, citato Hærede.

Sess.23. cap. 1. de Reform.

PORTUEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM, cujus gemina sunt Dubia
I. *An, & quomodo propter aeris intemperiem sit providendum in casu &c.*
II. *An Cappellanus, seu Archipresbyter nuncupatus Sanctæ Marinellæ festis diebus Missam pro Populo applicare teneatur in casu &c.*

Ad 1. arbitrio Emi Episcopi ad Decennium, & in reliquis detur Decretum, ut in Algaren.; Ad 2. dilata.

SAR-

SARSINATEN. ERECTIONIS PLEBANATUS, cujus IV. Capita sunt *Sess. 25. cap. 5 de Reform.*

I. *An sit locus erectioni Ecclesiæ Parochialis Fori Saraceni in titulum Plebanatus, in casu &c.* = & quatenus affirmative.

II. *An sit locus dismembrationi ejusdem Ecclesiæ Parochalis, & aliarum quatuor Parochialium Montis Castelli, Montis Saxi, Columnatæ, & Rodognani à Plebana Ecclesia S. Damiani, earumque unioni prædictæ Ecclesiæ Fori Saraceni in casu &c.*

III. *An Archipresbytero, seu Plebano S. Damiani competat Jus Præeminentiæ in omnibus functionibus Ecclesiasticis fieri solitis in Parochialibus eidem suffraganeis in casu &c.*

IV. *An Parochi Suffraganei teneantur mense quolibet accedere ad dictam Plebanam Ecclesiam pro Conferentiis casuum moralium, seu potius sit locus alternativæ cum altera Ecclesia Fori Saraceni in casu &c.*

Reliquæ non propositæ.

MACERATEN. RESIGNATIONIS BENEFICII. In Territorio Oppidi Urbisalviæ Diœcesis Maceratensis adest ruralis Ecclesia sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis *Majestatis*, seu *del Massaccio* idest Cupræ Montanæ, ut antiquitus erat ejusdem Ecclesiæ denominatio. In ea est simplex Beneficium, cujus fundatio, & fundationis lex simul & ædificationis Ecclesiæ tempus penitus ignoratur. Anno 1735. vacavit hoc Beneficium per obitum Sacerdotis Benedicti Cavallini ultimi illius possessoris, & in novum Beneficiatum à Communitate Urbisalviæ per secreta suffragia nominatus fuit Joseph Cozzi de eadem Terra, qui illius institutionem obtinuit à Capitulo Basilicæ Lateranensis, cui, ut asseritur, eadem Ecclesia usque ab anno 1546. donata fuerat à dicta Communitate, & Hominibus Urbissalviæ, reservato sibi jure patronatus seu jure nominandi Beneficiatum. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

Cogitans Sacerdos Cozzi Beneficium liberè renunciare Clerico Joanni Massari miserrimo Pronepoti suo ex Terra Caldarolæ nunc Incolæ Urbissalviæ, quem penes se retinet, ut ad Sacrum Præsbyteratus Ordinem, quem Clericus exoptat, suis loco, & tempore promoveri possit, idcircò preces porrexit Summo Regnanti Pontifici, ut clementissime exoptatam renunciationem, seu liberam Beneficii resignationem admitteret cum derogatione pro hac vice tàntum juripatronatus Communitatis; ablegatisque precibus ad Sacram Congregationem Boni Regiminis, auditus ab ea fuit Provinciæ Præsul, qui personaliter se conferens ad Oppidum Urbissalviæ retulit, vera esse narrata in precibus Sacerdotis Cozzi, subditque = *Hò rilevato pur anche, avere il Supplicante appresso di se un Pronipote chiamato Giovanni Massari Chierico di anni tredici, quale è Orfano, e di civile estrazione . . . . privo in tutto di Beni di fortuna.*

Addit = *sentiti varj Consiglieri dissappassionati, e non impegnati ò dall'interesse delle proprie respettive Famiglie, ò di quelle de loro Congiunti, tutti mi hanno assicurato, essere giusta, e convenevole cosa, che il detto ricorrente rinunzi l'accennato Beneficio semplice, e mero laicale al sovraccennato di lui Pronepote, per essere questo Fanciullo di ottima aspettazione, studioso, morigerato, e che diligentemente, e con esemplarità serve, ed hà servito la Chiesa, il che universalmente, e senza contradizione si ammette da tutto il Popolo di detta Terra* =; retulitque paritèr de conspicuis meliorationibus ære proprio per dictum Sacerdotem Cozzi factis in Bonis Beneficii, quarum in correspectivitatem, ac etiam gratificàtionis titulo putare Consiliarios indifferentes, justitiæ, & æquitati consentaneam esse resignationis gratiam, quæ à Sacerdote Cozzi postulatur, & quæ probabiliter esset denegata, si proponeretur in publicis Comitiis, in quibus prævaleret = *la parte di coloro, che sarebbero mossi dal proprio vantaggio, e de suoi Congiunti à quella, che soltanto è diretta dalla gratitudine, e dalla carità verso questo Giovanetto, che in niuna altra maniera può sperare d'essere promosso à suo tempo al Sacerdozio.*

Omnia relata fuerunt Sacratissimo Principi, qui rem definiendam unà cum novis precibus eidem porrectis à prædicto Sacerdote Cozzi commisit huic Sacræ Congrega-

gationi. Datæ fuerunt Litteræ, ut moris est, *pro Informatione, & Voto, auditis omnibus interesse habentibus, & præfixo termino* Maceratensi Episcopo, qui cum interea decessisset, retulit Vicarius Capitularis, Communitatem omnino dissentire gratiæ resignationis, Clericum verò Joannem Massari bonis moribus imbutum esse, ac demum pro Communitate suum votum aperuit.

Causa proponitur. Quadruplici ex capite propugnat Communitas, petitæ resignationis gratiam esse reiiciendam. Primò, quia Cozzius non laude sit, sed pœna dignus, dum Beneficii Bona pro parte alienavit, deterioravitque cætera, quæ ipse conservare tenetur *Piton. de Controv. Patron. alleg.* 100. *sub num.* 180., Secundò, quia vetitum ei fuit in nominatione ad ejus favorem à Communitate facta renunciandi Beneficium = *à Persona veruna, mà volendolo dimettere, lo debba rinunciare liberamente à questa nostra Communità, e quella possa, e gli sia lecito venire, e nominare a detto Beneficio altro soggetto à suo arbitrio, e non altrimenti &c.* = Tertiò, quia res est de Beneficio Jurispatronatus Communitatis, sine cujus consensu illius resignatio fieri non possit *Barbos. Jur. Eccles. Univers. lib.* 3. *cap.* 15. *numer.* 142., & 145., *Ferrar. in sua Bibliot. verb. resignatio tom.*6. *num.* 21., & *seqq.*. Quartò demùm, quia Clericus Joannes Massari, ad cujus favorem Cozzius resignare Beneficium intendit, alienigena est, tamquam ortus in Terra Caldarolæ, qui proinde posthaberi debet in concursu Presbyterorum, & Clericorum Urbissalviæ Exteris præponendorum juxta *Gloss. in Can. Hortamur distinct.* 71.

Cozzius e contra quoad *primum* non negat, ipsum nonnulla alienasse Bona; probat tamen, ea distraxisse, prævia Ordinarii licentia, eorumque pretium erogasse in creditum, & utilitatem Beneficii: Probat insuper, Ecclesiam propriis sumptibus ornasse, & nobiliorem reddidisse, eamque instruxisse Sacris Supellectilibus, quæ deficiebant tempore sui ingressus ad Beneficium; Bona verò coluisse, ad meliorem statum reduxisse, eorumque auxisse valorem, nec non Domos, quæ ruinam minabantur, restaurasse, ita tamen ut Beneficium modò redditus habeat uberiores illis, quos prius habebat. Quoad *secundum* sustinet, onus nominationi adjectum

de non renunciando Beneficium alicui Perſonæ, præter Communitatem, eſſe poſthabendum, tum quia nec illud in præſentatione ab ipſa Communitate facta legitur, nec in Collationis Beneficii Litteris expeditis à Capitulo Lateranenſi; tum etiam quia Communitas non docet, hoc adjectum onus demandatum à Teſtatore fuiſſe; cum vetitum Patrono ſit onera ſuperaddere in fundatione non expreſſa *Piton. de Controv. Patron. alleg.* 100. *num.* 148., *& ſeq.*, Beneficiatum verò teneri ad onera tàntum à Fundatore præſcripta, non autem ad illa appoſita in nominatione de ſe facta à Patrono, prout hæc Sacra Congregatio definivit *in Tudertina*, *& in Florentina* utraque reſoluta in Congregatione *diei* 12. *Martii* 1718., *& in Montis Faliſci* 31. *Maii* 1721., tum demùm quia Communitas non in omnibus nominationibus hoc onus ſuperaddidit, itaut nec dici poſſit, illud eſſe ſervandum ſaltem ex conſuetudine, quæ ab unico tàntum actu contrario deſtruitur *Rota in Interamnen. Nullitatis Deliberationis* 15. *Maii currentis anni* 1778. §. 4. *cor. R. P. D. Sentmanat.*

Quoad *tertium* Cozzius contendit, in proviſione Beneficii, attenta illius vacatione per liberam reſignationem de eo factam in manibus Summi Pontificis, Patronorum aſſenſum à S. Sede de ſtylo tantùm, *&* urbanitate, non autem de juſtitia requiri, teſte *Rota coram Anſald. deciſ.* 476. *num.* 41. Fortius quia valde dubitandum ſit de hoc Jurepatronatus penes Communitatem, cum ab ea nulla fundatio, nullumque validum proferatur documentum Patronatum oſtendens ad illius favorem præſervatum, quòdque Eccleſia fundata ſit in Solo Lateranenſi. Nominationes autem, & præſentationes per eam exhibitas, uti non conſecutivas, de uſurpatione ſuſpectas eſſe, ideoque Petronatum non probare, cum ad illum probandum, deficiente fundatione, præſentationes eſſe debeant continuatæ, & quæ effectum ſortitæ ſint ultra centum annos *Rota in Pampilonen. Juriſpatronatus*, *& Præeminentiarum* 11. *Maii* 1759. §. 10. *in fin. coram bon. mem. Frangipane*. Hac probatione Communitatem deſtituì contendit Cozzius, quia licet Communitas *anno* 1577. ad vacantem Eccleſiam, & Beneficium nominaverit *Bernardinum Saraceni*, ejuſque nominatio fuerit cum effectu, nihilominus *uſque ad annum* 1672. nulla alia profertur nominatio; advertit etiam Cozzius, Com-

Communitatem hoc *anno* 1672. nominasse *Thomam Tenaglia* per obitum *Reguli Castellani*, nec ab ea probari, quisnam Regulum Castellani nominaverit, præsentaverit, & instituerit, uti nec nominationem Thomæ Tenaglia effectum habuisse suum; adeoque id verum esse, ut subsequenter, *& de an.* 1702. nominato à Communitate *Benedicto Cavallini*, per cujus obitum sequutum *anno* 1735. Cozzius Beneficium obtinuit, in expeditis collationis Litteris favore ejusdem Cavallini exprimitur, Beneficium, & Ecclesiam vacasse per obitum *Petri Salvini*, cujus nominatio, præsentatio, & institutio penitus ignoratur.

Ad *quartum* demùm quod attinet, respondit Cozzius, Clericum Joannem Massari Pronepotem suum quamvis de Terra Caldarolæ, esse tamen originarium è Terra Urbissalviæ; probatur quippe, ejus Avum, & Proavum Incolas fuisse hujus Terræ, ac inter Consiliarios istius Communitatis cooptatos, nec ex fundatione probari, Jusspatronatus passivum reservatum fuisse pro Civibus, & Incolis Urbissalviæ tàntum; Sententiam verò, quòd Cives Exteris præferendi sint juxta *Glossam in cap. Hortantur dist.* 71. procedere quoad Clericos alterius Diæcesis, qui eo sensu exteri nuncupantur, non autem quoad illos, qui sunt ex una, eademque Maceratensi Diæcesi, ut est Clericus Massari, juxta claram, explicitamque significationem verborum *dictæ Glossæ in dicto cap. Hortamur dist.* 71.

Hæc, & alia plurima legenda sunt in libellis ab utraque Parte circumferendis. In casu autem Cozzius supplicat pro resignatione Beneficii ad favorem sui Pronepotis cum derogatione Jurispatronatus in totum pro hac vice tàntum. Ast quamvis Summus Pontifex derogare possit Juripatronatus, juxta famigeratam *Glossam in Clement. 2. verb. Apostol. de Præbend.*, attamen hac potestate citra necessitatem, & justam causam uti non solet, idque præsertim quando agitur de admittendis resignationibus Beneficiorum Jurispatronatus Laicorum absque illorum consensu, quemadmodum docet *Rigant. ad Regul.* 42. *Cancellariæ num.* 78., *& seqq.*, *& Rota coram Molines decis.* 542. *num.* 4.

An autem Cozzio concedenda sit Resignationis gratia, quam postulat cum derogatione Jurispatronatus, in casu, quo constaret, ipsum de Ecclesia, & Beneficio be-

ne-

nemeritum esse; nec non in casu, quo ejus Pronepos ad Sacros Ordines aliter promoveri non possit; ac etiam in casu, quo deficiat fundatio, & in quo certa non probetur pertinentia Juris patronatus ad Communitatem Urbissalviæ; ac demùm casu, quo Populus Urbisalviæ putat, justam esse, & rationi, & æquitati consonam hujusmodi resignationem, cui etiam assentiuntur tresdecim ex Consiliariis licèt, uti singuli, consentientes; ipsi viderint Eminentissimi Patres, à quibus erit deliberandum.

An sit locus resignationi Beneficii sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis Majestatis favore Clerici Joannis Massari in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

NEPESINA REDUCTIONIS. Redit ad judicium hujus Amplissimi Ordinis hæc Causa, cujus species data fuit *in folio Congregationis diei* 18. *Maii* 1776., quod publici Juris factum est *in Thesaur. Resol. Tom. XLV. pag.* 70. Placuit tunc Eminentissimis Patribus *in sequenti Congregatione* habita *die* 22. *Junii dicti anni* rescribere = *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem* = ut ex *eodem Vol. XLV. Thesaur. Resol. pag.* 74.. Instructio autem in eo versabatur, quòd Sacra Congregatio certior fieret *primò*, an Joannes Baptista Amati Orator sit hæres immediatus Joannis Baptistæ Senioris ejus Avi, & respectivè Alexii ejus Propatrui, à quibus jura detrahendorum Melioramentorum desumere contendit, seu potius sit hæres mediatus per medium Fælicis ejus Patris. *Secundò*, an Bona, quæ titulo Fideicommissi modò retinentur ab eodem Oratore Joanne Baptista, sint illa, in quibus demonstrativè Testator onus Missarum imposuit. *Tertiò*, an, & super quibus Bonis verificentur Melioramenta. *Quartò* demùm, an annui redditus Bonorum omnium in relata quantitate scutorum 31. pares sint pro onerum adimplemento.

Paruit

Paruit Episcopus mandatis Sacri Senatus, & quoad *primùm* respondit = *Super his, pluribus expensis diligentiis rescire potui dictum Joannem Baptistam directam metiri vocationem à providentia Fideicommittentis, eumque esse quidem hæredem Patris, & ex eo hæredem Joannis Baptistæ Avi: Quò verò ad Alexium Propatruum, qui insimul cum dicto Joanne Baptista jura melioramentorum ære suo acquisivit, idem Orator hæc jura cessia agnoscit mediante Transactione inita cum Gibellino ejusdem Alexii Donatario; Quò verò ad cæteros Ascendentes suos, prout sunt Fælix nempe, alter Alexius, cæterique Seniores, quos manus præstitisse audio totali hujus fideicommissi dispersioni, nullam jactare, nec invidere qualitatem hæreditariam.*

Quoad *secundum* retulit = *Testatorem in finali Tabularum parte, subposuisse omnia, & singula Bona sua supradicto oneri, ita ut super reliquatu instituerit fideicommissum favore Primogeniti ex cunctis Descendentibus à Nepotibus suis.*

Quoad *tertiùm* ita respondit = *Factis ideò à me reiteratis diligentiis, in certam potui devenire notitiam, quòd hodie Orator non alia retinet utilia Bona, nisi quæ ab Hæredibus gravatis alienata extiterunt, & alia nonnulla fere inutilia, in quibus nulla alienatio, melioratio, atque recuperatio succesſit; Animadverso, quòd pro alienatis ut supra, indeque recuperatis à Joanne Baptista, & Alexio prædictis solvere debuerunt scuta 768. 58. ½ juxta deducta Instrumenta, ad quam summam hodie non attingit valor Bonorum redemptorum, eo quia melioramenta naturaliter longitudine temporis decrescunt. Alia verò pauca Bona, ut supra non recuperata impetit Orator, ad hoc ut effectus, seu fructus suæ vocationis in quid possidentiæ verificentur, hujusmodique pauca Bona sunt annui redditus scutorum quinque, aut sex circiter, cum consistant in Cryptis obrutis, & in Hortis modici fructatus, cui petitioni adhærendum censeo pro quantitate ab EE. VV. definienda, ne aliàs vocatio ejus in elusionem evadat; considerato præmaximè, quòd Orator certum jus habet retinendi recuperata Bona ex cessis sibi fructibus præcisive à Vocatione.*

Respondens ad *quartum* ait = *Super quo essem in sensu negativo, eò magis si demantur supradicta melioramentorum pretia facta à tertiis Possessoribus in dicta summa so-*

luta

luta à supradictis Alexio, & Joanne Baptista, nec non quota aliqua Vocato assignanda.

Concluditque demùm his verbis = *non omisi strictè imponere Promotori fiscali meæ Curiæ, ut cunctas perficiat diligentias pro cæterorum Bonorum recuperatione, & præsertim Locorum Montium, ac Ceusuum, de quibus in Testamento Christophari* : = repetitumque voluit ejus Votum, seu temperamentum expressum in ejus præcedenti Informatione, relatumque *in folio dictæ Congregationis* habitæ *die* 18. *Maii* 1776. *ab Eminentiis Vestris benigniter reassumendo*, ut definiant.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

NUCERINA PAGANORUM REDUCTIONIS MISSARUM. Specimen hujus Causæ dedimus *in folio Congregationis* habitæ *die* 14. *Februarii proxime præteriti*, à quo repeti poterit. Ea die Causa proponi non potuit: At in sequenti Congregatione *diei* 14. *Martii* Eminentissimi Patres rescripserunt = *Dilata, & ad mentem* =, quæ fuit, ut Episcopus absque ullo sumptu, aut Oratoris impensa transmitteret particulas Testamentorum ad rem facientium, nec non statum Familiæ, ut dignosci possit, quanti sint redditus ipsius ex calculo educti, qui vel coram eodem Episcopo, vel ex ipsius mandato confici debuisset per ultimum decennium, ut erui possit, quantæ expensæ annuales necessariæ sint ad alendam honestè Oratoris familiam: Transmitteret etiam Arborem genealogicam Majorum Testatorum, ut cognosci possint, qui sint Ascendentes, quive inter Transversales connumerari debeant, insuperque referret, quanta sit eleemosyna manualis, quæ pro Missis lectis, & quæ pro Missis cantatis, sècundum illius Regionis morem

rem

rem requiritur, ac demùm super his omnibns ejus animi sensum aperiret.

Hæc omnia peregit Episcopus, quoniam transiniſit ad hanc Sacram Congregationem particulas Testamentorum relatas in Folio subscripto à Cancellario Curiæ Epiſcopalis Nuceræ testantis, eas e suis Originalibus extraxisse, cum adnotationibus ab eodem Cancellario factis in calce cujusvis particulæ Testamentorum. Ex hoc transmisso folio patet, Franciscum Grimaldi *anno* 1612. instituta hærede Beatrice ejus Sorore germana, jure Legati reliquisse Cappellæ S. Mariæ Gratiarum de Jurepatronatus Grimaldæ Familiæ annuos Ducatos novem retrahendos ex Capitali Ducatorum centum viginti, adjecta Lege, quòd Rector pro tempore dictæ Cappellæ celebrare teneatur unam Missam in singulis hebdomadis. Notatur tamen, hoc Capitale Ducatorum 120. anno 1662. erogatum fuisse in emptione petioli Terræ siti in Nucerino Territorio, & in loco nuncupato *Villanova*, quod sicuti à contermino Flumine continuas patitur inundationes, ideò est incerti redditus.

Item *anno* 1646. Lauram Grimaldi condito Testamento hæredes instituisse filias suas Catharinam, & Antoniam Grimaldi cum onere solvendi dictæ Cappellæ Ducatos annuos octo retrahendos ex Capitali Ducatorum centum, cum lege, quòd Cappellæ Rector tot Sacra celebrare teneatur. Hoc Capitale, ut à Cancellario notatur, investitum reperitur cum altera ex septem Universitatibus efformantibus Nucerinam Civitatem nuncupata *Corpo*, ad rationem annuorum Ducatorum quatuor cum dimidio difficillimæ exigentiæ, attenta Universitatis debitricis impotentia, & paupertate.

Patet insuper, Josephum Grimaldi *anno* 1681. hæredem ex Testamento instituisse Ecclesiam Sanctissimi Corporis Christi Nucerinæ Civitatis, mandavitque, redditus suæ hæreditatis esse in tres æquas portiones dividendos, quarum unam à quavis onere exemptam Ecclesiæ reliquit, cœteras verò subjecit oneri totMissarum celebrandarum, præscripta eleemosyna granorum duodecim cum dimidio pro qualibet, earumque celebrationi nedùm perpetuò vocavit Præsbyterum Familiæ Grimaldi, sed & eidem potestatem fecit, sibi, & in suum Patrimonium Sacrum constituendi dictas geminas ex tribus partibus hæreditatis consistentis in Prædio modiorum quindecim sito

in Nucerino Territorio, & in loco nuncupato *li Cicaleſi*.

Refert Cancellarius, antedictam Eccleſiam menſe Aprilis 1772. publico, & ſolemniter ſtipulato Inſtrumento in perpetuum renunciaviſſe, & ceſſiſſe favore Familiæ Grimaldi, & Sacerdotum, Clericorumque in ea pro tempore exiſtentium redditus, quicumque fuerint, geminarum ex dictis tribus hæreditatis partibus cum onere perpetuò celebrandi annuas Miſſas quatuorcentum viginti, pro quarum dote, & fundo conſtabilitam inter Partes fuiſſe ſummam annuorum Ducatorum quinquaginta duorum, & granorum quinquaginta ad rationem granorum duodecim cum dimidio pro eleemoſyna cujuslibet Miſſæ, lege adjecta, quòd totum id, quod, demptis antedictis Ducatis 52., & gran. 50. ſupereſſet, erogari deberet pro decenti manutentione Clerici, ſeu Presbyteri Familiæ Gtimaldi *juxta mentem Teſtatoris*, dictoſque redditus geminarum ex tribus hæreditatis partibus in ipſo ceſſionis Inſtrumento communi calculo liquidatos fuiſſe in annuis Ducatis nonaginta, eoſdemque ſub die 20. Decembris ſuperioris anni 1777. conſtitutos fuiſſe in Patrimonium Sacrum Clerici Sebaſtiani Grimaldi Oratoris filii tertiogeniti,

Advertit idem Cancellarius, quòd licet annui redditus harum geminarum portionum tunc fuiſſent calculati in Ducatis nonaginta, hæc tamen ſumma incerta eſt propter aſſiduas alluviones contermini Fluminis, quibus Prædium ſubjectum reperitur, prout evenit menſe Novembris anni 1773., quo irruentibus, & inundantibus Fluminis Aquis, Prædium duorum annorum ſpatio infructiferum fuit; & ad eam probandam fuit ſimiliter ab Epiſcopo tranſmiſſum certum, & legale Documentum, ex quo intelligitur inter alias Familias, quæ ex alluvione damna, & Prædiorum corroſiones paſſæ ſunt, illam fuiſſe Honuphrii Grimaldi Orataris, qui tunc amiſit tria Prædia, ex quibus retrahebat congruam Familiæ ſuæ ſuſtentationem.

Rurſus ex dicto elencho Teſtamentorum patet, Joannam Grimaldi *anno* 1685. Legati titulo reliquiſſe præfatæ Cappellæ Ducatos Centum cum onere ex ejus fructibus celebrandi tot Miſſas cum eleemoſyna granorum ſeptendecim cum dimidio pro qualibet. Et ex adnotatione Cancellarii habetur, hoc Capitale Ducatorum Centum modò reddere fructus annuorum Ducatorum quatuor.

Simi-

Similiter Vincentium Grimaldi *anno* 1696. inſtituto hærede Canonico Nicolao filio ſuo, legaſſe ſæpedictæ Eccleſiæ Capitale valoris Ducatorum Centum, & viginti cum lege, quòd ejuſdem Eccleſiæ Rector quotannis ex illius fructibus tot Sacra celebrare deberet ad rationem eleemoſynæ granorum quindecim pro qualibet. Notatur etiam à Cancellario, hoc Capitale inveſtitum reperiri penes ſupradictam Univerſitatem nuncupatam *Corpo* ſub annuo redditu Ducatorum quatuor, & granorum quinquaginta difficilis exactionis, quoniam illi vel non exiguntur in totum, vel dimidiati percipiuntur.

Demumque patet, mox dictum Canonicum Nicolaum Grimaldi Vincentii filium, & hæredem *anno* 1709. univerſales ex aſſe ſibi inſtituiſſe hæredes ejus ex Fratre Nepotes, qui erant Parentes tum Honuphrii Oratoris, tum Carminis Grimaldi ejus Conſanguinei, à quibus hæreditas tùm ſupradicti Vincentii Patris, tum mox dicti Canonici Nicolai filii Grimaldi modò poſſidetur, cum onere celebrationis quotidianæ Miſſæ in ſæpe memorata Cappella ad rationem eleemoſynæ granorum quindecim pro qualibet percipiendorum ex primis, & præcipuis fructibus ejus Horti modiorum trium in eodem Nucerino Territorio ſiti in loco nuncupato *li Morichi*. Atque hinc pariter animadvertit Cancellarius, quòd licèt hujus Horti redditus eſſe poſſent annuorum Ducatorum quadraginta, hi tamen incerti ſunt, quia Hortus eſt Flumini conterminus, illiuſque alluvionibus ſubjectus, quemadmodum hac de cauſa ejus pars nunc arena Fluminis contegitur.

Hæc quoad Teſtamentorum particulas. Quò verò ad annuos redditus Familiæ Grimaldi, nimirum Honuphrii, & Carminis, patet ex tranſmiſſo documento, illos ex Cataſtro deſumptos, omnibus demptis realibus oneribus, non excedere annuam ſummam Ducatorum Centum octuaginta quatuor, & granorum quinque. Inſuper ex tranſmiſſa Arbore genealogica Majorum Teſtatorum Familiæ Grimaldi patet, eos omnes eſſe Tranſverſales. Quod denique pertinet ad quantitatem eleemoſynæ manualis tum pro Miſſis lectis, tum pro Cantatis, refert Epiſcopus = *quòd Miſſa manualis non excedit ſummam aſſium quindecim, illa lecta, & non taxata à Teſtatore ad aſſes viginti ſtatuta eſt in Taxa Syodali; illa autem cantata ad Carolenos quinque; præterea major*

pars Missarum, quæ in hac Diœcesi celebrantur, reperitur reducta ad asses viginti duos cum dimidio, Indulto mediante Pontificis Benedicti XIII. de anno 1726.

Ac demum idem Episcopus suum votum iterum aperuit pro reductione Missarum juxta vota Oratoris ex rationibus ab eodem Episcopo deductis, legendisque in ejus postrema Informatione, quæ datur in Summario Libelli ab Honuphrio Oratore circumferendi. Quibus omnibus maturè perpensis, munus erit EE. VV., resumpto *folio dictæ Congregationis diei* 14. *Februarii proxime præteriti*, definire:

An, & quomodo sit annuendum precibus Oratoris in casu &c.

Die Sabbathi 5. Septembris 1778. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUatuor mox deſcribendæ Cauſæ diſcuti non potuerunt in poſtrema *Congregatione* habita *die* 8. *nuper elapſi menſis Auguſti*. Eæ igitur hodie ab Eminentiis Veſtris, reſumpto dictæ Congregationis folio, definitionem expectant.

SARSINATEN. ERECTIONIS PLEBANATUS, cujus Dubia IV. ſunt *Seſs. 25. cap. 5 de Reform.*

I. *An ſit locus erectioni Eccleſiæ Parochialis Fori Saraceni in titulum Plebanatus in caſu &c.* = & quatenus affirmative.

II. *An ſit locus diſmembrationi ejuſdem Eccleſiæ Parochialis, & aliarum quatuor Parochialium Montis Caſtelli, Montis Saxi, Columnatæ, & Rodognani à Plebana Eccleſia S. Damiani, earumque unioni prædictæ Eccleſiæ Fori Saraceni in caſu &c.*

III. *An Archipresbytero, ſeu Plebano S. Damiani competat Jus Præeminentiæ in omnibus functionibus Eccleſiaſticis fieri ſolitis in Parochialibus eidem ſuffraganeis in caſu &c.*

IV. *An Parochi Suffraganei teneantur menſe quolibet accedere ad dictam Plebanam Eccleſiam pro Conferentiis caſuum moralium, ſeu potius ſit locus alternativæ cum altera Eccleſia Fori Saraceni in caſu &c.*

Ad 1., & 2. negativè, & amplius;
Ad 3. ſerventur Conſtitutiones Synodales, & amplius.
Ad 4. negativè ad primam partem, affirmativè ad ſecundam, & amplius.

MA-

Sess.25. cap. 9. de Reform. MACERATEN. RESIGNATIONIS BENEFICII, in qua quæritur.

An sit locus resignationi Beneficii sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis Majestatis favore Clerici Joannis Massari in casu &c.

Negativè, & amplius.

Sess. 25. cap. 4. de Reform. NEPESINA REDUCTIONIS, cujus dubium.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

Pro gratia reductionis ad Quinquennium, nempe celebrata unica Missa singulis hebdomadis, nec non aliis septem Missis, una nempe in unaquaque ex septem Festivitatibus B. M. V., nec non & aliis tribus lectis in unoquoque ex tribus diebus, in quibus præscripta fuerunt Anniversaria a Testatoribus.

Sess.25. cap. 4. de Reform. NUCERINA PAGANORUM REDUCTIONIS MISSARUM, in qua disquiritur.

An, & quomodo sit annuendum precibus Oratoris in casu &c.

Affirmativè pro gratia suspensionis onerum Missarum eorum Legatorum, pro quibus Bona administrantur a Familia Grimaldi, celebratis tamen tribus Missis in qualibet hebdomada, in reliquis lectum.

Sess. 21. cap. 6. de Reform. SANCTI SEVERINI. Hujus Causæ speciem, ejusque rationum momenta dedimus *in Folio Congregationis diei 4. nuper elapsi mensis Aprilis*. Geminis tunc propositis Dubiis Eminentissimi Patres rescripserunt = *Dilata, & ad mentem, & mens est, quòd audiatur Promotor fiscalis, & transmittatur Processus, & interim super-*

extan-

extantes fructus Parochiæ, soluta Æconomo congrua, & deinptis expensis, tradantur Parocho Laetti = : Mandatis Sacræ Congregationis obtemperavit Episcopus, qui transmisit Libellum Jurium à Promotore fiscali compositum : Processum verò in ejus Ecclesiastica Curia compilatum contra Laettum innuit originaliter ad hanc Sac. Congregationem transmississe ab anno usque 1776. ; Ac demùm superextantes Paræciæ redditus eidem Laetto tradi mandavit.

Ex transmissis Documentis apprimè patet, *primò*, quòd cum anno 1774. ad habendas quadragesimales Conciones in Castro Frontalis reperiretur Pater Franciscus Minottus ex Ordine Minorum Conventualium, is plurimas tàm ad Episcopum, quàm ad Vicarium Generalem dedit Litteras *sub datum mensis Martii dicti anni* 1774., in quibus Parochum Laettum gravitèr accusabat de ejus impudicis, scandalosisque moribus, & ad eos probandos, quoniam Episcopus, ejusque Vicarius Generalis aures non præbebant hujus generis criminibus Laetto impictis, ad eos transmisit tres Fæminas, nonnulloque Testes, instans, *adhibitis etiam minis*, ut Laettum à Parochiali Ecclesia removeret.

Secundò, ex testimonio Notarii Angeli Gabrielis Cherubini habetur, ipsum de Mandato in voce habito ab Episcopo præcepisse Laetto sub pæna suspensionis, ne discederet à Civitate S. Severini, & ab impictis criminibus se purgaret, eumdemque Laettum incessantibus profusis lacrymis, eum jam scire calumnias, persecutiones, & recursus adversus se habitos ad Episcopum, eumque propterea ad evitandam jacturam sui honoris, quoties Processus Criminalis compilaretur, in deliberationem venisse, resignata Paræcia, se recipiendi inter Patres Congregationis S. Philippi Nerii.

Tertiò, ex Apoca obsignata à Parocho Laetti, & à Sacerdote Francisco Lippi *sub die 6. Maii dicti anni* 1774. constat, Laettum constituisse Procuratorem ad renunciandam Paræciam favore dicti Lippi, sibi tamen annua super redditibus Paræciæ reservata pensione annuorum scutorum viginti sex, & obul. viginti quinque libera, & exempta à quovis onere, ac etiam à sumptibus pro Litterarum Apostolicarum expeditione, quoniam Ecclesiæ redditus ei fuerant subrogati in locum sui Patrimoni Sacri. Quo absoluto, Laettus assumpsit habitum dictæ Congregationis S. Philippi Nerii Recinetensis.

Quar-

Quartò, patet ex declaratione ſupradicti Franciſci Lippi reſignatarii, ipſum à Contractu reſiliiſſe; Quare Laettus reverſus eſt ad Civitatem Sancti Severini poſtulans reintegrationem ad Parochiam ſuam, & hinc Proceſſus Criminalis ſuper antedictis Criminibus adverſus eumdem Laettum compilatus fuit *anno* 1776.: In hoc Proceſſu undecim examinati fuerunt Teſtes, quorum aliqui de auditu deponunt, alii de criminibus in genere, alii demum de publica voce, & fama, omnes tamen conveniunt, ſeſeque referunt ad conatus Patris Minotti Concionatoris de anno 1774., eorumque nonnulli interrogati, an Laetti Perſona ſit modò utilis pro gubernio Paræciæ, & an Parochiani optarent, illum ad Paræciam reintegrari, reſponderunt = *ne lo, ne il Popolo di queſta Cura hà motivo di credere vantaggioſa per la ſalute delle Anime la reintegrazione all'eſercizio della Cura del detto Signor Laetti*.

Promotor autem fiſcalis tuetur, non eſſe Laettum reintegrandum ad Eccleſiam ſuam Parochialem, quoties eam renunciaverit. At verò animadvertendum eſt, Laettum Eccleſiam renunciaviſſe certæ Perſonæ, & in correſpectivitatem certæ ſolvendæ penſionis; Quoties enim Renunciatarius oblatam renunciationem reſpuerit, & evanuerit etiam correſpectivitas, ſub qua renunciatio facta fuit, hinc renunciatio etiam evanuiſſe, & reſoluta videtur ad firmata per *Rotam coram Falconer. tit. de Penſ. deciſ. 7. num. 3.*

A Laetto nova jura circumferuntur. Dignabuntur itaque EE. VV., *reſumpto folio dictæ Congregationis habitæ die* 4. *Aprilis proxime præteriti*, ſequentibus Dubiis reſpondere.

I. *An ſuſtineatur appoſitio Œconomi, ſeu potius Parochus Laetti ſit reintegrandus ad regimen ſuæ Eccleſiæ Parochialis in caſu &c.*

II. *An ſit locus refectioni damnorum, & in qua ſumma in caſu &c.*

Non propoſita cum ſequentibus.

Seſſ. 14. cap. 6. de Reform.

ANAGNINA PENSIONIS. Cum Clericus Philippus Peſoli Anagninus, ad cujus favorem ab anno 1766. reſervata fuit annua Penſio vigintiquatuor Ducatorum auri de Camera ſuper omnibus fructibus, & redditibus

Cano-

Canonicatus, & Præbendæ, quam idem Philippus tunc poſſidebat in Anagnina Cathedrali Eccleſia, & ſub dicta Penſionis reſervatione reſignaverat, Militiam ſæcularem aſſumpſerit in Civitate Barchinonenſi, hinc Canonicus Præbendatus preces huic Sacræ Congregationi porrexit, ut declaretur, Phi ippum omne jus exigendi Penſionem penitus amiſiſſe. Huic petitioni adhæſit Anagninus Antiſtes, cui datæ fuerunt Litteræ pro Informatione, & voto. Subinde, & Philippus quoque ſupplicem exhibuit Libellum narrans, ipſum non voluntariè, ſed coactè, & per dolum, & fraudem, utpote venditum à Sacerdote Simone Roca militarem cingulum aſſumpſiſſe, idcirco poſtulavit, ut Canonicus Joſeph Mattei hodiernus Præbendatus ad dictam ſolvendam Penſionem compelleretur.

Auditus iterum fuit Epiſcopus Anagninus, qui iterum pro Canonico Matthæjo ſuum votum aperuit, ſubdens, facti hiſtoriam ſequutam in Civitate Barchinonenſi non eſſe ab eo, ſed ab ejuſdem Civitatis Ordinario petendam. Datæ fuerunt etiam Litteræ Epiſcopo Barchinonenſi, ut referret, an Clericus Philippus voluntariè Militiæ nomen dederit, & ſæva exercuerit: Is reſpondit, *Simonem Roca Presbyterum quatuor ab hinc annis vita functum fuiſſe, & nullum omninò hac in Civitate adeſſe, qui rei, de qua agitur, notitiam ullam, vel minimam acquiſiverit.*

Certum in jure eſt, Clericum, qui ſæculari Militiæ nomen dederit, præſumi tacitè renunciaſſe militiæ Chriſti, & incapacem effectum fuiſſe retinendi Beneficia, vel Penſiones ſibi reſervatas tamquam incompatibiles cum ſæculari Militia, utcumque arma, vel ſæva non exerceat, aut ſe immiſceat enormitatibus, *Card. de Luc. de Penſion. diſc.* 46. *num.* 9., *diſc.* 47. *num.* 3., *Rocc. diſput. Jur. ſelect. cap.* 191. *num.* 5. *cum ſeqq.*, *Scarfanton. ad Ceccoper. vot. deciſ.* 53. *num.* 2., *& Rota deciſ.* 69., *&* 216. *coram Celſo.*

Nihilominus ut Clericus per aſſumptionem muneris incompatibilis cum Clericatu, vel retentione Beneficii, ſeu Penſionis, ipſum Beneficium, ipſamve Penſionem amittat ipſo jure, cognoſcendum erit, an idem Clericus habuerit Eccleſiam pro derelicta, vel non. Nàm ſi primum; & tunc Beneficium, vel Penſionem vacare, vel ceſſare ipſo facto, ipſoque jure cenſetur: Vel Clericus non habuerit Eccleſiam pro derelicta, & in hoc altero caſu ille, niſi fuerit prius monitus, Beneficio, vel Pen-

ſione privari non poteſt juxta diſtinctionem relatam à *Gloſſ. in cap. final. ſub verb. redierint de Clericis non reſidentibus* ibi = *Super hoc tamen diſtingue, quia aut habet Eccleſiam pro derelicta, aut non: Si habet eam pro derelicta, puta quia contraxit Matrimonium, vel factus eſt Miles, vel joculator, cum de hoc conſtiterit, Epiſcopus ſtatim poteſt Eccleſiam illius alii conferre: Si verò non habet eam pro derelicta, monendus eſt.*

Erit igitur ab EE. VV. examinandum, utrum Clericus Philippus habuerit nec ne in animo, & voluntate Clericatum, Eccleſiam, Eccleſiaſticamque Militiam deſerendi, quoniam non deſunt Doctores affirmantes illum non eſſe Militem, qui citra propoſitum, & intentionem ſuam Miles effectus fuit, ut videre eſt penes *Card. de Luc. in conflictu Legis, & rationis obſerv.* 270. *verſ. tum etiam, & de Penſion. Eccleſiaſticis ad ornatum Conſtitutionis ſan. mem. Innocentii XI. cap.* 13. *num.* 12., & *Scarfanton. ad Ceccoper. tom.* 1. *Vot. deciſiv.* 54. *num.* 6., ea ratione, quia propoſitio, quòd Clericus militarem cingulum aſſumens voluerit abdicare Clericatum, Beneficium, & Penſionem, fundatur dumtaxat in voluntate tacita, & præſumpta, quæ non eſt attendenda, quando conſtet de contraria voluntate vel expreſſa, vel majores præſumptiones habente, ut firmant *Doctores mox relati*, & in ſpecie *Card. De Luca tit. de Penſ. Eccleſ. loco citato*.

Atque hinc non ambigitur, Clericum Philippum *die* 9. *Aprilis* 1767., quo Miles factus fuit, in decimonono fuiſſe ſuæ ætatis anno, & ſic in *minorili* ætate conſtitutum, ac inter Milites ſtetiſſe, durante adhuc ætate *minorili*, nimirum per lapſum unicè dierum quadraginta duorum, quot numerantur *à dicta die* 9. *Aprilis* 1767. *ad diem* 21. *ſubſequentis menſis Maii ejuſdem anni*, quo ipſe, derelicta ſæculari Militia, in Patriam ſuam reverſus eſt, Eccleſiaſtica militia, habituque Clericali reſumpto. Quibus in terminis congruere non videntur contrariæ Auctoritates, quæ loquuntur in caſu Clerici *majoris*, & ſæcularem Militiam voluntariè, & ex propoſito profitentis, nec non ubi conſtaret, Clericum in matricula ſe deſcribi feciſſe, ipſumque militaria munia, & præeminentias exercuiſſe, ac demùm ſolitum præſtitiſſe militare juramentum, ut eſt caſus dd. *dec.* 69., 216., & 338. *coram Celſo*.

Quinimo probat Clericus Philippus, ſe à ſuis Conſanguineis ad alium finem, & effectum in Civitatem Barchi-

nonenſem fuiſſe tranſmiſſum, ubi à Præsbytero Simone Roca, cujus curæ fuerat ipſe commendatus, deceptum fuiſſe, venditumquæ ſæculari Militiæ, ita ut fraude detecta, ſupplicaverit illicò Decurionem Militum pro ſua libertate, quam paucos poſt dies obtinuit; Ex hoc autem facto, quod probat, nullam ab initio fuiſſe voluntatem Clerici Philippi, illumque nullum præſtitiſſe conſenſum ſæculari Miſitiæ ex traditis per *Rotam coram Ludoviſ. deciſ.* 160. *num.* 3., *in recention. deciſ.* 344. *n.* 18. *part.* 6., *& deciſ.* 40. *num.* 32., *& ſeq. part.* 9., ſuſtinet idem Clericus Philippus, Penſionem ſuam ipſo jure extingui non potuiſſe per cinguli militaris aſſumptionem, utpote quæ dolo, fraudeque, ac citra ſuam, ejuſque Parentum, & conſanguineorum voluntatem, & conſenſum evenit.

Hæc, & alia ſunt in Libello à Clerico Philippo circumferendo, à Canonico Mattei nihil habuimus. Dubium eſt.

An ſit locus ſolutioni Penſionis in caſu &c.

VADEN. PAROCHIALIS. Anno 1752. per obitum Archipræsbyteri Vincentii Caſtelli vacata Archipræsbyterali, & Parochiali Eccleſia S. Laurentii di *Selva nera* nuncupata, ſitaque in Campeſtri loco Vadenſis Diæceſis, Magiſtratus Civitatis S. Angeli in Vado ſupplicem Libellum exhibuit ſan. mem. Benedicto XIV., narravitque defectum commodi Epiſcopii in dicta Civitate, pro quo conſtruendo juxta peritiam Architecti = *potendoſi riformare la detta Caſa colla ſpeſa di mille ſcudi in circa di moneta Romana per fare piccola, mà commoda abitazione, e con fare di più le Sagreſtie, di cui è biſognoſo il Capitolo, e formare un altra Cappella nella Navata à Cornu Evangelii, come dalla ſudetta Perizia* =, idcircò duo poſtulavit; primùm, quòd interim dictæ vacanti Parochiali Eccleſiæ idoneus eligatur Œconomus, illiuſque redditus, qui, eorum dempta portione pro ſufficienti Œconomi ſtipendio, ſupereſſe poſſunt in annuis ſcutis centum, erogentur pro conſtruendis Epiſcopio, Sacrariis, & Cappella ad formam Peritiæ. Et alterum, quòd impertiretur facultas = *di poter prendere in appreſſo cinquecento ſcudi almeno dà ipotecarſi sù detta Chieſa, affine ſi poſſa ſollecitamente dar mano all' opera.* *Seſſ. 23. cap. 1. de Reform.*

Precibus annuit Summus Pontifex juxta votum Episcopi. Hinc in Œconomum deputatus fuit Parochus S. Martini, fueruntque non unus tantùm Census, uti Pontificium Indultum præseferebat, sed duo Census impositi in sorte scutorum 500. pro quolibet, ac incœpta fuit Episcopii constructio, in quam erogati fuerunt residuales Ecclesiæ redditus ascendentes pro primo anno ad scuta 135. 92.

Anno verò 1754. Promotor fiscalis Ecclesiasticæ Curiæ S. Angeli in Vado novum porrexit Libellum eidem Summo Pontifici, petiitque facultatem imponendi secundum Censum in sorte scutorum 500., quem sine facultate jam imposuerat pro finali perceptione dictorum mille, non obstante, quòd ex residualibus redditibus antedictæ Parochialis Ecclesiæ fuissent anterioribus annis 1752., & 1753. percepta scuta 170., & in Fabricam erogata; Narravit insuper, quòd Episcopii constructio pro illius absolutione esset adhuc extollenda ad alios tres palmos, & sicuti residuales Ecclesiæ redditus, omnibus demptis oneribus, non excederent annuam summam scutorum triginta, hinc etiam postulavit, quòd ea erogari possent primo loco pro absolvendo Ædificio, & subinde ad effectum deponendi usque ad summam scutorum mille pro impositorum Censuum redemptione, votique compos in suis petitionibus evasit Promotor fiscalis ex Decreto hujus Sacræ Congregationis, ad quam novæ illius preces remissæ fuerunt.

Res siluit usque ad annum 1776., quo tempore SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER de vacanti Parochiali Ecclesia sub reservatione pensionis annuorum scutorum quindecim providit Sacerdotem Franciscum Mariam Ridarelli ad Animarum curam approbatum: Ne autem hujus Apostolicæ collationis supplicatio relaxaretur, in contradictorem se præbuit Promotor fiscalis: Emus Card. Pro-Datarius edito Decreto= *mandavit Partes uti jure suo coram Sacra Congregatione Concilii, suspensa interim relaxatione Supplicationis* = Auditus fuit Vadensis Antistes, qui retulit, pro Fabricæ perfectione ex Peritorum judicio adhuc esse necessaria alia scuta mille biscentum quinquaginta, recepta autem à Deputatis Fabricæ redditione rationum de perceptis ex redditibus vacantis Ecclesiæ, & erogatis in Ædificium Episcopii, constare, quòd = *demptis impensis in Fabrica usque modò erogatis, Salario Æconomi, aliisque sumptibus pro Ecclesiæ prædictæ, illiusque Bonorum manuten-*

tione

tione neceſſariis, remanent in præſens pro Ædificio Epiſcopii ſcuta quadringenta ſexaginta ſeptem, obul. octoginta ſex, & quatros duos =, ita ut uſque ad dicta ſcuta 1250. 86. pro Fabricæ complemento neceſſaria ſit alia ſumma ſcutorum 782., obul. 13., & quatr. 3., præter alia ſcuta mille pro dictorum Cenſuum redemptione.

Subditque his verbis = *Ego totis viribus incumbam, adjuvantibus etiam Concivibus, qui plures amoris ſignificationes mihi oſtendunt, celeriori Fabricæ perfectioni, ne Ridarellus ulterius moram Fabricæ obiicere queat* = Quæ de re Sacra Congregatio ſub die 19. Aprilis ſuperioris anni 1777. reſcripſit = *Quoad Franciſcum Ridarelli oſtendatur, & ſcribatur Epiſcopo juxta mentem, quòd nempè, cum ſe contulerit ad Civitatem S. Angeli in Vado Concathedralem, curet abſolutionem Fabricæ Epiſcopii: itemque curet reperire alia media, ut æs alienum diſſolvatur hac de cauſa contractum, ut celerius quò fieri poſſit devenire liceat ad collationem Parochiæ S. Laurentii di Selva nera, & certioret.*

Ab hoc Reſcripto lapſi jam ſunt ſexdecim menſes, abſque eo, quòd Epiſcopus de præſcriptis certioraverit hanc Sacram Congregationem, eaque propter Ridarellus inſtat, ut Cauſa definiatur. Suſtinet enim, exequendam eſſe gratiam collationis Parochiæ per ipſum à Summo Pontifice reportatæ, ne diutius Eccleſia maneat ſine Sponſo, Oves verò ſine Paſtore, ex firmatis per *Rot. in Salutiarum Parochialis 23. Februarii* 1739. §. 2. *cor. bo. mem. Vicecomite*.

Animadvertit inſuper, Ædificium Epiſcopii incœptum fuiſſe ab anno 1752., pro quo conſtruendo unà cum duplici Sacrario, & Cappella in Cathedrali Eccleſia requiri ſumptus ſcutorum mille recipiendorum impoſitione duorum Cenſuum, qui redimi debebant cum ſuperextantibus Eccleſiæ redditibus, idemque Ædificium pro ejus perfectione anno 1754. defeciſſe in palmis tribus, & Ædificium adhuc non eſſe perfectum, non obſtante, quòd elapſi ſint anni vigintiquinque, conſumpta cenſualia ſcuta mille, conſumptique Paræciæ redditus aſcendentes anno quolibet juxta examinatorum Teſtium depoſitionem ad ſcuta 250., & tamen Paræcia adhuc ſub Œconomatu ſiſtit cum lucro Œconomi ad alia diſtenti negocia, & Cenſus adhuc vigent, imò ex illius Paræciæ redditibus à Miniſtris Fabricæ plus ſolutum fuit in cauſam cenſualium fructuum, quàm fuerit receptum in cauſam Sortis nedum in maximum Paræciæ, & Parochianorum

norum præjudicium, ſed etiam in everſionem Pontificiæ voluntatis ad ſumptus unicè ſcutorum mille directæ, quin, & demum in fraudem Reſcripti hujus Sacræ Congregationis anni 1754. concedentis dumtaxat ulteriorem erogationem dictorum reddituum in conſtructionem Epiſcopii, donec elevatum fuiſſet ad alios tres palmos abſolvendos breviſſimo tempore, numquam ad alios annos vigintiquinque protrahendo, *Rota in Fulginaten. Societatis* 24. *Novembris* 1730. §. *In irritum cor. cl. me. Card. Calcagnino*.

Cætera legi poterunt in Libello Ridarelli de more circumferendo. A Promotore fiſcali, & à Capitulo Cathedralis Eccleſiæ S. Angeli in Vado nihil accepimus. Unum eſt Cauſæ Dubium ab EE. VV. definiendum.

An ſit relaxanda ſupplicatio in caſu &c.

Seſs. 21. *cap.* 7. *de Reform.*

SENOGALLIEN. Sacerdos Petrus Bracci jam ſenio confectus, poſtquam per laplum temporis quadraginta ſeptem annorum circiter poſſederat Prioralem, & Parochialem Eccleſiam S. Mauri Oppidi Tumbæ Diæceſis Senogallienſis, die 3. Decembris anni 1765. liberè renunciata Eccleſia in manibus Epiſcopi, ad perfectiorem, & quaſi eremiticam ducendam vitam ſeſe recepit in rurales ædes penes publicum Oratorium ſub invocatione S. Catharinæ Alexandrinæ, quod idem Petrus propriis ſumptibus è fundamentis extruxerat, & poſt undecim annos deceſſit die 29. Januarii 1777., ejuſque aperto Teſtamento publico Notario conſignato die 12. Junii 1771., compertum fuit, Teſtatorem univerſalem hæredem ſuam inſtituiſſe dictam Eccleſiam S. Catharinæ, adjecto Cappellano onere celebrationis nonnullorum Miſſarum in ſingulis hebdomadis, nec non aliorum piorum operum implementi: Voluit tamen, quòd Bona in vocabulo *la Moglia* conſtituere tur in Patrimonium Sacrum favore Deſcendentium ex linea Nicolai Bracci ejuſdem Teſtatoris germani fratris, quibus defectis, in dictis Bonis eamdem Eccleſiam hæredem ſubſtituit.

At verò cum in hæreditate defuncti Petri reperta fuiſſet peculiaris ſumma ſcutorum 2400., ſive 2300. circiter, hinc Sacerdos Dominicus Salvucci hodiernus Prior ſupradictæ Parochialis Eccleſiæ Oppidi Tumbæ authumans, quòd à defuncto Petro hæc pecuniarum quantitas erogari deberet in reparanda Eccleſia, reſtaurandis Parochialibus, & ruralibus Ædibus, nec non in reno-

van-

vandis Sacris Supellectilibus, quæ omnia prorſus attrita, & derelicta receperat à Petro de anno 1776., & quæ ipſe propriis ſumptibus reparare, & renovare debuerat, primò judicialiter inſtitit coram Vicario Capitulari Senogallienſi, & ab eo obtinuit, ut ex dicta ſumma demptis funeris expenſis, & Miſſarum Legatis, reſiduum conſiſtens in ſcutis 1996. 67. deponeretur in Sacro Monte Pietatis Senogalliæ, prout inibi depoſitum fuit; mox preces porrexit SACRATISSIMO NOSTRO PRINCIPI, ut mandaret, antedictam pecuniarum depoſitam ſummam erogandam nedum in reædificationem Eccleſiæ Prioralis, ſed etiam in reſtaurationem Eccleſiæ filialis, & Bonorum, quæ, non obſtantibus melioramentis ab ipſo factis, indigent reædificatione, & reparatione.

Ablegatis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus de more fuit Vicarius Capitularis Senogallienſis, qui retulit, hodiernum Priorem injuria præfatam ſummam modò poſtulare in cauſam reædificationis, & reſtaurationis Eccleſiarum, & Bonorum utpotè debitæ ab ejus Anteceſſore Bracci, poſtquam ipſe rerum faciem immutaverit, poſtquam ſiluerit per lapſum undecim annorum, & donec vixerit Petrus Bracci, cujus merita, pietatem, & animi dotes ſummoperè laudat idem Vicarius Capitularis, ac demum poſtquam probantur innumeræ Eccleſiarum, Bonorumque reparationes, ſimul & renovationes Sacrorum Paramentorum, & Supellectilium unà cum pecuniarum traditione pro illis reſtaurandis ab eodem Petro, ejuſque fratre factæ, & ab ipſo Priore Salvucci receptæ, ut hæc omnia latiùs habentur ex Vicarii Capitularis Informatione, quæ circumfertur.

Hoc tamen non obſtante, ſuſtinet Salvuccius ope depoſitionis plurium Teſtium, qui, paucis exceptis, *ſingulares* in dicto ſunt, ipſum Eccleſiam, & Bona peſſumdata, & conſumpta à Petro Anteceſſore recepiſſe, eumque propterea, ſivè illius hæreditatem ad eorum neceſſariam reſtaurationem obſtrictam eſſe, cum Rector fructus omnes Eccleſiæ ſuæ, demptis congruis alimentis pro ipſius ſuſtentatione, in alios uſus erogare non poſſit præterquam in Eccleſiæ decus, & divini cultus augumentum *Franc. de Eccleſ. Cathedral. cap.* 13. *num.* 199., *Amoſtaz. de Cauſ. piis cap.* 6. *num.* 27., & *Sperell. deciſ.* 67. *num.* 10., maximè cum Braccius Bona acquiſiverit cum redditibus Eccleſiæ, tuetur hinc Salvuccius, eadem Bo-

na

na penes ipſam Eccleſiam permanere debere juxta cenſuram *Textus in cap.* 1., *& cap.* 7. *de Teſtam.*

Contendunt è contra Bracci Nepotes, & Cappellanus ab ipſis nominatus, Teſtatoris hæreditatem non teneri ad objectorum damnorum, objectarumque reparationum emendationem, niſi damnis, & reparationibus concludentiſſimè probatis tàm in genere, quàm in ſpecie, & quantitate, *Amoſtaz. de Cauſ. piis lib.* 5. *cap.*6. *num.*16. Non enim, ut animadvertitur, conſideranda eſt in præjudicium Patrimonii Teſtatoris præſens neceſſitas reædificandi Eccleſiam, & reparandi Bona, niſi doceatur, quòd hodierna reædificandi, & meliorandi neceſſitas proceſſerit ex dato, facto, & culpa Anteceſſoris Bracci, præſertim poſt ipſius obitum, & poſtquam ipſe vivens debitas expleverit reſtaurationes, poſtque Salvucci ſilentium undecim annorum. Si quid ergo Salvuccius in cauſam reparationum egit, & ſi quid neceſſitatis in præſens exigunt Eccleſia, & Bona, id præſtet Salvuccius ex redditibus Parochialis Eccleſiæ juxta Conciliarem Sanctionem *Seſs.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

Vel demum redditibus deficientibus, Salvuccius inſtet ſive adverſus Cappellarum Patronos, ſive Parochianos, & alios, contra quos agi debere pluriès definitum fuit ab hac Sacra Congregatione, & in ſpecie *in Viterbien. Cenſus* 30. *Maii* 1767., *in Camerinen. Reſtaurationis* 28. *Januarii* 1769., *in Terracinen., & Setina* 23. *Novembris* 1771., *& in Nepeſina Reſtaurationis Eccleſiæ* 18. *Septembris* 1773., quoniam præcedens Rector, vel Epiſcopus ad damnorum emendationem aliter condemnatus non fuit ab hac Sacra Congregatione, niſi caſu, quo Succeſſor inſtantiam illicò propoſuerit, ut eſt exemplum *in Balneoregien. Eccleſiæ Cathedralis* 17. *Auguſti* 1776.

Quid expediat, EE. PP. cognoſcere poterunt ex juribus ab utraque Parte circumferendis. Duo ſunt Capita.

I. *An, & de quibus neceſſariis reparationibus Eccleſiæ Parochialis S. Mauri Terræ Tumbæ, ejuſque Domorum conſtet, & in qua ſumma in caſu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An, & quæ reparationes explendæ ſint ex pecuniis repertis in hæreditate Ex-Prioris Petri Bracci in caſu &c.*

FIR-

FIRMANA EMPHYTEUSIS. Inter ſimplicia Beneficia, quæ obæratus Sacerdos Antonius Coſimi poſſidet, eorumque fructus ab Œconomo, attento Creditorum concurſu ſuper omnibus illius Bonis, & redditibus convocato, unum eſt ſub titulo S. Laurentii erectum in Caſtro Montis Urani Firmanæ Diœceſis. Hujus Beneficii Bona, & reditus in Emphyteuſim ad tertiam generationem maſculinam, & fœmininam duraturam obtinere cupiens Joannes Baptiſta Merli Firmanus, preces porrexit huic Sacræ Congregationi pro aſſueto reportando Beneplacito, offerens tùm ſolutionem annui Canonis ſcutorum triginta trium, tùm etiam obſervantiam pactorum, quæ cuilibet Emphyteutico Contractui cohærent. *Seſs.25.cap.11. de Reform.*

Datis litteris Vicario Capitulari Firmano *pro Informatione, & Voto, prævia affixione Edictorum ad tertiam generationem maſculinam tantùm*. Hinc ad alliciendos Oblatores fuerunt affixa Edicta ſub die 2. Decembris anni 1777. cum termino Oblatoribus indicto decem dierum à die affixionis numerandorum ad eorum exhibendas oblationes. Intra præfinitum tempus plures comparuerunt Oblatores, quos inter fuit Petrus Mannucci Firmanus, qui cœteris meliorem fecit Beneficii, & Beneficiati Creditorum conditionem; nam is pro hoc Emphyteuſi ad tertiam generationem maſculinam duratura, & incipienda tamen ab ejus filio Ermenegildo Canonem obtulit annuorum ſcutorum quadraginta octo liberum, & exemptum ab omnibus Beneficii gravaminibus, & oneribus; promiſit inſuper propriis ſumptibus ædificare Domum in Prædio ad ipſum Beneficium pertinente, nec non novas Arbores ſerere in eodem Prædio, promiſitque demùm tùm pro ſecuritate Canonis, tùm pro faciendis melioramentis attergare favore Beneficii quatuor Loca Montium Cameralia, & non vacabilia à quibuſvis oneribus exempta.

At verò poſt tempus in Edictis præfinitum alii etiam comparuerunt Oblatores, inter quos fuit Dominicus, ejuſque filii de Diomedibus. Hi enim cum Mannuccio viciſſim æmulantes eorum auxerunt oblationes. Mannuccius, firmis remanentibus pactis, & conditionibus in ejus antecedenti oblatione expreſſis, Canonem auxit ad annua ſcuta quinquaginta quinque: Verùm cum Diomedes ſub die 29. Decembris dicti anni 1777. Canonem auxiſſent ad ſcuta quinquaginta ſeptem, idcirco Mannuccius ſequenti die 30. Decembris, alia exhibita oblatione,

promiſſam oppignorationem pro ſecuritate Canonis, & melioramentorum auxit ad quinque Loca Montium, obtulitque pro annuo Canone ſcutum unum ſupra quamlibet oblationem ab aliis exhibendam, quemadmodum Diomedes ſub die prima Januarii currentis anni Canonem auxerunt ad annuam ſummam ſcutorum ſexaginta trium.

Hiſce collectis oblationibus ad hanc Sacram Congregationem tranſmiſſis, Vicarius Capitularis ſuum Votum aperuit pro Mannuccio tamquam offerente oblationem tutiorem illa, quam exhibent Diomedes. Citatis igitur omnibus Oblatoribus, Cauſa proponitur: Inſtat Mannuccius in ſuo circumferendo Libello, ut ſibi concedatur Emphyteuſis pro annuo Canone ſcutorum 63. cum obligatione oppignorandi quinque Loca Montium, nec non implendi pacta, & onera per ipſum promiſſa in ejus prima oblationis Schedula ſub datum diei 11. Decembris 1777. Huic petitioni eorum pariter circumferendo Libello adhærent Creditores, qui in Emphyteutam Mannuccium expoſcunt.

Quod ergo petitur, conſonum etiam eſſe videtur juris communis diſpoſitioni, qua cautum eſt, Emphyteuſim eſſe in pari oblatione concedendam ditiori, ſeu meliori Oblatori, ut ſæpe definivit hæc Sacra Congregatio *in Romana Emphyteuſis* 9. *Auguſti* 1732., *in Firmana Emphyteuſis* 17. *Aprilis* 1776., *& in Civitatis Caſtellanæ Emphyteuſis* 23. *Novembris ejuſdem anni* 1776., & major, ac tutior Oblator cenſendus eſt ille, qui pro ſecuritate Canonum, & pactorum implemento Loca Montium oppignorat.

Videtur ulteriùs Mannuccius, tùm quia Adminiſtrator eſt Bonorum Beneficii eſſe in pari oblatione cæteris, & præſertim illis de Diomedibus præferendus ex ſpeciali æquitate deſumpta *ex Textu in Leg. Congruit Cod. de Locat. Prædior.*, tùm quia Diomedes offerentes fidejuſſionem Dominici eorum Patris putandum eſt nullam exhibuiſſe fidejuſſionem, quoniam Pater, & Filii ad propoſitum effectum una, & eadem Perſona, una obligatio cenſetur *ad Textum in Leg.* 1. *§. Si Pater filio*, *Leg. Si Pater filiæ* 4. *ff. de Uſucap.*, *Paſchal. de Patr. poteſtat. part.* 1. *cap.* 4. *n.* 21., *& Rot. cor. Molin. dec.* 144. *n.* 11.

Ab illis ex Diomedibus, prout etiam ab aliis Oblatoribus nihil hactenus deductum eſt. Munus igitur erit EE. VV. definire.

An, cui, & pro qua ſumma ſit concedenda Emphyteuſis in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 19. Septembris 1778. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUinque Cauſæ, quæ priori loco mox deſcribentur, cum indeciſæ remanſerint *in Folio noviſſimæ Congregationis habitæ die 5. currentis menſis Septembris*, in hodierno Conſeſſu, *prævia reaſſumptione Folii tunc diſtributi*, ſub iiſdem Dubiis definiendæ proponuntur.

SANCTI SEVERINI, cujus ſunt duo Capita: *Seſſ. 21. cap. 6. de Reform.*

I. *An ſuſtineatur appoſitio Æconomi, ſeu potius Parochus Laetti ſit reintegrandus ad regimen ſuæ Eccleſiæ Parochialis in caſu &c.*

II. *An ſit locus refectioni damnorum, & in qua ſumma in caſu &c.*

Ad 1. negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam, reſervato jure Promothori Fiſcali agendi contra Parochum Laetti ad formam Concilii Tridentini, & amplius; Ad 2. reſtituendos eſſe omnes fructus Parochiæ tempore Æconomatus decurſos, dempta Congrua pro Æconomo, aliiſque neceſſariis Expenſis. In reliquis negative, & amplius.

ANAGNINA PENSIONIS, in qua quæritur. *Seſſ. 14. cap. 6. de Reform.*

An ſit locus ſolutioni Penſionis in caſu &c.

Negative.

Sess. 23. cap. 1. de Reform. VADEN. PAROCHIALIS, in qua respondendum est. *An sit relaxanda Supplicatio in casu &c.*

Dilata, & reproponatur omnino in Prima post Aquas.

Sess. 21. cap. 7. de Reform. SENOGALLIEN., cujus duo Dubia sunt.

I. *An, & de quibus necessariis reparationibus Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ Terræ Tumbæ, ejusque Domorum constet, & in qua summa in casu &c.* = & quatenus affirmative,

II. *An, & quæ reparationes explendæ sint ex pecuniis repertis in hæreditate Ex-Prioris Petri Bracci in casu &c.*

Negative ad utrumque.

Sess. 25. cap. 11. de Reform. FIRMANA EMPHYTEUSIS, cujus unum Caput est. *An, cui, & pro qua summa sit concedenda Emphyteusis in casu &c.*

Emphyteusim concedendam esse Petro Mannucci ad tertiam generationem masculinam ab ipso incipiendam pro annuo Canone scutorum 63., & cum obligatione altergandi quinque Loca Montium S. Petri non vacabilium, plantandi arbores, & construendi Domum ruralem ad formam in omnibus alterius oblationis ab ipso factæ die 11. Decembris 1777.

Sess. 25. cap. 19. de Regular. CHIOVIEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Die 24. Januarii currentis anni discussum fuit, an Frater Vincentius Sczeniowski professus in Religione S. Dominici Ordinis Prædicatorum restituendus esset in integrum ad proponendam nullitatem suæ professio-

nis

nis tamquam extortę per vim, & metum, quem asserit sibi incussum ab Ursula ejus Matre. Vèrum cum ex Documentis tunc exhibitis comperta fuisset tùm irregularitas confecti Processus, tum defectus nonnullarum probationum, quæ pro recto ferendo judicio necessariæ sunt, idcirco Sacra Congregatio rescripsit = *Dilata, & circumscriptis omnibus gestis, conficiatur novus Processus juxta instructionem.*

Datæ fuerunt Episcopo Chiovienſi Litteræ cum instructione, quæ sic habet = *Compertum enim fuit, quoad substantiam probationum inter cætera deficere fidem Baptismatis Oratoris: deficere diem ingressus in Religionem: deficere tempus Probationis, ac diem Professionis, ac deficere tandem diem, quo Oratoris Mater decessit. Rursus ex pervolutione transmissi Processus nec unus adductus fuit Religiosus, qui deponeret de moribus, ac de actibus exercitis ab Oratore tàm in ingressu, quàm in Novitiatu, quàm in Professione, quàm etiam post eam emissam, ut ex actibus externis judicari posset ejus internus animus, qui constanter à Religione alienus prorsùs asseritur. Hæc in pura confectione Processus supplenda sunt. Quò verò ad novas recipiendas probationes, novumque conficiendum Processum formam à Constitutione Benedictina, cujus initium = Si datam = omnino servandam esse censuerunt Emi Patres.*

Atque hinc Frater Vincentius sustinuit in Ecclesiastica Curia Chiovienſi, Actorum Processum, quem circumscripsit hæc Sacra Congregatio, fuisse rite, recteque compilatum, nihilque deficere quoad ea in relata Benedictina Constitutione præscripta; exhibuit tamen in dicta Chiovienſi Curia plura Documenta pro ejusdem Processus verificatione; Exhibuit enim inter cætera fidem ejus Baptismatis sequuti die 16. Martii 1752., nec non suæ Professionis Actum in Religione S. Dominici sequutum in Conventu Podhamenecenſi die 16. Decembris 1768.: Rursus exhibuit fidem obitus Ursulæ ejus Matris, qui evenit mense Novembris 1772., exhibuitque pariter plures Epistolas Episcopi Coadjutoris Metropolitani totius Russiæ, & Procuratoris Generalis Basilianorum Romæ existentis, ex quibus eruitur, eumdem Fratrem Vincentium intra terminum novem mensium à die obitus Matris querelam nullitatis suæ Professionis extrajudicialiter exposuisse eidem Episcopo Coadjutori sui Metropolitani, hocque litterarum commercium super exposita

posita Professionis nullitate inter Episcopum Coadjutorem, Procuratorem Generalem Basilianorum, & Fratrem Vincentium perduraſſe ad annum usque 1775., quo nomine ejusdem Fratris Vincentii preces pro nullitate Professionis porrectæ fuerunt Summo nostro Pontifici fæliciter Regnanti, fueruntque ab eo ablegatæ ad hanc Sacram Congregationem; ac demum exhibuit subrogationem in Conjudicem factam à Priore Conventus Podhamenecensis in persona Patris Marcelli Kucharski Sacræ Theologiæ Lectoris, ac Magistri Novitiorum ejusdem Conventus.

Documenta, & jura pro legitimitate Processus, quæ Frater Vincentius exhibuit in Ecclesiastica Curia Chiovien-si, ea omnia è suis Originalibus exemplata in publicam formam transmisit Episcopus huic Sacræ Congregationi, concludens = *Supplicatur ex parte Vincentii instantiam suam coram præfata Congregatione benignè concedi iterum reproponendam, Decretumque Judicum Commissariorum die 26. Septembris anno 1776. pro nullitate Professionis rite, ac legitimè latum approbari; Aliàs enim novum Processum formare, & Testes, ac Judices conducere post tot exantiatas impensas, & aliquot jam annorum rebus immutatis decursum ex integro Causam restaurare impossibi e fore, ac penitus afflicto, & injuriato ad effectum consequendum salutaris Justitiæ viam præcludi. Proinde, ut supra, precibus suis deferri humillime supplicatur*.

Defensor autem Professionis iterum contendit, nulliter tunc efformatum fuisse Processum, quia Frater Vincentius causas nullitatis suæ Professionis non deduxerit coram Ordinario, & coram Superiore Regulari Conventus Podhamenecensis, in quo ipse Professionem emiserat, juxta præscripta tum à Concilio Tridentino *Sess. 25. de Regular. cap. 19.*, tùm etiam *à Benedictina Costitutione*, cui initium – *Si datam* =, imò cum hæc Sacra Congregatio circumscripsisset omnia in Partibus gesta, onere premebatur Frater Vincentius novum Testium examen, & novam ex integro Processus compilationem conficere, nec Fratrem Vincentium causas afferre legitimas, ut mereatur in integrum restitui adversus lapsum Quinquennii ad effectum proponendi nullitatem suæ Professionis.

Ad rem quodammodo facit *Cabilonen. Restitutionis in integrum*, in qua agebatur de Puella ad suscipiendum Religio-

gioſæ vitæ Inſtitutum à Fratribus coacta, de quo Puellæ Mater unicè teſtata fuerat : Fratres autem , qui vim, & metum intulerant , jam obierant , & alii quoque rei geſtæ conſcii jam ex hac vita migraverant ; Prioriſſa verò Monaſterii affirmaverat , Puellam ſumma animi alacritate Tyrocinium poſuiſſe , & eadem alacritate animi profeſſionem emiſiſſe citra ullam coactionem , & tamen propoſita Cauſa *in Congregatione diei* 26. *Aprilis* 1732. , nec non 24. *Januarii* 1733. , tandem *ſub die* 16. *Maii ejuſdem* 1733.,deficientibus probationibus,reſcriptũ fuit= *Epiſcopo Cabilonen. , qui conſtito ſibi de Cauſis reſtitutionis in integrum adverſus lapſum Quinquennii , authoritate Sacræ Congregationis Oratricem reſtituat , & deinde ad ulteriora procedat circa nullitatem Profeſſionis prout de jure*.

Itemque *Neapolitana Reſtitutionis in integrum*, ubi res erat de filio à Matre coacto ad vitam Religioſam amplectendam juxta nonnullorum Teſtium depoſitionem, & quamvis inibi notatum in facto fuiſſet , declarationem filii ſuſcipiendi Religioſum Habitum ex voluntate non ſua, ſed tàntùm Matris probari quidem emiſſam ante ingreſſum in Religionem , ſed minimè doceri , illam renovatam fuiſſe immediatè ante Profeſſionem , unde colligi potuerit , filium ab ea declaratione receſſiſſe , attamen,ſequuto Matris obitu,*in Congregatione diei* 4. *Decembris* 1734. interrogati Eminentiſſimi PP. = *An ſit locus reſtitutionè in integrum* ? = in ſequenti Congregatione habita *die* 12. *Februarii* 1735. reſponderunt = *Affirmativè , & amplius*.

Nova jura circumferuntur tùm à Defenſore Profeſſionis , tùm à Fratre Vincentio , à quo EE. VV. oculis ſubjicitur nedùm integer tenor Proceſſus, ſed etiam Documentorum , & jurium , quæ nuperrimè ab Epiſcopo Chiovienſi huic Sacræ Congregationi tranſmiſſa fuerunt, quibus perpenſis , *reſumptoque Folio diſtributo pro Congregatione diei* 24. *Januarii proxime præteriti*, deliberandum erit .

An ſit concedenda Reſtitutio in integrum in caſu &c.

Non propoſita cum ſequentibus .

AUXI-

Sess.24.cap.12. de Reform.

AUXIMANA, ET CINGULANA SERVITII CHORI. Canonici Cathedralis Ecclesiæ Cingulanæ ex vetustis Capitularibus Constitutionibus onus habent interessendi Choro per tres vices qualibet die, duas scilicet de mane, & unam tempore vespertino. Hoc onus, quod ipsis ultra modum grave afferunt, reduci postularunt ad duas tantùm vices qualibet die, nimirum mane cum recitatione Horarum Canonicarum cum Missa, Missisque cum cantu, vespere autem post Completorium cum recitatione Matutini, & Laudum pro sequenti die.

Hujusmodi preces ablegatæ fuerunt Eminentissimo Cardinali Episcopo Cingulano, ut super expositis Sacram hanc Congregationem redderet instructam, & votum suum aperiret. Is enim opinatur = *posse indulgeri, quòd utique Canonici prædicti bis tàntum qualibet die toto anni tempore in Choro inserviant, exceptis diebus festis, aliisque Ecclesiæ solemnitatibus, ea tamen lege, quòd de mane post solis ortum matutinum cum cæteris horis Canonicis usque ad Vesperas exclusivè recitent, nulla interposita interruptione, & deinde post prandium hora consueta persolvant Vesperas cum Completorio. Mos hic mihi videtur magis conformis consuetudini illius Ecclesiæ Cathedralis, & quamplurimis resolutionibus Sacrarum de Urbe Congregationum, & Tabellæ horariæ impressæ apud Crispin. in Tractat. de Visit. Past. part.2. cap.20. num.11.*

Instantiam modò renovant Canonici, à quibus jura circumferuntur. Animadvertunt enim, Ecclesiam sitam esse in cacumine Montis intra Civitatem positi distantis tamen à mœniis urbanis per passus ferè tercentum, & ab habitationibus longè dissiti, ita ut nimis incommodus, imò cùm evidenti salutis detrimento sit Canonicorum accessus ad Cathedralem Ecclesiam tàm hyemali tempore propter nives, glaciem, pluvias, aerisque inclementiam, quàm æstivo tempore propter excessivum solis calorem; hinc fit, quòd plurimi, & præsertim senes, vel senectuti proximi Choro ad omnia subeunda Choralia munera cùm detrimento Divini Cultus non intersunt.

Exemplum afferunt simillimi Indulti ab hac Sacra Congregatione concessi Collegiatæ Ecclesiæ S. Exuperantii non procul à Cingulana Civitate distantis, cujus Canonici cùm triplex, & æque incommodum singulis diebus subirent Chori servitium, juxta leges, & Constitutiones Ecclesiæ Cathedralis, porrectis precibus huic Sacræ

Con-

Congregationi pro illius reductione ad binas tantùm vices quolibet die, geminisque propositis Dubiis in hæc verba conceptis I. *An sit concedenda facultas Canonicis Collegiatæ S. Exuperantii bis tantùm qualibet die toto anni tempore in Choro conveniendi, exceptis tamen diebus festis, aliisque Ecclesiæ solemnitatibus in casu &c.* = II. *An sit eisdem concedenda etiam facultas celebrandi divina Officia in Cappella S. Mariæ Angelorum à die 2. Novembris usque ad Sabbatum ante Dominicam Palmarum, exceptis tamen diebus festis, aliisque solemnitatibus in casu &c.* = Sacra Congregatio *sub die* 14. *Martii* 1772. utrique Dubio respondit = *Arbitrio Episcopi*.

An igitur idem Indultum conveniat Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, erit ab EE. VV. definiendum sub sequenti Dubio.

An sit concedenda facultas Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Cinguli toto anni tempore recitandi de mane post solis ortum Matutinum cùm cæteris Horis Canonicis, nulla interposita interruptione, & deinde post prandium persolvendi Vesperas cùm Completorio in casu &c.

URBINATEN. DECANATUS. In Urbinatensi olim Cathedrali Ecclesia septem, ultra Præpositum primam Dignitatem post Pontificalem, aderant Præbendati Canonici. Horum numerum augeri cupiens Fridericus de Ruvere Urbini Dux preces exhibuit *san. mem. Sixto IV.*, ut alii duo Canonici, ac insuper alter Archidiaconatus honorificentia præditus instituerentur; Pro eorum verò manutentione Dux institit, ut, omnibus suppressis Præbendis, Massa fieret ex Præbendarum redditibus in undecim æquas portiones sub distributionis nomine partiendis, quarum una esset attribuenda Præposito, altera Archidiacono, cæteræ verò novem Canonicis assignandæ, ac inter præsentes dividendæ. Votis Ducis adhæsit Summus Pontifex edita Constitu- *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

tione *ſub datum quinto Kalendas Maii* 1481., vi cujus Canonici, qui antea erant Præbendati, deinceps Canonici, qui antea erant Præbendati, deinceps Canonici de Maſſa dicti ſunt.

Majorum ſuorum exemplum, & religionem ſectatus eſt clar. mem. Cardinalis Julius Feltrius de Ruvere; nàm eo inſtante, ſan. mem. Pius IV. edita ſimiliter Conſtitutione *ſub datum Romæ Pridie Nonas Junii anni* 1563., ſupradictam Cathedralem Eccleſiam ad Metropolitanam Dignitatem evexit, & Metropolitico honore condecoravit Epiſcopum, cujus Epiſcopalem Menſam idem Cardinalis auxit, aliis annuis in eam de propriis redditibus collatis ſcutis 500., aſſignavitque Capitulari Menſæ alia annua ſcuta 220. ex ſuis patrimonialibus, deſignandiſque Bonis Poſſeſſionis Cerbariæ prope Caſtrum Montis Majoris pro dote duarum noviter erigendarum Dignitatum ſub nominibus Archipræsbyteratus, & Decanatus, voluitque Cardinalis fundator, quòd *ipſi Archipræsbyter, & Decanus habeant, & habere debeant eadem jura, & eaſdem regalias, quæ, & quas habet, & percipit quilibet ex Canonicis dicti Capituli, cum iſtis tamen onere, & obligatione, quòd ipſi Archipræsbyter, & Decanus teneantur, & obligati ſint inſervire per ſe ipſos in Divinis dictam Eccleſiam Urbinatenſem, prout, & quemadmodum inſerviunt Præpoſitus, & alii Canonici dictæ Eccleſiæ Urbinaten., & cum aliis oneribus, & conditionibus per ipſum D. Illuſtriſſimum Julium Cardinalem declarandis, quando faciet conſignari ipſi Capitulo, & Menſæ Capitularì Eccleſiæ Urbinaten. Bona, ſive partem dictæ Poſſeſſionis Cerbariæ ſufficientia pro dictis annuis fructibus, ſive proventibus ſcutorum* 220.

Die 3. Septembris 1578. deceſſit Cardinalis Julius, data facultate Canonicis, ut juxta ſuam voluntatem Capitulares conderent Conſtitutiones, quas ipſe morte præventus conficere non poterat. Hinc Canonici anno 1588. illas promulgarunt, ſubinde approbatas à tunc Archiepiſcopo Urbinatenſi Viſitatore Apoſtolico. Sub *Capite quinto* dictarum Conſtitutionum *tit. de Electione* præſcribitur modus tàm in genere, quàm in ſpecie eligendi Canonicum, quoties aliquis ex Canonicatibus, vel Dignitatibus vacare contigerit. Verba electionis in genere hæc ſunt= *Is eligatur, qui moribus, ætate, atque ſcientia ſit idoneus, oriundus ex Civitate, vel Diœceſi, vel tandem ex Provincia noſtra, ſed Civis præfera-*

feratur Diœcesano, & Diœcesanus Provinciali; Verum illud Canonici meminerint, ut cæteris paribus semper qui Ecclesiæ nostræ servitio fuerit adscriptus, diutiusque servierit, & fuerit actu serviens, ab ipsis in Canonicorum electione proponatur.

In specie verò hæc habentur = *Si Dignitas vacaverit, & ad Capitulum pertinuerit electio, de ipsius met Capituli gremio semper eligatur, sed occurrente Decanatus vacatione, juxta piam Illustrissimi bo. mem. Cardinalis Urbini mentem, qui Dignitatem hanc in Ecclesia nostra propriis ipsius patrimonialibus Bonis unà cum Archipræsbyteratu fundavit, antiquiorem Canonicum eligat omnino Capitulum.*

Mense Septembris superioris anni 1777. per obitum Decani Philippi Borgogelli vacavit Dignitas Decanatus, cujus electio, sive provisio modò pertinet ad Capitulum. Ad eam assequendam duo Canonici concurrunt, quorum unus est Canonicus Franciscus Maria Rosa ex eadem Urbinatensi Civitate, alter verò Canonicus Joannes Carolus Valbonetti oriundus ex Sarsinatensi Diœcesi, & uterque prætendit se supra suum Contradictorem antiquioritate pollere; nàm Canonicus Rosa annum agit ultra septuagesimum secundum, & in Canonicorum cætu cooptatus fuit die 23. Octobris 1738.: Canonicus autem Valbonetti agens annum quinquagesimum octavum, quamvis renunciatus fuisset Canonicus in Theologali Concursu die 16. Octobris 1753., contendit tamen, antiquioritatem in Capitularibus Constitutionibus præscriptam intelligendam esse de Canonico *de Massa*, non autem *de Præbenda*, proindeque ipsum in electione præferendum, quia ipse Canonicatum obtinuit de Massa dicto anno 1753., Canonicum verò Rosa, dimisso Canonicatu de Præbenda, adeptum fuisse Canonicatum de Massa die 17. Junii 1755.

Hac quæstione, utrum scilicet antiquitatis tempus dimetiendum sit à servitio Ecclesiæ, & Chori indistinctè, seu potius ab assecutione Canonicatus de Massa, proposita in Capitulo, censuit idem, concordi capta resolutione ab Archiepiscopo approbata, ejusdem quæstionis examen deferre ad hanc Sacram Congregationem, ut, ea perpensa, definiret, quis nàm ex hisce Canonicis concurrentibus esset à Capitulo ad vacantem Decanatus Dignitatem eligendus.

Canonicus itaque Valbonetti preces porrexit huic Sacræ

Congregationi, ut ipsa mandaret, electionem in sui Personam fieri. Super his precibus requisita de more fuit Informatio, & Votum Archiepiscopi, audito Capitulo. Hinc Canonici capitulariter congregati ratihabuerunt eorum factam ablegationem quæstionis ab hac Sacra Congregatione definiendæ.

Archiepiscopus autem se abstinuit à Voto ferendo. In sensu tamen fuit, Canonicum Rosa juxta Constitutionum Leges antiquiorem esse, & omnino eligendum: Subdit insuper, quòd = *fuit in Capitulo ad hoc celebrato supplex Valbonetti Libellus expensus, & à nonnullis subreptionis vitio notatus. Reticet ipse siquidem, in actu suæ adeptæ possessionis reperisse in Chori Stallo quindecim retro annis* residentem Canonicum Rosa. Subinde Capitularium quisque mentem aperuit suam, ut EE. VV. ex adjunctis foliis dignoscere poterunt, ex quibus eruitur unanimis, & concors pene omnium sententia, *Constitutionum nempe custodia, quam unusquisque post assecutam Canonicatuum possessionem jurejurando confirmavit: Quæ autem sint dictarum Constitutionum Leges, ex superius dictis innotescit, illum scilicèt eligendum moribus, ac ætate idoneum, ex Civitate oriundum, actu per se ipsum inservientem, cæterisque in possessione antiquiorem.*

Causa proponitur. Canonicus Valbonetti sua jura deducit. Longum hic esset ea referre, & præsens folium in volumen excrescceret. Dignabuntur itaque EE. VV. ea perlegere in ejus circumferendo Libello, illisque perpensis unà cum juribus deducendis à Canonico Rosa, à quo tamen nihil hactenus deductum fuit, definire.

An, & in cujus personam sit facienda electio ad Decanatum Ecclesiæ Metropolitanæ Urbini in casu &c.

Sess. 25. cap. 13. de Reform.

AVENIONEN. JURIUM PAROCHIALIUM. Quæstiones de Juribus Parochialibus jamdiu vigentes inter Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ Avenionensis, & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis Sancti Agricolæ ejusdem Civitatis usque ab anno 1759. de la

delatæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem, in qua *ſub die* 22. *Septembris dicti anni* quatuor propoſitis Dubiis = I. *An Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochialis S. Agricolæ debeatur quarta funeralium Parochianorum, qui in Eccleſia Metropolitana ſepeliuntur in caſu &c.* = II. *An Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochialis S. Agricole debeatur quarta funeralium Canonicorum, Beneficiatorum, aliorumque addictorum ſervitio Eccleſiæ Metropolitanæ Avenionen. decedentium intra limites dictæ Eccleſiæ Parochialis, quatenus in eadem Eccleſia Metropolitana tumulentur in caſu &c.* = III. *An Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ Avenionen. liceat ſepelire Cadavera Parochianorum S. Agricolæ in Parochia decedentium non electa Sepultura, nec habentium Sepulturam in dicta Eccleſia Metropolitana in caſu &c.* = IV. *An vocato ad funera Parochianorum S. Agricolæ Capitulo Eccleſiæ Metropolitanæ, aſperſio Cadaveris antequam è domo educatur, & intonatio Antiphonæ* = ſi iniquitates = *ſpectent ad dictum Capitulum, ſeu potius ad Capitulum S. Agricolæ ejuſdem Civitatis in caſu &c.* = Reſcriptum fuit = *Dilata ad primam poſt aquas* = Tunc autem, petente Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ compulſoriam, fuit idcirco *in Congregatione diei* 15. *Decembris ejuſdem anni* 1759. reſcriptum = *Dilata, & ad D. Secretarium pro conceſſione compulſoriæ.*

Novis ideo ex poſt quæſitis, compulſatiſque Documentis eadem controverſia ſub eiſdem quatuor Dubiis renovata fuit *in Congregatione diei* 1. *Martii* 1766., reſponſumque fuit *in ſequenti Congregatione habita die* 22. *ejuſdem menſis Martii* in omnibus juxta vota Capituli S. Agricolæ, nimirum = *Ad I. Affirmative, & amplius* = *Ad II. Affirmative, & amplius* = *Ad III. Negative, & amplius* = *Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam, & amplius* = Huic reſolutioni acquievit Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ *quoad I., & III. dubium*, non ita *quoad II., & IV.*, quæ adverſus obtento novæ Audientiæ beneficio, nunc poſtulat receſſum à deciſis quoad utrumque.

Quod enim attinet *ad II. Dubium*, contenditur à Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ, omnes Canonicos, Beneficiatos, alioſque ſuæ Eccleſiæ addictos, licèt intra limites Parochiæ S. Agricolæ commorantes ſemper eſſe veros Parochianos Eccleſiæ Metropolitanæ, non autem alterius Collegiatæ S. Agricolæ, unde nullum jus eſſe

hujus Parocho Quartam funerariam conſequendi *Panimol. deciſ.* 5. *num.* 10., *& Rota deciſ.* 240. *num.* 1. *coram ſan. mem. Clemente XIII*: Contra verò ſuſtinet Capitulum S. Agricolæ, eoſdem Canonicos, Beneficiatos, alioſque Eccleſiæ Metropolitanæ addictos, & intra limites ſuæ Parochiæ commorantes verè eſſe ſuos Parochianos, & nonniſi ſingulari jure eſſe in Metropolitana tumulandos, unde ſibi præſto eſſe juris diſpoſitionem exigendi Quartam funerariam, & in id etiam convenire perantiquam, perennemque obſervantiam, juxta exempla annorum 1571., 1646., 1653., & 1684.

Ad II. Dubium quod attinet reſpiciens aſperſionem Cadaveris, ac intonationem Antiphonæ *Si iniquitates*, admiſit Capitulum Metropolitanę Eccleſiæ, ea omnia ſpectare ad Capitulum S. Agricolæ, dum res eſt de ejuſdem Parochiano in Eccleſia Metropolitana tumulando, ſecus verò quoad ſuos Canonicos, Beneficiatos, alioſque ſibi addictos, ſuper quibus utpotè non Parochianis S. Agricolæ negatur, ullum jus illius Capitulo, ejuſque Parocho competere *Nicol. in prax. tom.* 2. *litt. P.* §. 3. *num.* 91.: Vèrum excipit Capitulum S. Agricolæ, inter ſuos Parochianos recenſeri omnes intra ſuæ Parochiæ limites commorantes utcumque Canonicos, Beneficiatos, & quomodocumque addictos Metropolitanæ Eccleſię, eaque propter ſibi quà Parocho in horum funeribus jus eſſe aſpergendi Cadaver, & intonandi dictam Antiphonam *Samuel. de Sepult controv.* 2. *diſput.* 3. *num.* 19., *& controv.* 7. *num.* 16., *Pignatel. conſult.* 73. *num.* 24. *tom.* 8., *& Paſcucc. ad eumd. part.* 1. *tit. de Funer.*

De Canonicis, aliiſque Eccleſiæ Cathedrali addictis, in aliena Parochia habitantibus pluries reſolutum fuit, jus adminiſtrandi eiſdem infirmis Sacramenta ſpectare ad ſolum Parochum Domicilii, ſeu habitationis, non verò ad Parochum Cathedralis, *ut in Mantuana Juriſdictionis* 16. *Martii* 1680. *ad IV. Dubium*, *in Tyburtina Juris adminiſtrandi Sacramenta*, *& Funerandi* 12. *Maii* 1685. *ad I. Dubium*, *in Tolentinaten. Jurium Parochialium* 11. *Septembris* 1694 *ad I. Dubium*, *& in Narnien. Jurium Parochialium* 26. *Septembris* 1699. *ad I. Dubium*.

Et licèt peculiaribus fortaſſe facti circumſtantiis contrarium fuerit firmatum *in Derthonen. Jurium Parochialium* 3. *Decembris* 1718. *ad XV. Dubium*, primæva tamen ſententia fuit approbata, ac amplexa *in Eugubina*

Ju-

Jurium Parochialium 2. *Aprilis* 1729., in qua propoſito Dubio = *An Parocho Cathedralis Eugubii licitum ſit ſubminiſtrare Sacramenta quibuſcumque Clericis, & Sacerdotibus infirmis, & in alienis Parochiis commorantibus etiam privative ad proprium Parochum domiciliarium* = reſponſum fuit = *Negative, & ſpectare privativè ad Parochos domiciliarios, & amplius* = & ita quoque cenſuit Sacra Congregatio Rituum *in Sancti Severini Præeminentiarum* 13. *Martii* 1756.

Hinc etiam Canonici, aliique addicti Eccleſiæ Cathedrali ſepelliendi ſunt in Parochia Domicilii, quando in Cathedrali deſit proprium Canonicorum Sepulchrum, vel non habeant Majorum Sepulchrum, *ut in Tyburtina Juris adminiſtrandi Sacramenta, & funerandi* 12. *Maii* 1685., *& in Derthonen. Jurium Parochialium* 3. *Decembris* 1718. *ad Dubium XVI.*. Qua de re ſi ſepediendi ſint in Eccleſia Cathedrali, vel in Eccleſia, in qua Majorum adſit Sepulchrum, deberi Parocho Domicilii Quartam, reſponſum fuit *in eadem Tyburtina ad III. Dubium*, ubi propoſito = *An pro ſepultura Canonici ut ſupra defuncti debeatur Quarta funeralis Parocho Cathedralis, vel Parocho Parochiæ ſuorum Majorum* = prodiit reſponſum = *deberi Parocho Domicilii* = *ut in lib.* 35. *Decret. pag.* 232., *& in Narnien. Jurium Parochialium* 26. *Septembris* 1699., in qua cum ageretur de Canonico Eccleſiæ Cathedralis, propoſito V. Dubio = *An, & quatenus licita fuerit tumulatio in Eccleſia Cathedrali* =, reſponſum fuit = *deberi Quartam Parocho*.

De functionibus verò funeris Sacra Congregatio Rituum *in Eugubina* 4. *julii* 1614. reſcripſit = *Non eſſe probatam Conſuetudinem, & idcirco terminandam eſſe Cauſam ſècundum Jus commune, videlicet quòd quando quis in una Parochia moritur, & in alia ſepelitur, benedictionem in Domo mortui faciat circa Corpus proprius Parochus, qui ſtolam deferens à Domo Defuncti uſque ad Eccleſiam, in qua Corpus ſepeliendum erit, aliis omnibus præcedere debet. In Eccleſia verò, in qua Corpus ſepelitur, officium faciat circa Corpus, & aliis præcedat Parochus ipſius Eccleſiæ, & ita, ut ſupra in Civitate Eugubina inter Curatum Eccleſiæ Cathedralis, & Curatum S. Petri Monachorum Olivetanorum ſervandum eſſe cenſuit, atque ſervari mandavit, quibuſcumque non obſtantibus*.

Rurſus eadem Sacra Congregatio Rituum *in Averſana* 15. *Septembris* 1640. cenſuit = *ad ſolum Parochum ſpectare aſper-*

aſpergere aqua benedicta Cadaver antequam levetur de Domo , & ad eundem pertinere intonare Antiphonam Si iniquitates , *& officium ſuper Cadavere in ſua Eccleſia peragere* = Pariterque hæc Sacra Congregatio *in Faventina Præeminentiarum 7. Junii* 1760. propoſito Dubio = *An intonatio Antiphonæ Exultabunt Domino antequam Defuncti Cadaver è Domo efferatur , ſpectet ad primam Dignitatem Capituli , ſeu potius ad Parochum* = reſpondit = *Negativè ad primam partem , & affirmativè ad ſecundam.*

Hæc à Capitulo Collegiatæ , & Parochialis Eccleſiæ S. Agricolæ , à quo Jura circumferuntur . A Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ nihil habuimus . Eminentiſſimi Patres,*reſumpto dictæ Congregationis diei* 1. *Martii* 1766. *Folio* , quod publici Juris factum eſt *in Theſaur. Reſolut. Sacr. Congreg. Tom. XXXV. pag.* 45. , dijudicent.

An ſit ſtandum , vel recedendum à deciſis ſub die 22. *Martii* 1766. *quoad II. , & IV. Dubium in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 21. Novembris 1778. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX novem Cauſis, quæ de more *in folio ſuperioris Congregationis* habitæ *die* 19. *proxime præteriti menſis Septembris* fuerunt deſcriptæ, quatuor, quæ ſequuntur, proponi non potuerunt. Hodie igitur, *reſumpto dictæ Congregationis folio*, ponderatiſque juribus, quæ hinc inde allata ſunt, rogantur Eminentiæ Veſtræ definire.

CHIOVIEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM, cujus Dubium eſt, *Seſſ. 25. cap. 19. de Regular.*

An ſit concedenda Reſtitutio in integrum in caſu &c.

Dilata, & ad mentem = Quæ declarata fuit in ſequenti Congregatione diei 12. Decembris edito reſponſo = prævio receſſu à deciſis, & circumſcripta Sententia tantùm ſcribatur Epiſcopo pro impinguatione proceſſus =

AUXIMANA, ET CINGULANA SERVITII CHORI, in qua diſquiritur, *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

An ſit concedenda facultas Dignitatibus, & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Cinguli toto anni tempore recitandi de mane poſt ſolis ortum Matutinum cùm cæteris Horis Canonicis, nulla interpoſita interruptione, & deinde poſt prandium perſolvendi Veſperas cùm Completorio in caſu &c.

Affirmative pro menſibus Decembris, Januarii, Februarii, & Martii tantum, exceptis diebus feſtis de præcepto, in reliquis negative.

Seſſ.24.cap.12. de Reform.

URBINATEN. DECANATUS, in qua petitur; *An, & in cujus perſonam ſit facienda electio ad Decanatum Eccleſiæ Metropolitanæ Urbini in caſu &c.*

Electionem faciendam eſſe in perſonam Canonici Joannis Franciſci Roſa.

Seſſ.25.cap.13. de Reform.

AVENIONEN. JURIUM PAROCHIALIUM, in qua definiendum eſt,

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die 22. Martii 1766. quoad II., & IV. Dubium in caſu &c.

In deciſis quoad utrumque, & amplius.

Seſſ. 23. cap.1. de Reform.

VADEN. PAROCHIALIS. Cauſæ huic *in ultima Ampliſſimi hujus Ordinis Congregatione* habita *dicta die 19. tranſacti menſis Septembris*, Promothore fiſcali Curiæ Epiſcopalis Vaden., nec non Capitulo, & Civitate Vadenſi dilationem poſtulantibus, reſponſum fuit = *Dilata, & proponatur omninò in prima poſt aquas* = Nunc igitur, quamvis ab iiſdem Promothore fiſcali, Capitulo, & Civitate Vadenſi nihil hactenus habuerimus, eam damus obſequentes imperio Eminentiſſimorum Patrum, quibus grave non erit idem *Folium*, in quo ejus ſpecies habetur, iterum conſulere, ut Dubium expediant.

An ſit relaxanda Supplicatio in caſu &c.

VE-

VERULANA JURISPATRONATUS : Hæc quoque Cauſa juſſu Eminentiſſimorum Patrum proponitur , cujus ſpecies relata fuit *in folio Congregationis* habitæ *die* 27. *præteriti menſis Junii* , ſed ea die proponi non potuit . Iterum eam dedimus *in Folio ſequentis Congregationis* habitæ *die* 8. *Julii* , ſed Petro Molella , qui ſuſtinet ſe unicum eſſe Patronum Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis Gratiarum , dilationem poſtulante , reſcriptum fuit = *Dilata ad ſequentem* = Eam tertiò obtulimus *in Folio ſequentis Congregationis diei* 8. *Auguſti proximè præteriti* : Vèrum ulteriorem dilationem petente Petro , ex quo tempus habile non habuerit pro cumulandis juribus , quæ ad probandum ſuum Juſpatronatus ex vetuſtis Codicibus perquirenda ſunt , reſcripſit Sacrum hoc Tribunal = *Dilata ad primam poſt Aquas* = Rogamus igitur Eminentiſſimos Patres , ut , *repetita lectione Folii dictæ primæ Congregationis diei* 27. *Junii* , tria expediant hujus Cauſæ Dubia , quæ ſunt . *Seſs.21.cap.7. de Reform.*

I. *An Eccleſia , & Cappella Beatæ Mariæ Virginis Gratiarum Fruſinonis ſit de Jurepatronatus Familiæ Molelli in caſu &c.*

II. *An conſtet de legitima verificatione Litterarum Apoſtolicarum expeditarum favore Sacerdotis Philippi Brizi in caſu &c.*

III. *An , & ad quem pertineant Bona , jura , credita , Sacra Supellectilia , & alia quæcumque data , conceſſa , & perventa ad dictam Eccleſiam , & Cappellam in caſu &c.*

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ALBINGANEN. Antonius Sibilla Pauli filius ex Oppido Plebis Albinganen. Diœceſis condito Teſtamento ſub die 6. Julii 1673. inter cœtera = *fundavit Cappellam, ſive Legatum in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ Plebis Miſſarum duarum in ſingula hebdomada cum applicatione Sacrificii pro anima ſua, & ejus Uxoris, ac Succeſſorum in perpetuum, & omni futuro tempore, cui Cappellæ, ſive Legato reliquit terram aggregatam ſitam in Territorio Trovaſtani vocatam* la Terra della noce *unà cum alia terra ibi contigua vocata* la Tardìa *in eodem Territorio* = Hanc Terram Teſtator pro implemento Miſſarum oneris = *obligavit, & eam eſſe obnoxiam voluit omni futuro tempore* =, itaut eam Patronus tradere teneatur Cappellano per ipſum eligendo,=*qui obliget ſe celebrare ſtatim ſequuta morte dictas duas Miſſas ſingula hebdomada ſuper Aris Sanctiſſimi Roſarii, & Sanctiſſimi Crucifixi, & promittat dictam Terram manutenere* = Patronum autem hujus Cappellaniæ de Jurepatronatus Laicorum eſſe voluit Paulum Auguſtinum Sibilla ejus filium, quem etiam hæredem univerſalem inſtituit.

Rurſus idem Teſtator ſub die 27. Decembris 1677. Codicillum exaravit, & in eo diſpoſuit his verbis = *Item ſapendo d'aver fondato un Legato, o ſia Cappellania nella Chieſa Collegiata di S. Gio. Battiſta di due Meſſe la Settimana con la totale applicazione del Sagrificio in tutto, e per tutto conforme il ſudetto Teſtamento, volendo inoltre aggiungere qualche coſa à detto Legato, perciò vi laſcia anche, e vi aggiunge una Meſſa la Settimana da celebrarla con l'applicazione del Sagrificio in tutto alla forma del ſudetto ſuo Teſtamento, laſſandoli per detta Meſſa una ſua Terra aggregata ſituata nel Territorio di Trovaſta chiamata li Sozenſi.*

Defuncto Teſtatore, Antonius Sibilla junior, & ejuſdem Teſtatoris ex filio Nepos alienavit antedictas Terras, quas ejus Avus aſſignaverat pro implemento Legati: Deindeque in ſuis Teſtamentariis Tabulis exaratis anno 1727. faſſus fuit, ipſum dictas alienaſſe Terras ob tenuitatem redditum, Miſſarum tamen onus ab Avo relictum ſemper adimpleviſſe; Illud autem augere voluit in aliis tribus Miſſis in ſingulis hebdomadis à Cappellano celebrandis, hoc modo videlicet, quoad tria Sacra ab Avo relicta in Eccleſia, & Altaribus ab eo deſignatis, quò verò ad alia tria Sacra per ipſum addita arbitrio ejuſ-

dem

dem Cappellani poſt obitum tamen Paulæ ſuæ Uxoris, quam, donec viveret, hæredem uſufructuariam reliquerat, cum onere, ejus vita naturali durante, manualiter implendi Legatum ab eodem Avo relictum. Rurſus pro dotali fundo dictarum ſex Miſſarum celebrandarum aſſignavit Domum ſuæ ſolitæ habitationis, nec non quatuor Prædia, unum ſcilicèt ſitum in Territorio *Trovaſtæ* nuncupatum *la Monà*, alterum in eodem Territorio vocatum *le Rive*, reliqua duo ſita in Territorio Pagi *di Ligaʒorio* ſub eodem vocabulo *Ligaʒorio*, declaravitque, quòd in eiſdem tribus Miſſis per eum additis compræhenderetur annuum onus, quo gravabatur alterum ex aſſignatis Prædiis in vocabulo *Ligaʒorio*, celebrationis quinque Miſſarum ad Altare S. Bernardi in Eccleſia, quæ per tres circiter horæ quadrantes diſtat ab Oppido Plebis, onuſque adjecit Cappellano intereſſendi cum Superpelliceo expoſitioni SSm̃i Sacramenti, quæ feria ſexta cujuſvis hebdomadæ fieri ſolet in præfata Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ Oppidi Plebis.

Tandem jus nominandi Cappellanum reliquit Sacerdoti Petro Paulo Manfredi ejus Cognato, cui decedenti ſubſtituit Emanuelem Manfredi alterum ejus Cognatum, iſtiuſque filios, & Deſcendentes maſculos in infinitum; deinde ſuum fiduciarium ſcripſit hæredem eumdem Sacerdotem Petrum Paulum Manfredi, qui anno 1730. ſuam declaravit fiduciam in Schedula non aperienda, niſi poſt obitum Paulæ Manfredi Sororis ſuæ, ac Teſtatoris Viduæ, ejuſque hæredis uſufructuariæ, quæ cum obierit anno 1776., ex ea declaratione deprehenſum fuit, quòd = *pagati i debiti, che vi ſaranno, del reſtante dell'Eredità, e Beni tutti ſi mobili, che immobili, ragioni &c. ſe ne dovrà fondare una Cappellania perpetua di quel numero di Meſſe, che comporteranno i frutti della medeſima Eredità, calcolata la Limoſina di tutte le Meſſe alla ragione di ſoldi dodici per ognuna di netto* =, quòdque idem Sacerdos fiduciarius præceperat, poſt ejus obitum huic Cappellaniæ ſuperaddendum eſſe Prædium in vocabulo *il Caſtelletto*, quod ipſe Patrimonii Sacri titulo poſſidebat, ac eſſe Miſſarum numerum proportionabiliter augendum.

Tempore obitus Paulæ jam prædeceſſerat præfatus Sacerdos Petrus Paulus Manfredi, ita ut jus nominandi Cappellanum obvenerit in dictum Emanuelem Manfredi, qui

qui cum esset in amentiam prolapsus, hinc Antonius Maria Manfredi illius filius, & Curator preces porrexit huic Sacræ Congregationi, narravitque, nullam eleemosynam præfinitam fuisse pro sex Missis hebdomadalibus primæ Cappellaniæ volitæ ab Antonio Sibilla seniore, & auctæ ab Antonio Sibilla juniore; & quamvis pro secunda Cappellania declarata à Sacerdote Petro Paulo Manfredi hærede fiduciario dicti Antonii junioris taxata fuisset Missarum eleemosyna in obulis duodecim monetæ Januę pro qualibet, hæc tamen inferior est eleemosyna Romani julii unius, ideoque supplicavit, ut Missarum omnium eleemosyna præfiniretur ad rationem taxæ perpetuæ, ad effectum ut amborum Fundatorum voluntates firmitèr modò valeant executioni demandari.

Requisitus Episcopus expositа confirmat. Refert enim, duplicem extare Cappellaniam = *At annui utriusque proventus tenues adeo sunt, ut ex jurata Peritorum fide, quæ sub oculos EE. PP. adducenda iterum erit* = Qui autem fuerunt redditus à Peritis liquidati, prosequendo retulit Episcopus his verbis = *qui ad priorem spectant, nempe ad illam, quæ originem ab Avo, & à Nepote habet incrementum, præter id, quod statis temporibus, atque ubi totum æs alienum solutum erit, percipi poterit ex antedicta Terra nemorosa* le Rive, *cujus æstimatio ad plantarum maturitatem reservatur, summam lirarum* 144. *hujus nostræ monetæ, Romanæ verò scutorum fere trium, & viginti de nitido non excedunt. Qui tamen ex fundis profluunt pro posteriore legatis, pro ea nimirum, de qua in recensita schedula sermo est, vix liras attingunt tres, & sexaginta, decem ferme scutis correspondentes; Etenim Patrimonium superstes dicti Sibilla Nepotis ex Inventario inchoato, & absoluto in actis valorem non superat lirarum mille quingentarum, & octo, & æstimatum est, annuum vix parare posse redditum lirarum viginti trium obulorumque quatuor supra decem: Bona autem Mobilia in ipso Inventario descripta, & superiore anno sub hastam vendita liras dederunt quinque ultra viginti, & sexcentum, quemadmodum authenticis probatum mihi fuit documentis, emptusque ex ea pecunia Census annuus in liris est quinque, & viginti. Prædium denique, quod dicitur* Castelletto *pro parte frugifera affert liras quatuor, & decem, pro illa verò, quæ nemoribus constat, incer-*

tum

tum adhuc eſt, quid ſit profuturum ea ipſa de cauſa, quam pro memorato fundo le Rive *adnotavimus.*

Ex his itaque conſiderat Epiſcopus, quòd = *liquido appareret, quantum abſit, ut Synodalis ſaltem eleemoſyna pro qualibet Miſſa habeatur. Accedunt onera Cappellano impoſita, de quibus jam facta eſt mentio: Denique venit conſiderandum, quòd ob ingentem Miſſarum copiam cum Synadali eleemoſyna, & ſine ullo onere Plebi celebrandarum, difficillimum foret invenire, qui oneroſis hujuſmodi Cappellaniis vellent ſe gravatos, atque ideo pia Teſtatorum mens vel in toto, vel in parte fraudata ut plurimum remaneret.*

Concludit demum = *Quæ cum ita ſint, firmumque, & perpetuum, quod etiam queat executioni mandari, ſtabilimentum utraque Cappellania habere debeat, præſertim cum præſcriptæ quidem ab Antonio Seniore Miſſæ ab illius obitu ad obitum uſque enunciatæ Paulæ Mariæ ad annum ſcilicet* 1776. *fuerint celebratæ, ſed exinde neque illius, neque alioruin piæ voluntati ſit ſatisfactum, ne quid ſine Oraculo iſtius Sacræ Congregationis fieret; Dignus mihi videtur Orator, de cujus eximia erga Defunctos pietate teſtantur Parochus, aliique digniſſimi Viri, ut petitam ab EE. VV. moderationem obtineat, ea tamen lege, quòd auctis quandocumque redditibus, Miſſarum quoque numerus augeatur.*

Ex Sacro Concilio Tridentino firmum, ac immotum eſt, pias Defunctorum voluntates non eſſe commutandas *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*. Geminæ in caſu ſunt Cappellaniæ, prima ſcilicet, quam cum onere trium Miſſarum in ſingulis hebdomadis, nulla pro eis præſcripta eleemoſyna mandavit Antonius Sibilla Senior, & quam ad alias tres Miſſas hebdomadales, nulla pariter taxata eleemoſyna pro unaquaque earum auxit Antonius Sibilla junior onere ſuperindicto Cappellano celebrandi annuas quinque Miſſas ex illis per eum auctis in Eccleſia ab Oppido Plebis diſtante per tres circiter horæ quadrantes, nec non intereſſendi cum ſuperpelliceo qualibet anni Feria ſexta expoſitioni Sanctiſſimi Sacramenti fieri ſolitæ in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ dicti Oppidi Plebis: Et ſecunda, quam Antonius Sibilla junior tot celebratis Miſſis, quot eſſent redditus reſidui ſui Patrimonii ad rationem eleemoſynæ obulorum duodecim pro qualibet, exequi juſſit poſt obitum Paulæ Uxoris ſuæ.

Duo

Duo igitur ſunt hac in re ponderanda. Primò, nùm onus Miſſarum unà cum aliis oneribus in prima Cappellania præſcriptis ſit reducendum, quoniam pro celebratione dumtaxàt annuarum Miſſarum 312., ad quem numerum aſcendunt ſex hebdomadalia Sacra, quorum quinque celebrari debent per longum iter extra Oppidum Plebis, impares ſunt aſſignatorum Bonorum redditus à Peritis æſtimati in Libris 144. correſpondentibus ad annua ſcuta 23. monetæ Romanæ, nàm Periti liquidarunt annuos redditus *utriuſque* Prædii *di Ligazorio* in Libris 42., nec non *Domus* in Libris 44.; item redditus Prædii *della Trovaſta* in Libris 52., ac demum nemoroſi Prædii *delle Rive*, in Libris 6. *non compreſa la Legna, perchè abbia la ſua eſtimazione nel tempo del maturo taglio* = Siquidem in piis reducendis oneribus regula eſt, quòd, niſi aliter conſtet ex conjecturata Teſtatoris mente, potius alia onera reducenda ſunt, quàm onns Miſſarum ex traditis per *Fagnan. in cap. Ex parte de Conſtit. num.*4., *Monacell. in formular. legal. tom.* 1. *formul.* 19. *tit.* 10. *num.* 25. *& ſeqq.*, *& Bordon. de Legat. cap.*15. *num.*35. *&* 42.

Et ſecundò, an, quatenus petitæ reductioni Miſſarum locus vel non eſſe debeat, illarum eleemoſyna, quæ à Teſtatoribus taxata non fuit, præſcribenda ſit ad rationem manualis, vel perpetuæ. Siquidem hæc Sacra Congregatio ad rationem perpetuæ juxta Regionis morem ſæpiſſimè præſcripſit Miſſarum eleemoſynam, ut *in Præneſtina* relata per Summaria precum 15. *Junii* 1709., ut *in lib.*59. *Decr. pag.* 217., *in Romana* relata ſimiliter per Summaria precum 27. *Februarii* 1734., ut *in lib.* 84. *Decret. pag.* 120. *terg.*, *in Nepeſina Reductionis onerum* 24. *Julii* 1734., *in Lucana Applicationis Miſſæ quotidianæ* 12. *Februarii* 1735., *& in Viterbien. Cappellaniæ* 11. *Januarii* 1744.

At verò alia duo ſunt hìc conſideranda. *Primò*, quòd mox dicta Sacræ Congregationis ſententia locum habet ante ſequutam oneris acceptationem, id quod verificari poſſet quoad augumentum trium Miſſarum ab Antonio juniore volitum Avitæ Cappellaniæ, & quoad ſecundam Cappellaniam ab Hęrede fiduciario ejuſdem Antonii junioris demandatam ex iſtius Bonis reſidualibus, de quorum onerum executione nunc agitur, attento obitu Paulæ Mariæ, non autem quoad Legatum trium Miſſarum præſcriptum ab Antonio Seniore, cujus onus agnoverat idem

Idem Antonius junior, & poſt eum Paula ejus Vidua, donec vixit. Et *ſecundò*, quòd redditus Bonorum, quæ idem Antonius junior aſſignaverat tàm pro implemento ſui augumenti Miſſarum, quàm in ſubrogationem illorum Bonorum per Avum aſſignatorum, quæ ipſe alienaverat, impares ſunt pro ſubminiſtranda Miſſarum eleemosyna tàm ad rationem manualis, quàm perpetuæ.

Atque hinc videndum erit, an deficientibus redditibus pro implemento onerum primæ Cappellaniæ, hæreditas Antonii junioris, in quem coaluerant Bona Avi, ad ſupplendum, quod deeſt, utcumque in erectionem ſecundæ Cappellaniæ ſit eroganda. Nam uterque Teſtator voluntatem ſuam inchoavit ab onere, ſubindeque ad illud implendum Bona aſſignavit, quæ proinde aſſignatio ſtare dicitur *demonſtrativè*. Hæres enim *in demonſtrativis* addit de ſuo, ſi minores ſunt redditus, quemadmodum definivit hæc Sacra Congregatio *in Romana Legati* 21. *Julii* 1764.

Quod autem pertinet ad ſecundam Cappellaniam præſeferentem onus indefinitæ celebrationis Miſſarum pro modo quantitatis fructuum ſuæ hæreditatis, illius reductionem non aliter concedere conſuevit Sacra Congregatio, niſi ad rationem eleemosynæ manualis juxta morem Regionis, demptis Utenſilibus, ut poſt alios notat *Paſqualig. de Sacrif. nov. leg. tom.*2. *quæſt.* 933 *num.* 3., plurieſque decrevit hæc eadem Sacra Congregatio *in Piſauren. Commutationis Voluntatis*, in qua cum ageretur de Cenſibus relictis pro celebratione Miſſarum in genere, *ſub diebus* 17. *Junii* 1713., *&* 23. *Junii* 1714., denegata erectione Cappellaniæ, reſcripſit, celebrandas eſſe Miſſas ad normam Manualis ex fructibus, & in eventum reſtitutionis Capitalium, ea pariter eroganda eſſe in Miſſarum celebrationem juxta eamdem rationem eleemosynæ manualis, ut *in lib.*63. *Decret. pag.* 250., *& in lib.*64. *pag.* 252. Item *in Caputaquen.* 31. *Julii* 1717., ut *in lib. Decret.* 67. *pag.* 316., *in Romana* 17 *Junii*, *&* 18. *Novembris* 1719., *in Peruſina*, *ſeu Civitatis Plebis Cappellaniæ* 27. *Junii* 1733., & in terminis duplicis Legati Miſſarum, in primo certum, & in ſecundo indefinitum Miſſarum numerum præſeferentis *in Fanen. Reductionis Miſſarum* 14. *Februarii* 1761.; in qua propoſito Dubio = *An ſit locus reductioni Miſſarum* = reſponſum fuit = *Affirmative quoad primum Legatum ad rationem eleemosynæ*

Missæ perpetuæ juxta morem Regionis, quò verò ad secundum Legatum ad rationem eleemosynæ manualis, deductis expensis Sacrorum Utensilium. Dubium est.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

BRACHAREN. REDUCTIONIS ONERUM. Inter cætera onera, quæ incumbunt Capitulo, & Canonicis Cathedralis Bracharensis Ecclesiæ, illud enumeratur interessendi Missis biscentum triginta quatuor de Requiem, quæ cum Responsoriis in fine singularum quotannis solemniter, toto interessente Capitulo, celebrantur, & quarum octoginta novem *de Prima*, reliquæ verò centum quadraginta quinque *de Anniversario* nuncupantur. Gravius hoc Chori servitium, cui ab immemorabili tempore subest Capitulum, cum istud amplius ferre non possit, præsertim propter incommoda, & absurda, quæ inde ex eo eveniunt, hinc anno 1733. supplicem porrexit Libellum primò Sacræ huic Congregationi, deinde san. mem. Clementi XII., ut præfata solemnia Sacra ad Missas lectas, congruo etiam earum aucto numero, reducere dignaretur.

Precibus ad hunc amplissimum Ordinem ablegatis, cum Archiepiscopalis Bracharensis Ecclesia tunc vacaret, requisitus fuit Vicarius Capitularis. Hic retulit, prædictas Missas cum cantu post Primam iis in diebus celebrari, in quibus Missæ pro Defunctis non prohibentur, aliis verò diebus impeditis privatim recitari; nullam earum reperiri institutionem, nullum documentum præter Majorum traditionem, ac præter Tabellas anno quolibet pro Chori regimine fieri solitas à Cantore maximo, seu Vice-cantore, à quo dictarum Missarum quantitas in singulos menses pro rata distribuitur, addita *generali* expressione, quòd earum nonnullæ certo, determinatoque numero celebrandæ sint *pro Sacerdote*, aliæ *pro Laico*, aliæ *pro Fœmina*, & aliæ demum *pro Patre*, & *Matre*; Retulitque pariter, speciales Fundos, vel redditus pro iis canendis Missis assignatos non reperiri, sed ex communi

muni Capituli Massa distributiones interessentibus persolvi; Tandemque concludit, Capitulum recentioribus Legatis gravari, proindeque laboriosum magis evadere Chori servitium, ob idque nonnulli ex Canonicis à Choro declinant, diebus præsertim semiduplicis, vel simplicis festivitatis, quibus memoratas Missas cum cantu celebrare necesse est: Quò verò ad illarum reductionem à Capitulo petitam nullum ejus votum aperuit.

Quare proposita instantia per Summaria Precum in Congregatione *diei 6. Februarii anni* 1734., rescriptum fuit = *Pro meliori informatione* = ut nempe præfatus Vicarius Capitularis referret, quodnam emolumentum pro assistentia eisdem Missis solemnibus Canonici percipiant, & quam summam annui redditus tàm eorum Præbendæ, quàm Distributionum constituant.

Mandatis Sacræ Congregationis obtemperans Vicarius Capitularis respondit = *quòd redditus unius cujusque Canonicatus, comprehensis omnibns omnino emolumentis, atque etiam illis, quæ hactenùs dismembrari consueverunt à Massa pro distributione biscentum triginta quatuor Missarum, de quibus agitur, ascendere possunt in totum uno anno pro alio ad Ducatos auri de Camera monetæ Romanæ circiter ducentos sexdecim cum dimidio unius, quæ quidem quantitas redditus est potius tenuis pro Ecclesia adeo insigni comparative ad alias Cathedrales Regni Portugalliæ fortasse minus insignes, quæ nihilominus habent servitium minus incommodum cum majoribus emolumentis.*

Quod verò pertinet ad stipendium pro intereffentia singulis Sacris 234. solemniter celebrandis, retulit = *quòd pro assistentia uniuscujusque Missæ de Prima appellatæ venit unicuique Canonicorum dimidium julii monetæ Romanæ, & pro assistentia uniuscujusque Missæ de Anniversario nuncupatæ veniunt unicuique Canonicorum de distributione octo julii cum dimidio unius, & duo circiter bajocchi Romanæ monetæ* = prosequiturque = *Unum itaque mihi superest suggerendum, quòd licèt in precibus Capituli impressis offerantur tercentum Missæ lectæ, adhuc tamen Capitulum non renuit, idem onus ad majorem quantitatem acceptare, juxta judicium proferendum ab EE. VV.*

Aft hujusmodi relatione perpensa in Congregatione *diei* 21. *Augusti ejusdem anni* 1734., placuit Eminentissimis Patribus rescribere = *Expectetur Archiepiscopus* = Novæ eidem datæ fuerunt Litteræ pro *Informatione*,

& Voto. Is enim affirmat, per Canonicos ultra dictas Miſſas annuas 234. de Requiem, Miſſam etiam unam ſingulis ſextis feriis, alteramque quolibet die Sabbathi ſolemniter eſſe celebrandam, eàque propter Canonicos Eccleſiæ inſervientes ſummo premi labore, quibus præmiſſis, hæc habet = *undenam hujuſmodi Miſſæ originem ducant nemini patet. Suſpicamur tamen, Legatariis adſcribendas, animadverſa illarum tùm pro Sacerdotibus, tùm pro Laicis applicatione, quapropter cum in eo ſiſtat deprecatio, ut ab onere hujuſmodi Miſſas canendi, à Reſponſoriis in fine dicendis, ab aſſiſtentia Canonici eximantur, integro Miſſarum numero, vel aucto ſi oportuerit remanente, digni exiſtimantur gratiæ conquiſitæ, cum præſertim nihil incommodi Animabus inferatur. Sic judicamus, atteſtamùr, informamus*.

Petitionem modò renovant Canonici. Præcipua, quæ referunt, rationum momenta, quibus eadem petitio nititur, ſunt primò diuturnum, & ad plures horas protractum Chori ſervitium, quod eadem die duo, tria, ac etiam quatuor Sacra cum ſolemnitate peragenda ſæpe neceſſariò concurrant. Secundò, quòd reductio, ſive commutatio, aucto Miſſarum numĕro, in majus Fundatorum, ſi qui ſunt, ſuffragium redundet. Tertiò demum, quòd ad Miſſas dumtaxàt lectas ſolemnibus reductis, oneris ſubſtantia minime immutetur, ſed, juſtis concurrentibus cauſis, commutetur unicè ſolemnitas celebrationis, ut quiſque de Capitulo facilius ad Chorum accedat, & alacriori animo inſerviat Eccleſiæ, ut fuſius in Libello à Capitulo circumferendo.

Sacra Congregatio hujus generis reductiones Miſſarum ſolemnium ad Miſſas lectas, ubi fundationum origo penitus ignoratur, & Bona vel deficiant, vel ita confuſa ſint, ut ſecerni non poſſit, quid ab uno, vel ab altero Teſtatore demandatum, aut relictum fuerit, conceſſit *in Bononien. Anniverſariorum* 26. *Januarii* 1771., & nuperrimè *in Converſanen. Reductionis Onerum* propoſita *die* 30. *Maii proximè præteriti*, & reſoluta *die* 27. *ſequentis menſis Junii quoad II., III., & V. Dubium*.

Quid igitur in propoſita Facti ſpecie graviſſimo quandoque Capituli, & Canonicorum incommodo, & labori, quid Fundatorum incertitudini, quid tandem non exiguæ diſtributionum varietati inter Miſſas *de Anniverſario*, ac reliquas *de Prima* nuncupatas deferendum ſit, ipſi vi-

de-

derint Eminentiſſimi Patres, quorum munus erit definire.

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum ſolemnium in caſu &c.

PLACENTINA. Uſque ab anno 1722. hac auctorante Sacra Congregatione, Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Placentinæ obtinuit, ut ingens numerus ſexaginta ſex Anniverſariorum in binas Miſſas lectas ſingulis diebus commutaretur. Juſta quidem de cauſa, nam illorum redditus vix aſcendens ad annua Romana ſcuta 54., & obul. 44. quantum impar erat pro tot Anniverſariorum celebratione, tantum erat congruum pro earumdem Miſſarum eleemoſyna, quæ tunc vix excedebat obulos ſeptem, adeout, iis celebratis, adhuc ſupereſſet ſumma ſcutorum trium pro utenſilibus. Quamvis autem anno 1737. aucta fuerit manualis eleemosyna in obulo uno cùm dimidio, & anno 1747. fuerit illa ſtatuta in obulis decem, ita ut annuus redditus dictorum ſcutorum 54., & obul. 55. impar foret ad onus binarum quotidianarum Miſſarum ferendum, Capitulum tamen hoc onus uſque ad annum 1775. adimplevit. *Seſs. 22. Decret. de Obſerv., & evit. in celebr. Miſs.*

Eo itaque anno 1775. Capitulum perpendens gravem expenſam tùm ſibi jam obventam in conſpicua ſumma ſcutorum 697. & obul. 88. ex integra earumdem binarum Miſſarum celebratione, tùm in poſterum obventuram, deliberavit nedùm de repetenda expenſa, ſed etiam de aſſequenda dictarum Miſſarum reductione: Hac ideò jam obtenta ad rationem eleemosynæ manualis quoad futurum, poſtulat nunc, ut in compenſationem præteritarum expenſarum ſuſpendantur onera Miſſarum uſque ad reintegrationem ſummæ erogatæ pro Miſſis in præteritum celebratis ultra ratam fructuum perceptorum.

In-

Inquit enim, redditum dictarum Miſſarum vix aſcendere ad annua ſcuta 54., & obul. 55.: Hunc autem imparem penitus fuiſſe ad binas quotidianas Miſſas celebrandas non ex culpa Capituli, ſed ex eleemosynæ aucta quantitate, unde ob illarum implementum uſque ad annum 1775. verſari in evidenti diſpendio ſcutorum 697. 88. prout impoſterum conceſſa fuit Miſſarum reductio, ne Capitulum amplius hoc onus ferret, ita æquo jure ad omnes ipſius expenſas reintegrandas, ſuſpendendam eſſe celebrationem uſque ad integram illarum compenſationem: Ita ſanè ſuadere univerſa juris, æquitatiſque principia, ac ita pluries ab hac Sacra Congregatione fuiſſe definitum,

Nec obſtare *Textum in L. Cum Is, qui* 32. §. *Si in ea ff. de Condict. Indebiti*. Non enim hìc agi de Condictione Indebiti, ſed unicè de reintegratione expenſarum: Inſuper non rem eſſe de privata perſona, contra quam urgeat privilegium Cauſæ piæ, ſed de Eccleſia æque privilegiata, contra quam privilegium Cauſæ piæ allegari non poteſt. Minuſque obeſſe exemplum *in Romana Suſpenſionis Oneris, & reintegrationis eleemosynæ Miſſarum 7 Maii* 1718., *& 17. Junii* 1722., nam in ea rem omnem commiſſam fuiſſe arbitrio Eminentiſſimi Præfecti: Ignotum autem eſſe, quis nam fuerit exitus. Inſuper ibi ſemper Patres Bernabitas habuiſſe eleemosynam *manualem*, licet defeciſſet *perpetua* à Teſtatore præſcripta, proindeque non de reintegrando damno paſſo, ſed unicè de lucro amiſſo certaſſe. In hac autem hypotheſi rem eſſe de expenſa ultra debitum, & vires reddituum facta propter defectum manualis eleemosynæ.

Epiſcopus Placentinus rem totam latius exponit, atque perpendit, votumque ſuum aperuit pro conceſſione gratiæ ſuſpenſionis, adjecta tamen lege, ut emolumentum integrum à ſuſpenſione proſiliens erogetur à Capitulo in utilitatem Eccleſiæ, quæ pluribus indiget, & præſertim Paramenris albis Canonicorum pro functionibus Pontificalibus, nec non reſtauratione Organi, aliiſque ſimilibus,

Super hac quæſtione, quæ cæteroquin erit exemplo, rogatus fuit Emus Cardinalis de Zelada, ut dignaretur rem perpendere, Sacramque Congregationem reddere inſtructam, & votum ſuum aperire. Non defuit Is aſſueta maturitate rem omnem ad examen revocare, ratio-

num-

numque momenta hinc inde referre. Vèrum propoſitam quæſtionem utpotè dignam judicio Sacræ hujus Congregationis, eidem pro definitione cenſuit eſſe ſubmittendam.

Non levis quæſtio eſt, an qui Miſſas celebrare fecit, credens ſe ad eaſdem celebrandas teneri, licèt vere obligatus non eſſet, implorare valeat officium Judicis pro illarum eleemoſyna conſequenda. Sicut enim aliquid ſolvens pro Cauſa pia, erroneè putans ſe teneri, nequit repetere ſolutum juxta reſponſum *in Leg. Cum is, qui* 32. §. *Si in ea ff. de Condit. Indeb.* ibi = *Si in ea opinione ſit Mulier, ut credat ſe pro dote obligatam, quidquid Dotis nomine dederit, non repetit; ſublata enim falſa opinione, relinquitur pietatis cauſa, ex qua ſolutum repeti non poterit* =, ita ex identitate rationis, quod ſolutum eſt in piam Miſſarum cauſam, videtur repeti non poſſe. Inquirendum tamen, an ſecus dicendum ſit, vel ex canonica benignitate, vel ex quo agatur de Eccleſia damnum paſſa.

Sacra Congregatio juxta varias rerum circumſtantias petitam reintegrationem modò approbavit, modòque rejecit. *In Romana* 18. *Februarii* 1713. propoſita inter Summaria precum, cum Deputati Eccleſiæ SS. Ambroſii, & Caroli de Urbe petiiſſent ſuſpenſionem nonnullorum onerum Miſſarum, quæ anticipatè celebratæ fuerant, Sacra Congregatio, prævia relatione Cardinalis de Abdua, indulſit ſuſpenſionem celebrationis Miſſarum uſquequò æquaretur numerus Miſſarum anticipatè celebratarum, *ut in lib.* 63. *Decret. pag.* 76.

Item *in Romana Miſſarum* 31. *Julii* 1717., in qua Patres Auguſtiniani Excalceati petierant ſuſpenſionem Miſſarum pro compenſatione aliarum jam exceſſivè celebratarum, auditus fuit Emus Ruffo, qui retulit, exceſſivè fuiſſe celebratas Miſſas 342., & in poſterum eſſe celebrandas annuas Miſſas 165., votumque aperuit = *celebratis Miſſis centum, ſuſpendi poſſe celebrationem aliarum Miſſarum* 65., *donec compenſetur numerus exceſſivè celebratarum* = hinc propoſito Dubio = *An, & quomodo ſit locus ſuſpenſioni celebrationis Miſſarum, donec compenſetur numerus Miſſarum exceſſivè celebratarum* = reſponſum fuit = *Affirmativè juxta votum Emi Relatoris* = *ut in lib.* 67. *Decr. pag.* 303.

Contra verò petitam reintegrationem denegavit, vel quando juxta Teſtatoris voluntatem applicatę non fuerunt

Miſſæ

Missæ anticipatè celebratæ, *ut in Romana Missarum* 5. *Martii* 1689., *ut in lib.* 39. *Decret. pag.* 91. *à tergo*, vel quando plenè non constitit de defectu reddituum circa Missas celebratas, *ut in Romana Reductionis Missarum* 2., *&* 20. *Augusti* 1710., *&* 14. *Martii* 1711. *ut in Lib.* 60. *Decret. pag.* 299., *&* 332., *& in Lib.* 61. *Decr. part.* 113,. Ardua demum visa fuit quęstio, quando licet defuisset eleemosyna ad rationem *perpetuæ* à Testatore præscripta, non defuit tamen eleemosyna ad rationem *manualis*, & petita fuit reintegratio, seu compensatio pro rata deficientis eleemosynæ perpetuæ, ut in *Romana Suspensionis Oneris*, *& reintegrationis eleemosynæ Missarum* 7. *Maii* 1718., *&* 17. *Januarii* 1722.

His positis, dignabuntur Eminentissimi Patres definire.

An sit locus suspensioni oneris Missarum, & reintegrationi Capituli pro Missis in præteritum celebratis ultra ratam fructuum perceptorum.

Die

Die Sabbathi 12. *Decembris* 1778. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii , in qua , præter alia , proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda .*

QUinque Cauſæ *in ultima Congregatione* habita *die* 21. tranſacti *menſis Novembris* ob temporis anguſtiam proponi non potuerunt . Eas itaque hìc priori loco damus , ut EE.PP., repetita lectione *Folii ultimæ Congregationis* , illas , uti juris eſſe cenſuerint , expediant .

VADEN. PAROCHIALIS , in qua reſpondendum eſt . *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

An ſit relaxanda Supplicatio in caſu &c.

Negative , & amplius . & ad mentem , & mens eſt , quòd ſcribatur Epiſcopo , qui exigat ab Œconomo , & Adminiſtratoribus expenſarum Fabricæ exactam redditionem rationis , necnon , & referat de præciſa expenſa neceſſaria ad complementum ejuſdem Fabricæ , & interim inſtet pro repetitione debiti tam ab hæredibus defuncti Epiſcopi , quàm ab aliis debitoribus Locorum Piorum S. Catharinæ , & S. Sebaſtiani , & interim proſequatur Fabricam depoſitis 7467. 86. , & ſuper his omnibus ſollicite informet , & Epiſtola detur ejus Agenti .

VERULANA JURISPATRONATUS , cujus tria ſunt Dubia . *Seſſ.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

I. *An Eccleſia , & Cappella Beatæ Mariæ Virginis Gratiarum Fruſinonis ſit de Jurepatronatus Familiæ Molelli in caſu &c.*

II. *An conſtet de legitima verificatione Litterarum Apoſtolicarum expeditarum favore Sacerdotis Philippi Brizi in caſu &c.*

III. *An, & ad quem pertineant Bona, jura, Credita, Sacra Supellectilia, & alia quæcumque data, conceſſa, & perventa ad dictam Eccleſiam, & Cappellam in caſu &c.*

Dilata, & proponatur in prima.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

ALBINGANEN., cujus unum eſt Caput.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Firmo remanente integro onere tum quinque annuarum Miſſarum, tum trium Miſſarum qualibet hebdomada celebrandarum in Altaribus per Antonium ſeniorem deſtinatis cum eleemoſyna ad rationem perpetuæ; reliquæ Miſſæ ab Antonio juniore præſcriptæ reducantur ad rationem manualis, juxta quantitatem reddituum quotannis diſtinctè percipiendorum, ſublato onere Cappellano intereſſendi expoſitioni SSmi Sacramenti, & quoad Legatum Miſſarum relictum a Petro Paulo Manfredi ſuper ejus Prædio il Caſtelletto celebrentur tot Miſſæ, quot ex annuo redditu celebrari poterunt ad rationem manualis.

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

BRACHAREN. REDUCTIONIS ONERUM, in qua ambigitur.

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum ſolemnium in caſu &c.

Reliquæ non propoſitæ.

Seſſ. 22. Decret. de Obſerv., & evit. in celebr. Miſſ.

PLACENTINA, in qua diſputatur.

An ſit locus ſuſpenſioni oneris Miſſarum, & reintegrationi Capituli pro Miſſis in præteritum celebratis ultra ratam fructuum perceptorum in caſu &c.

RO-

ROMANA, ET MESSANEN. Species omnis hujus Cauſæ habetur *in Folio Congregationis* habitæ *hoc lauenti anno die* 27. *Junii*; Cum autem *ea die* Eminentiſſimorum Patrum Suffragia in reſolutionem non conveniſſent, reſcriptum fuit = *iterum proponatur* = : Iterum Cauſa data fuit *in Folio Congregationis diei* 18. *Julii*, in qua proponi non potuit: Aſt *in ſequenti Congregatione diei* 8. *Auguſti* Reſcriptum editum fuit = *Dilata, & proponatur, citato hærede* = Fuerunt igitur interpellati mediati hæredes Sacerdotis Melchioris de Salvo Fundatoris, qui publico ſtipulato Inſtrumento ſub die 22. nuper elapſi menſis Septembris, attenta diminutione reddituum Bonorum pro celebrandis Sacris aſſignatorum ſequuta non ex culpa, & facto Sacerdotis Laurentii de Salvo illorum poſſeſſoris, ſed quidem ex natura rei propter aeris inclementiam, ventorum impetum, nivium pondus, & pluviarum copiam, eorum præſtiterunt aſſenſum, ut idem Sacerdos Laurentius, aliique in Beneficio Miſſarum Succeſſores tot Sacra celebrare debeant, quot erunt annui Bonorum redditus, omnibus demptis expenſis, ad rationem eleemoſynæ tareni unius, & granorum quinque pro qualibet Miſſa. *Seſſ.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Hæc quoad hæredes. Supereſt modò, ut Eminentiſſimi Patres, *repetita lectione folii dictæ Congregationis diei* 27. *præteriti menſis Junii*, definiant unicum Cauſæ Dubium, quod eſt.

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum in caſu &c.

LEODIEN REDUCTIONIS ONERUM. Ad augendum divinum cultum in Collegiata Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis Oppidi Huenſis Leodien. Diœceſis, *Præsbiter Henricus Nicolas* ejuſdem Eccleſiæ Canonicus ſuo poſtremo, cum quo deceſſit elogio *anni* 1688., onus adjecit ſuis hæredibus tradendi Decano, & Capitulo Huenſi annuum redditum florenorum 2500. inter eos Canonicos partiendum, qui intereſſent Laudibus Ven. Sacramenti ſingulis anni diebus Jovis, nec non Beatæ Mariæ Virginis in eadem Eccleſia poſt Completorium quotidie cum cantu perſolvi ſolitis: Viciſſim verò reliquit alium redditum florenorum quingentorum Cappellanis ejuſdem Collegiatæ Eccleſiæ eos inter ex Cappel- *Seſſ.* 25. *cap.* 4. *de Refrmo.*

lanis ſimiliter partiendum, qui iiſdem Laudibus intereſſent. Legem autem indixit, ut injuria Bellorum, vel caſu improviſo dictis imminutis redditibus, vel omnino deperditis, hæredes à damno ſarciendo, vel novo præſtando eſſent prorſus immunes, omniſque fundatio reſoluta remaneret.

Renuentibus hæredibus Teſtatoris utrumque præſtare Legatum, gravis exarſit lis uſque ab anno 1722. pro utroque vindicando. Hoc autem anno integer redditus florenorum 3000. fuit à Capitulo vindicatus, & ab eodem aſſignata Cappellanis ſumma florenorum undecim millium, nimirum ſeptem millium, & quingentorum florenorum pro ſorte principali redditus relicti Cappellanis, reliqua verò ſumma florenorum triummillium, & quingentorum pro fructibus, intereſſe, & expenſis. Quamvis enim ea Sors tunc inveſtimento donata uberiores fructus redderet, nunc tamen illius fructus adeo ſunt imminuti, ut vix floreni tres, vel duo cum dimidio in ſingulis centenis habeantur, unde modò totus Legati redditus unicè aſcendat ad florenos centum, & nonaginta novem: Cum autem hic redditus inter triginta Cappellanos partiendus valde impar, & tenuis ſit pro gravi onere intereſſentiæ Laudibus Sanctiſſimi Sacramenti quolibet die Jovis, & aliis quotidianis B. M. Virginis, idcirco ſupplicant, ut idem onus reducatur ad dies Dominicos, Jovis, alioſque feſtivos intra annum occurrentes, in quibus Benedictio cum SSmo Sacramento Chriſtifidelibus impertitur.

Inquiunt enim, à Teſtatore aſſignatos fuiſſe annuos florenos 500., adhoc ut Cappellani intereſſent Laudibus in honorem SSmi Sacramenti, & Beatæ Virginis Mariæ perſolvendis. Hujus autem Legati redditus non eorum culpa, ſed temporum viciſſitudine longe infra medietatem decreviſſe, ut modò vix aſcendant ad florenos centum nonaginta novem. At verò adeò tenui redditu inter triginta Cappellanos diſtributo, vix unicuique obvenire annuos circiter florenos ſex cum dimidio. Cum igitur hæc ſumma nec juſta retributio ſit pro quotidiano ſervitio, nec piæ Fundatoris menti reſpondeat, nihil æquius eſſe, quàm ut onus reducatur. Ita ſanè præcipere juris diſpoſitionem, & ſpem facere aſſuetam benignitatem hujus Sacræ Congregationis, & voluntatem demùm ipſius Fundatoris, qui, deficientibus, vel imminutis redditibus, præſcriptum onus juſſit aboleri.

Juſtam

Juſtam autem eſſe ſuſtinent petitam reductionem ad Laudes veſpertinas Sanctiſſimi Sacramenti, & B. M. Virginis in ſingulis diebus Dominicis, Jovis, aliiſque feſtis diebus. Hanc quippe reductionem reſpondere proportionate reddituum ultra dimidium diminutioni: Huic plenè aſſentiri Capitulum, alioſque intereſſe habentes: Hanc denique juſtam, & æquam proclamari ab Ordinario Leodienſi, cui in rebus ſuæ Diæceſis pleniſſimam fidem eſſe præſtandam docent *Urſaya diſcept. Eccleſ.* 6. *num.*8. *tom.* 9. *part.* 1., *Piton. diſcept. Eccleſiaſt.* 110. *num.* 22., *& Rota coram Anſald. deciſ.* 418. *num.* 6.

Vicarius Generalis Leodienſis, auditis omnibus intereſſe habentibus, retulit = *omnibus accuratè perpenſis, comperi, præfatas Beneficiatorum preces veritate niti*, = concluditque = *Cum igitur prædicti Beneficiati dictæ fundationi ſatisfaciendi gratia Laudibus reſpectivis Dominicis, Jovis, aliiſque diebus, quibus Benedictio datur, adeſſe parati ſint, qui dies, ut ajunt, ſimul collecti tres hebdomadatim conſtituunt, hæc præſentiarum reſtrictio, ſeu determinatio ſatis accurata, provida, diminutioni redditus ceſſi proportionata, verbiſque Teſtamenti conformis, & conſentanea videtur &c.; his itaque ſtantibus petitam à præfatis Beneficiatis gratiam concedi poſſe cenſeo.*

Atque hinc ſupervacaneum eſt hic repetere juris Canonici principia de onerum reductione ob imminutam *taxivorum* reddituum quantitatem, jam Eminentiſſimis Patribus abunde notiſſima, de quibus *in Romana* 6. *Februarii* 1734., *in Florentina* 23. *Novembris* 1765., *& in Interamnen.* 17. *Auguſti* 1776. Dubium eſt.

An, & quomodo ſit locus reductioni onerum in caſu &c.

SENOGALLIEN. PRÆEMINENTIARUM. In Diæceſi Senogallienſi Mons eſt, cujus in vertice adeſt Eccleſia S[illegible]ariæ priſcis temporibus nuncupata *del Gineſtreto* propter geniſtras, quæ Montis culmen exornabant. Ad imum ejuſdem Montis ſita erat antiqua Civitas *Oſtræ*, quæ XI. ineunte Sæculo, & præſertim anno MIX. ab irruentibus Barbaris depopulata, dejectaque fuit, Eccleſiam Dei regente ſan. mem. Benedicto VIII. Oſtrenſes autem, qui ab Inimicorum ſtrage ſeſe ſubducere potuerunt, ad dictum fugierunt conterminum Montem, ubi cum præfata Eccleſia Caſtrum quoque aderat,

Seſſ. 21. *cap.* 4. *de Reform.*, *& Seſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regul.*

ac ibi ruderibus everſæ Civitatis conſtruxerunt Domos, & Pagum ædificarunt latìs amplum, unde Mons, qui prius nuncupabatur *del Gineſtreto*, vocatus exinde fuerit *Mons novus*, & Eccleſia cum Animarum Curæ exercitio nuncupata, ut etiam modò appellatur, S. Mariæ *de Platea*: Extra Terram *Montis Novi* in regione *del Paradiſo*, quam inter, & Terram intercedit ſpatium dimidii milliarii, ruralis tunc aderat Eccleſia dicata S. Severo, quam ſupponitur Oſtrenſium fuiſſe ruralem Parochialem Eccleſiam; hanc Montenovenſes ſucceſſivis temporibus unà cum Animarum cura transferri curarunt intra dictam Terram in via nuncupata *del Pozzo*. Utraque Parochialis Eccleſia, illa ſcilicet *S. Mariæ de Platea*, & altera *S. Severi* delata fuit ad Monachos Ordinis Sancti Benedicti, nunc autem *prima* condecorata remanet titulo Abbatiæ Sæcularis cum Mitra, & *altera* cum titulo Prioratus ſubjecta reperitur Abbatiæ S. Laurentii in Campo. Hæc omnia habentur ex Codice *à Petro Paulo Brunacci* ſcripto *in hyſtoria Oſtræ, & Montis Novi*, qui aſſervatur in Bibliotheca publica Conventus, & Patrum S. Crucis Ordinis S. Franciſci ſæpedictæ Terræ Montis Novi.

Utraque Parochialis Eccleſia ſuos habet Parochianos non certis Regionibus circumſcriptos, ſed per Familias, quæ huc illuc in Terra Montis Novi ſunt. Aſt Abbatialis Eccleſia S. Mariæ *de Platea* ſemper, & ab immemorabili pro principaliori Eccleſia ab omnibus agnita fuit, & præſertim à Prioribus pro tempore exiſtentibus Eccleſiæ S. Severi, illiuſque propterea Abbas ſibi deberi contendit omnes præcedentias, præeminentias, & prærogativas Eccleſiæ Matrici competentes in omnibus publicis Proceſſionibus, Funeribus, Sacriſque Functionibus peragendis unà cùm Priore Parochialis Eccleſiæ S. Severi, & præcipuè, quòd idem Prior deferre debeat Crucem cooperram in haſta cum velo, ſeu Pallio ad inſtar Regularium, prout id uſque ab immemorabili ſervatum fuerat; Hanc, aliaſque Præeminentias Abbati non deberi propugnante Sacerdote Aloyſio Marcucci nuperrimè de dicta Priorali Eccleſia proviſo, quæſtiones definiendæ ad hanc Sacram Congregationem delegatæ fuerunt.

Auditus de more fuit Senogallienſis Antiſtes, qui votis Abbatis adhærens juſtum putavit = *demandare Priori S. Severi, tam in delatione Crucis, quàm in cæteris actibus præe-*

præeminentialibus , ut ſervet ſolitum juxta ultimum ſtatum .

Cauſa nunc proponitur . Abbas ſuam Abbatialem Eccleſiam S. Mariæ de Platea ſuſtinet eſſe *Matricem* , agitque pro ſuis juribus Præeminentiarum , & Præcedentiæ vindicandis : E contra Prior Marcuccius pugnat pro libertate ſuæ Prioralis Eccleſiæ S. Severi .

Matricitas enim duplicis eſt ſpeciei , *altera* vera , & propria , *alteraque* impropria . Vera , & propria Matricitas , exceptis Cathedralibus , in quibus Matricitas abſque ullo probationis onere verè conſiſtit *Innocent. III. in cap. Venerabili de verb. ſignificat. , & in cap. Ex tranſmiſſa de Reſcript.* , tunc in aliqua Eccleſia reſidere dicitur , quando per diſmembrationem illius Territorii , Populi , & reddituum nova quaſi è ſinu Matris erigitur Parochialis Eccleſia , quæ idcircò ſubjectionem filialem retinet erga Eccleſiam , cujus cum Territorio , Populo , & redditibus erecta fuit juxta *Textum in cap. Ad audientiam* 3. *de Eccleſ. ædificand.* , *ibique Fagnan. lib.* 2. *num.*8. , *& ſeq.* , *Rota coram Priolo deciſ.* 365. . Impropriè verò Matrix ea quandoque appellatur Eccleſia , quæ comparatione ſinita cum aliis Eccleſiis ejuſdem loci , vel antiquitate , vel majoritate præſtat , vel pluribus pollet honorificis prærogativis , adeo ut dignitate , & excellentia quidem vincat alias , non tamen quòd iſtæ tamquam filiales ſint ei ſubjectæ , ut diſtinguendo firmat *Card. de Luc. de Decim. diſc.* 12. *num.* 12. , & 13. , & *Rota cor. Criſpo dec.* 28. *num.* 11. , *& ſeqq.*

Porrò hìc non agitur de vera , & propria Matricitate Abbatialis Eccleſiæ S. Mariæ de Platea , cum non probetur Parochialem Eccleſiam S. Severi erectam fuiſſe cum Territorio , Populo , & redditibus dictæ Abbatialis Eccleſiæ , imò ex Scriptore *Brunaccio* conſtat , communem eſſe opinionem , quòd Eccleſia S. Severi Oſtrenſium fuerit Parochialis Eccleſia , illam verò S. Mariæ præextitiſſe cum Juribus Parochialibus in Caſtro ſupra Montis culmen nuncupatum *del Gineſtreto* .

Res igitur examinanda videtur ad tramites Matricitatis impropriæ , illius ſcilicet , quæ non ex antiquioritate proſilit , dùm ex iis Eccleſiis quæ ſit antiquior penitus ignoratur , quippe quia ante depopulationem Oſtiæ Civitatis ambæ jam erant conſtructæ , & ædificatæ ; ſed quidem vi alterius Matricitatis erutæ ex majoritate , & ex honorificis prærogativis , quibus Eccleſia S. Mariæ

riæ de Platea ſupra Prioralem Eccleſiam S. Severi poſſere contendit,

In his utique terminis regula juris eſt, quòd ad probandam Matricitatem ſecundæ ſpeciei reſultantem ex majoritate, & dignioritate Eccleſiæ ſatis ſit, quòd præciſivè etiam ab erectione, fundatione, vel cujuſvis tituli exhibitione, concurrant indicia vehementia, conjecturæ, & argumenta majoritatem, & dignioritatem alicujus Eccleſiæ comprobantia ad *Text. in cap. Poſtulaſti de Jurepatr.*, *Barboſ. in Jus Eccleſiaſt. univerſ. lib. 2. cap. 6. num. 5.*, & 14., & *de Canon.*, & *Dignit. cap. 2. num. 9.*, & *Pignatell. conſult. 109. num. 3. tom. 9.*

Præfatam autem Eccleſiam S. Mariæ de Platea ab antiquiſſimo tempore majorem eſſe, & dignioriem Parochiali S. Severi, ſuſtinet Abbas *relatione* Scriptoris *Brunacci in cap. 16. ſecundæ partis*, ubi ſic refert = *La Chieſa di S. Maria di Piazza è Chieſa oggi principale di queſta Terra per eſſere Chieſa Abbaziale già de Monaci Benedettini negri fin dal tempo di S. Benedetto, ed oggi Abbazia ſecolare con Mitra, ed è Cura principale, mentre quella di S. Severo per eſſere fuori, ed è la ſeconda Cura, e di minor numero di Anime* = ac inferiùs idem *Auctor* quoad Abbatem refert = *Queſta Chieſa è Parrochia con titolo Abbaziale, e l'Abbate di eſſa per eſſere Abbate di Mitra viene per il primo chiamato, e riconoſciuto nelle adunanze, e Sinodi, che ſi tengono dal Veſcovo di Sinigaglia nella Cattedrale di detta Città, ed hà la precedenza frà tutti i Parochi della Dioceſi, il che dà motivo di dire, che queſta Cura ſia la piú antica di tutta la Dioceſi, e nobilitata per tale fin dal tempo di S. Benedetto.*

Prætereà plura Abbas ad probandam Matricitatem ejus Eccleſiæ ſimul,& præcedentiam ſibi debitam affert indicia. Suſtinet enim, ejus Abbatialem Eccleſiam eſſe liberæ collationis Summi Pontificis: Illam verò S. Severi tamquam adnexam Abbatiæ S.Laurentii in Campo ſubjectam eſſe proviſionalibus, & nominationibus Eminentiſſimi Abbatis Commendatarii. Hanc autem ſubjectivam qualitatem Parochialis Eccleſiæ S. Severi comparative ad liberam qualitatem alterius Abbatialis Eccleſiæ S. Mariæ ſignum Matricitatis inductivum favore Eccleſiæ liberæ collationis conſtituere firmat *Anton. de Butr. in cap. per tuas de Majoritate*, & *Obed.*, *Grat. diſcept, for. cap. 845. num. 41.*, & *Rot. deciſ. 121. num. 6. cor. Fatto*.

Ulterius Matricitatem oſtendere tùm Sacras Viſitationes à

Se-

Senogallienſibus Epiſcopis ſemper incœptas à dicta Abbatiali Eccleſia tamquam majori, & digniori juxta cenſuram *Text. in cap.* 1. *de Cenſ. in* 6., *Pax Jordan. Elucubr. Canon. tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 1. *num.* 106., *Rot. cor. Ratto dicta deciſ.* 121. *num.* 7., & 8., *& in Caputaquen. Præeminentiarum* 25. *Junii* 1756. §. 13. & 14. *coram Stadion*, tum collationem Sacri Chriſmatis ab eiſdem Epiſcopis peractam in eadem Abbatiali Eccleſia, nunquam autem in alia S. Severi *Rota deciſ.* 518. *ſub num.* 14. *verſ. Superaddebantur cor. Anſald.*, & *citata deciſ.* 121. *num.* 7. & *ſeqq. cor. Ratto*, nec non jus omnibus Terræ Montenovenſis Eccleſiis indicendi ſilentium in feria quinta, ſimul ac antepulſandi Campanas in die Sabbathi Majoris Hebdomadæ, ut fieri ſolet à Cathedralibus, à Matricibus, à Majoribus, & dignioribus Eccleſiis, quemadmodum ex reſolutionibus Sac. Rituum Congregationis retulit *Barboſ. in jus Eccleſ. Univ. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 69., & *Pignatell. conſult.* 109. *num.* 8. *tom.* 9., & ex famigerata Conſtitutione *Leonis XI.* tradit *Rota in Caputaquen. Præeminentiarum* 25. *Junii* 1756. §. 14 *in fin. cor. Stadion.*, & prius firmaverant *Rot. cor. Anſaldo deciſ.* 518., & *cor. Ratto deciſ.* 121. utrobique *n.* 15.

Itemque matricitatem evinci ex præeminentia ducendi Proceſſiones rituales, nimirum primam, & tertiam Rogationum, Sanctiſſimi Corporis Chriſti, omneſque alias publicas, quæ tàm ex publica cauſa, quàm ex devotione fiunt à Sodalitiis Terræ Montis Novi, quæ omnes incipiunt, & abſolvuntur in Abbatiali Eccleſia S. Mariæ tamquam majori, & digniori Loci Eccleſia *Barboſ. in Summa Apoſt. deciſ. collect.* 506. *num.* 2., *Nicol. Elucubrat. Canon. tom.* 2. *lib.* 3. *tit.* 41. *de Celebrat. Miſſar. ſub num.* 24. *verſ. Proceſſio verò*, *Pignatell. conſult.* 29. *num.* 1. *tom.* 4., *Rota cor. Ratto d. deciſ.* 121. *num.* 18., *& ſeq.*, & *in citata Caputaquen. Præeminentiarum* 25. *Junii* 1756. §. 14. *cor. Stadion.*

His, aliiſque pluribus indiciis, & argumentis innixus Abbas contendit, Abbatialem Eccleſiam S. Mariæ pollere qualitate *Matricis* impropriæ, & latiſſimè talis, cujus intuitu Eccleſia Matrix nuncupari meritò poſſet, prout ex *Card. de Luc. de Decim. diſc.* 12. *num.* 12., *& ſeq.* firmat *Piton. diſcept. Eccleſiaſt.* 106. *num.* 10., & per conſequens eidem eſſe tribuendas omnes præeminentias, & præcedentias ſupra Priorem Parochialis Eccleſiæ S. Severi minus dignæ, & præſertim, quòd idem Prior in

associatione funerum Parochianorum ejusdem Ecclesiæ S. Severi, & in ea tumulandorum, intereſſente Abbate, incedere debeat ſub ſola Cruce dignioris Abbatialis Eccleſiæ S. Mariæ ante feretrum deferenda ex firmatis per *Pignatell. tom.* 6. *Conſult.* 74. *num.* 1., ubi plures referuntur Reſolutiones Congregationis Sac. Rituum, firmatque *Rota penes Scarfant. ad Ceccoper. tom.* 3. *dec.* 4. *à num.* 1. *ad* 7., & *cor. Ratto deciſ* 121. *num.* 23., & in iis funeribus, in quibus Prior nullum exercere debet officium Stolam deferre non poſſit ex traditis per *Pignatell. tom.* 7. *conſult.* 46. *ferè per tot.*

Quòd item in publicis omnibus Proceſſionibus, aliiſque publicis Eccleſiaſticis Functionibus à Priore S. Severi deferenda ſit Crux velamine obducta ad inſtar Regularium in ſignum minoritatis Eccleſiæ juxta immemorabilem conſuetudinem, & obſervantiam in Terra Montis Novi vigentem, & Tranſactione inita Abbatem inter, & Priorem de anno 1679. confirmatam, relatamque à plurimis juratis Teſtibus, quæ cùm in materia Præeminentiarum. & prærogativarum pro dirimendis quæſtionibus aptiſſima reputetur, ut generaliter tradit *Rota in Nullius, ſeù Tarraconen. Præcedentiæ* 26. *Februarii* 1747 §. 12 *cor. clar. mem. Card. Elephantutio*, & 29. *Januarii* 1748. §. 8. *cor. bon. mem. de Vais*. Multò magis operari poſſet in præſenti caſu, ubi longiſſima æque, ac clariſſima plurium Sæculorum concurrit conſuetudo ad tradita per *Rot. cor. Caprara dec.* 214. *n.* 2., & *in Capuana, ſeù Caſertana Proceſsionum* 13. *Junii* 1749. §. 3., & *ſeq. cor. Clemente*.

Sacra Congregatio in terminis Matricitatis impropriæ pro effectu Præeminentiarum *in Ariminen. Præeminentiarum* 28. *Julii* 1731. *quoad. I. Dubium* ſic conceptum = *An Eccleſia Archipræsbyteralis S. Patrignani ſit Matrix reſpectu Eccleſiæ S. Laurentii in Corrigiano* = reſponsum = *Affirmativè ad effectum, de quo agitur* = *in Caſſanen. Præeminentiarum* 5. *Junii* 1734. *quoad I. Dubium* = *An conſtet de Matricitate, ſeù Præeminentia cùm titulo Archipræsbyterali Eccleſiæ S. Petri Terræ Murani reſpectu etiam Eccleſiæ S Mariæ Magdalenæ ejuſdem Loci, ſeù potius contra conſtet de Matricitate, ſeù Majoritate dictæ Eccleſiæ S. Mariæ Magdalenæ* = decrevit = *Affirmativè ad primam partem, & negativè ad ſecundam* =, & *quoad II. Dubium*, quod erat = *An, ſi utraque Eccleſia erigatur in Collegiatam, illa, quę fuerit declarata Matrix, ſeù*

Ma-

Major retinere debeat præcedentias, & prærogativas quoad omnes alias Ecclesias dictæ Terræ = respondit = *Affirmativè* =

Causa proponitur. Ab utraque Parte jura circumferuntur. Quatuor sunt Capita ab EE. VV. definienda.

I. *An Ecclesia Abbatialis S. Mariæ de Platea sit Ecclesia Matrix, Major, & dignior altera Ecclesia Priorali S. Severi, in casu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An Crux Ecclesiæ Abbatialis S. Mariæ, ejusque Abbas debeant præcedere Cruci, & Priori ejusdem Ecclesiæ in omnibus Processionibus, & funeribus etiam in iis, quæ initium habent ab Ecclesia S. Severi in casu &c.*

III. *An in Processionibus, aliisque Ecclesiasticis Functionibus Crux Ecclesiæ S Severi deferri debeat cùm Pallio, seù velamine ad instar Regularium in casu &c.*

IV. *An liceat Priori S. Severi in Processionibus, & funeribus, in quibus functiones non agit, deferre Stolam à Collo pendentem, vel in brachio in casu &c.*

ARIMINEN., ET FERETRANA. Jacobus Mazi jam Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Terræ S. Agatæ Feretranæ Diœcesis degens in Terra Montis Florum Diœcesis Ariminensis in ultimis Testamentariis Tabulis, quas condidit anno 1776. erexit, fundavitque Cappellaniam merè Laicalem ad ejus gentilitium Altare dicatum Apostolorum Principi in dicta Collegiata Ecclesia, & pro dote dictæ Cappellaniæ assignavit omnia Bona, quæ Testator ipse possidebat in Terris, & districtu S. Agathæ, & S. Donati: Jussit insuper, ut in ejus Prædio sito in Territorio Montis Florum nuncupato *la Balza*, seù *Croce del Gaggio*, & propè ruralem Domum in eodem Prædio existentem ædificaretur Cappella, sivè parva Ecclesia cum erogatione expensæ scutorum Centum Romanorum, & in ea geminas fundavit similiter merè Laicales Cappellanias, pro quarum dote assignavit omnia Bona, Census, Credita, & alia quæcumque ab eodem Fundatore possessa in Terra, & Territorio Montis Florum. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Tandem hæredem universalem instituit Capitulum antedi-

ctæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Agathæ, cui reliquit etiam jus nominandi Cappellanos ad nutum tamen amovibiles, duos scilicet pro Cappellania in dicta Collegiata Ecclesia, alioſque geminos pro binis Cappellaniis erigendis in constructa Cappella, seù Ecclesia in dicto Prædio *la Balza*; Legem indixit Capitulo absolvendi nominationes Cappellanorum omnium Cappellaniarum in personam Præsbyterorum Terræ S. Agathæ, vel de Diœcesi Feretrana, nec non administrandi Bona Cappellaniarum dotalia, & ex eorum redditibus solvendi Cappellanis Missarum eleemosynam, illis scilicet ad fruitionem primæ Cappellaniæ nominatis ad rationem obulorum viginti quinque pro qualibet Missa, aliis verò binarum Cappellaniarum in ædificanda Cappella ad rationem obulorum quindecim pro quolibet celebrando Sacro, residualesque redditus tùm Bonorum Cappellaniaram dotalium, tùm etiam Bonorum omnium hæreditariorum erogandi in celebratione tot Missarum in qualibet Ecclesia Capitulo benevisa cùm eleemosyna manuali unius Julii. Ac demum onere gravavit Cappellanos primæ Cappellaniæ celebrandi quotidianum Sacrum, ac interessendi Choro, illoſque binarum Cappellaniarum præter quotidianam Missæ celebrationem, quòd primò nominatus habitare deberet ruralem ejus Domum propè construendam Ecclesiam, secundò verò nominatus habitaret urbanam ejus Domum sitam in Terra Montis Florum.

Sub hac dispositione defuncto Testatore, Rector Parochialis Ecclesiæ S. Fælicis sitæ in pertinentiis Montis Florum preces porrexit Summo Nostro Pontifici, postulavitque, quòd illa scuta centum à defuncto Canonico Mazi relicta pro construenda Cappella, erogarentur in restaurationem ejus Parochialis Ecclesiæ, & in ea etiam celebrarentur Sacra à geminis Cappellanis implenda. Alias quoque preces eidem Sanctissimo Domino Nostro porrexerunt Capitulum, & Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Agathæ præfati Testatoris hæredes, ut eadem scuta centum impenderentur in perficienda Fabrica ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ, geminæ verò Cappellaniæ à Testatore fundatæ in ædificanda Ecclesia cùm dictis scutis centum ad eorum Ecclesiam Collegiatam transferri deberent cùm Missarum celebratione ad Altare S. Petri, ubi Fundator aliam erexerat Cappellaniam cùm quotidianæ Missæ celebratione à geminis Cappellanis persolvenda.

Utra-

Utraque ſupplicatio remiſſa fuit ad hanc Sacram Congregationem, fuitque de more auditus uterque Epiſcopus, Arimenenſis ſcilicet, & Feretranus, & retulit uterque, ædificandam Eccleſiam, ſive Oratorium eſſe prorsus inutile, quoniam in perexigua diſtantia à loco, ubi illud ædificari deberet, tres exiſtunt Parochiales Eccleſiæ, nimirum S. Fælicis, S. Gaudentii, & S. Pauli, nec non etiam Eccleſia Conventus Patrum Cappuccinorum, & ſunt quoque gemina Oratoria, illud imò præjudicii futurum eſſe ſpirituali Animarum bono, quia Parochiani propter Miſſarum commodum ex novo Oratorio recipiendum tùm à Parochiali Eccleſia, tūm a ſpirituali alimento Doctrinæ Chriſtianæ, & Verbi Dei ab ore proprii Paſtoris ſuſcipiendi averterent. Quò verò ad erogationem antedictorum ſcutorum centum ſimul, & ad Miſſarum celebrationem, ſivè ad translationem Cappellaniarum, alter quippe Epiſcopus, nempe Ariminenſis votis Parochi S. Fælicis, & Feretranus verò petitioni Canonicorum adhæſit.

Verumtamen cum Parochus S. Fælicis à ſua petitione receſſerit, hinc Capitulum ſuas renovat preces pro translatione ad ejus Collegiatam Eccleſiam Cappellaniarum, quas Teſtator fundaverat in pertinentiis Terræ Montis Florum.

In his ſimilibus translationibus concedendis Sacra Congregatio cautè proceſſit. Eam enim, quoties per translationem concurrat Tertii præjudicium, vel quoties juſta non adſit, & neceſſaria translationis cauſa, pluries denegavit, *ut in Regien.* 5. *Auguſti* 1719., *in Romana Translationis Oneris Miſſarum* 28. *Julii* 1731., *in Ariminen. Translationis Cappellaniæ* 20. *Decembris* 1732., *in Neapolitana Commutationis Voluntatis* 7. *Februarii* 1733., *& in Vicen. Translationis Oneris Miſſarum* 19. *Apr.* 1766., eòque certiùs petitam Translationem eſſe reijciendam, quando Teſtator pro Miſſarum celebratione certam Eccleſiam, certumque Altare præſcripſerit, firmant *Ricc. in prax. part.* 4. *reſol.* 69. *per tot.*, *March. de Sacr. Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 24. *num. n.*, *& Pax Jordan. tom.* 1. *var. reſol. lib.* 4. *tract.* 1. *de Sacrif. Miſ. num.* 340.

Aſt eadem Sacra Congregatio petitam Translationem ſæpiùs etiam permiſit, juſta, & urgenti concurrente Translationis cauſa. *ut in Placentina Commutationis Voluntatis anni* 1714., *in Piſcien. Commutationis Voluntatis* 21. *Junii* 1721., *in Bononien. quoad primum Dubium* 23. *Junii*

nii 1724. ; *in Melevitana Seminarii* 29. *Julii* 1725. , *in Pacten. Confraternitatis* 5. *Junii* 1734. , *in Caſſanen.* 26. *Novembris* 1763. , *& in Comen. Translationis Miſſarum* 24. *Novembris* 1764. . Nam juſta , & rationabili urgente cauſa , Commutationem voluntatis fieri præſcripſit Sacra Tridentina Synodus *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.* ; ſancivitque *Textus in cap. Expoſuiſti* 33. *de Præb.* , *& Dignit.* , *ibique Barboſ. per tot.* , *& Rota coram Ratto deciſ.* 253. *num.* 3.

Hanc autem juſtam , urgentem , & neceſſariam adeſſe translationis cauſam , ſuſtinet Capitulum , quoties demandata conſtructio novæ ruralis Eccleſiæ , ſive Cappellæ tamquam maximi detrimenti Animarum ſaluti contradicta remanet à tribus conterminis , præſertim Parochialibus Eccleſiis ; ac quoties concurrit neceſſitas reſtaurandi tùm Collegiatam Eccleſiam , tum etiam proprium ipſius Teſtatoris Altare S. Petri , illudque inſtruendi Sacr s Suppellectilibus ; ac demùm quando haud facile eſt invenire in Oppido Sacerdotes S. Agathæ , vel ex Diæceſi Feretrana , qui, derelicta Patria, Parentibus, & Conſanguineis , incumbere velint præſcriptis Cappellaniis cum lege quoad unam ex Cappellaniis incolendi domum ruſticam, quò verò ad aliam , domum poſitam in Caſtro Montis Florum , & cum onere accedendi ad ruralem ædificandam Eccleſiam pro celebrando Sacro , recepta tantùm eleæmoſina quoad utrumque Cappellanum obulorum quindecim pro qualibet Miſſa.

An igitur hæc , & aliæ cauſæ propoſitæ à Capitulo in ejus circumferendo Libello , ſatis ſint pro obtinenda translatione ab ipſo poſtulata , munus erit EE. VV. , iis perpenſis , definire .

An ſit locus translationi Legati Miſſarum ab Eccleſia conſtruenda in Agro Montis Florum ad Altare S. Petri Eccleſiæ Collegiatæ S. Agathæ , & reſpectivè erogationi ſummæ pro dicta Eccleſia relictæ pro fabrica præfatæ Eccleſiæ Collegiatæ in caſu &c.

FINIS.

INDEX
RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Cauſis in Sac. Congregatione Concilii propoſitis anno 1778.

A

ABeſſendi ab Eccleſia certis anni menſibus ob aeris inclementiam Parochis indulſit in *Portuen. Viſitationis Sacrorum Liminum* 8. *Auguſti ad I. Dub. pag.* 184.

Ad decennium tamen duraturam *ibid.*

Adſcriptio Familiarum exterarum vid. verb. *Parochus*, vel *Familias*.

Alienatio facienda domus antequam concederetur, vel denegaretur, mandavit Sacra Congregatio reddendam eſſe rationem de penſionibus huc uſque perceptis in *Romana Alienationis Domus* 4. *Aprilis pag.* 75.

Itemque conficiendam eſſe peritiam ſuper quantitate, qualitate, & pretio reparationum neceſſariarum in dicta Domo *ibid.*

Altare liberum eſſe, nevè de Jurepatronatu illius, qui inibi Inſcriptionem adjecit, definivit in *Tyburtina Juriſpatronatus* 4. *Aprilis pag.* 76.

Anniverſaria in pluribus Altaribus implenda, cuncta celebrari poſſe in uno ſolo ſancivit in *Abulen. Officiorum* 30. *Maii* 120.

Commiſſa R. P. D. Secretario impetratione Gratiæ Altaris Privilegiati *ibid.*

Anniverſariorum tabellam eſſe ab Epiſcopo tranſmittendam cum indicatione Eccleſiarum, in quibus ea ſunt celebranda, quatenus provideri non poſſit per decretum Alexandri VII., dilata interim reſolutione Cauſæ reſcriptum fuit in *Abulen. Anniverſariorum* 30. *Maii pag.* 120.

Item ut Epiſcopus ſignificet, an adſit conſenſus Rectorum Eccleſiarum, a quibus Anniverſaria transferenda ſunt *ibid.*

Antiphona: *Si iniquitates*: intonationem ſpectare ad Parochum defuncti, non autem ad vocatum Capitulum Cathedralis, Sacra Congregatio præcedentem definitionem confirmavit in *Avenionen. Jurium Parochialium* 21. *Novembris ad IV. dub. pag.* 226.

Archipresbyterum præeminentia gaudere in functionibus Eccleſiaſticis fieri aſſuetis in Parochialibus ſuffraganeis, juxta tamen Conſtitutiones Synodales, cenſuit in *Sarſinaten. Erectionis Plebanatus* 5. *Septembris ad III. dub. pag.* 197.

Articulum Synodi Dieceſanę, ut tranſmittat Epiſcopus, dilata interim reſolutione Cauſæ, reſcripſit Sacra Congregatio in *Groſſetana* 30. *Maii pag.* 119.

Utque tranſmittat etiam exemplar Brevis Benedicti XIV. *Ibid.*

Nec non audiatur Parochus, & Officialis Hoſpitalis Sanctiſſimæ Annunciationis B.M. Virginis Civitatis Groſſeti, ut deducant jura ſua in Sacra Congregatione *ibid.*

Aſperſionem Cadaveris antequam è domo educatur, & intonationem Antiphonæ: *Si iniquitates*: non ſpectare ad Capitulum Cathedralis, ſed ad Parochum defuncti, confirmavit Sacra Congregatio in *Avenionen. jurium Parochialium* 21. *Novembris ad* 4. *dub. pag.* 226.

B

BEneficiatum reſignare non poſſe Beneficium de jure Patronatus, reluctante Patrono, decrevit Sacra Congregatio in *Macerat en. Reſignationis Beneficii* 5. *Septembris pagin.* 198.

Bonorum fructus aſſignatos pro dote Cappellaniarum erigendarum in caſu, quo Fundatoris Filia ſine filiis obiret, eo purificato, non deberi ejuſdem Filiæ viro & hæredi donec vixerit, utcumque Filia, & ejus Vir aliquid in augumentum Cappellaniarum obtuliſſent, decretum fuit in *Verulana* 14. *Februarii pag.* 45. *& ſeqq.*

C

CAdaveris aſperſionem, antequam è domo educatur, ſpectare ad Parochum defuncti, non verò ad Capitulum Cathedralis ad funus vocatum confirmavit Sacra Congregatio in *Avenionen. Jurium Parochialium* 21. *Novembris ad IV. dub. pag.* 226.

Canonicis ſervitio Eccleſiæ addictis indulta fuit ad quatuor menſes hyemales tantum facultas recitandi poſt Solis ortum Matutinum cum cæteris horis Canonicis, ac poſt prandium Veſperas cum Completorio in *Auxima-*

mana, & Cingulana Servitii Chorii 21. *Novembris pag.* 225.

Exceptis tamen diebus Festis de præcepto in præsignatis mensibus occurrentibus *ibid.*

Cæteris annis temporibus denegavit *ibid.*

Canonico antiquiori ex receptione conferenda est dignitas Decanatus *Urbinaten. Decanatus* 21. *Novembris pag.* 226.

Canonico petenti collationem Sacrorum Ordinum sibi faciendam ab uno ex vicinioribus Episcopis, vel a Metropolitano, quod supplicaret proprium Episcopum, responsum fuit in *Tirasonen. Ordinum* 8. *Augusti pagin.* 184.

Canonicos Choro adesse, & Missas canere iuxta normam reddituum decreverit Sacra Congregatio in *Nullius S. Aedisti* 4. *Aprilis pagin.* 75.

Canonicorum teneri ad residentiam, & interessentiam resolutum fuit in *Maceraten.* 14. *Martii ad III. dub. pag.* 59. *& seqq.*

Capitulum Cathedralis, & Metropolitanæ Ecclesiæ vocatum ad funus Parochianorum S. Agricolæ, non posse aspergere Cadaver defuncti, antequam a Domo levetur, sed aspersionem spectare ad Parochum defuncti, iterum definivit Sacra Congregatio in *Avenionen. jurium Parochialium* 21. *Novembris ad IV. dub. pag.* 226.

Itemque intonationem Antiphonæ: *Si iniquitates*: spectare ad Parochum defuncti. iterum etiam decrevit Sacra Congregatio *ibidem*.

Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ Avenionen debere præstare Parocho Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ S. Agricolæ quartam funerariam pro Canonicis, Beneficiatis, aliisque addictis servitio dictæ Metropolitanæ Ecclesiæ, ibique tumulatis, sed defunctis intra limites dictæ Parochiæ S. Agricolæ, Sacra Congregatio confirmans editam resolutionem definivit in *eadem Avenionen. jurium Parochialium* 21. *Novembris ad II. dub. pag.* 226.

Capitulum teneri deligere Vicarium Curatum in Ecclesia longe dissita ab Ecclesia Parochiali definivit in *Camerinen. Parochialis* 16. *Maii pag.* 98. *& seqq.*

Cappellanias erigendas esse cum onere Missæ quotidianæ ex pecuniis investimento dandis præcepit in *Bononien.* 4. *Aprilis pag.* 78. *& seqq.*

Cappellano Confraternitatis S. Antonii Patavini in die Festo dicti Sancti, & in aliis Festivitatibus illius instituti, nec non in anniversariis canere Missam independenter a Paroco non licere, confirmatum fuit in *Faventina Functionum* 13. *Maii ad I. dub. pagin.* 60. *& seq.*

Cappellanum in futurum teneri celebrare Missas in Altaribus a Fundatoribus designatis respondit Sacra Congregatio in *Messanen.* 16. *Maii pag.* 97.

Pro intranti tamen quantitate reddituum cum applicatione pro anima respectivorum Fundatorum *Ibid.*

Quo vero ad præteritum: *ad D. Secretarium cum Sanctissimo*: responsum fuit *ibidem*.

Celebrationem Anniversariorum in pluribus Altaribus faciendam, fieri posse in uno tantum Altari præscriptum fuit in *Abulen. Officiorum* 30. *Maii pag.* 120.

Circumscriptio Processus irregulariter confecti super nullitate professionis una cum Sententia lata a delegatis Judicibus Commissariis demandata fuit in *Chiovien. Restitutionis in Integrum* 24. *Januarii pagin.* 32. *& seqq.*

Et Processus iterata confectio *Ibid.*

Recessit tamen a decisis Sacra Congregatio diei 12. Decembris, quoad processum tantum, *in eadem Chiovien.* 21. *Novembris pag.* 225.

Illiusque dumtaxat impinguatio demandavit *Ibid.*

Citandos esse interesse habentes in causa præscripsit Sacra Congregatio in *Asculana Reductionis Onerum* 14. *Februarii pagin.* 52. *& seqq.*

Clerico ordines esse conferendos ab Episcopo loci, in quo ejus Pater habet domicilium cum possessione Bonorum definivit Sacra Congregatio in *Florentina, & Aliarum Ordinationis* 10. *Januarii pag.* 2. *& seq.*

Facta tamen a Patre jurata declaratione ad formam Bullæ *Speculatores &c. ibid.*

Commessibilium legata a Vincentio Vernazzi relicta PP. Cappuccinis, & Minoribus de Observantia præstanda esse a PP. Conventualibus, uti Corneliæ Vernazzi hæredibus, resolutum fuit in *Vaden. Legatorum* 10. *Januarii pagin.* 1.

Fuitque similiter additum quod Episcopus urgeret pro executione aliorum Legatorum tam ejusdem Vincentii, quam dictæ Corneliæ *ibid.*

Commutatio voluntatis, vid. *Voluntatis commutatio*.

Concordiam super commutatione voluntatis celebratam, non sustineri decrevit in *Nucerina Paganorum Reductionis Missarum* 5. *Septembris* pag. 198.

Idipsum definivit in *Bononien. Confirmationis* 14. *Februarii pag.* 46., *& plurib-seqq.*

Consensus Rectorum Ecclesiarum pro translatione Anniversariorum an adsit, ab Episcopo requisivit Sacra Congregatio in *Abulen. Anniversariorum* 30. *Maii pag.* 120.

Constitutiones Synodales esse servandas super præeminentiis assequendis a Plebano in omnibus functionibus Ecclesiasticis fieri solitis in Parochialibus eidem suffraganeis respondit Sacra Congregatio in *Sarsinaten Erectionis Plebanatus* 5. *Septembris ad III. dub. pag.* 197.

Easdem esse servandas quoad præmi-

nentias debitas Plebano S. Damiani definitum fuit *ibid.*

D

Deletio oneris Cappellano indicti interessendi expositioni Sanctissimi Sacramenti præscripta fuit in *Albinganen.* 12. *Decembris pag.* 242.

Dignitas Decanatus conferri debet Canonico antiquiori *Urbinaten. Decanatus* 21. *Novembris pag.* 226.

Dismembrationem Ecclesiæ Parochialis, ut ea in Plebanatum erigeretur, vetuit Sacra Congregatio in *Sarsinaten. Erectionis Plebanatus* 5. *Septembris ad II. dub. pag.* 197.

Dispensatio Sacerdotis ab incursa Irregularitate indulta fuit in *Vgentina Dispensationis ab Irregularitate* 14. *Martii pag.* 59.

Abnegata vero in *Melevitana Dispensationis* 10. *Januarii pag.* 1.

Dispensatio super defectu ætatis ad assequendum Beneficium Ecclesiasticum, adimpletis per alium oneribus, concessa, & confirmata fuit in *Auximana Dispensationis* 30. *Maii pag.* 126.

Dispensationem a matrimonio rato, & non consumato denegavit in *Nicien Dispensationis* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 140. *& seqq.*

Distributiones debitas fore Canonico absenti cum Indulto Apostolico sancivit in *Macerat en.* 14. *Martii ad IV. dub. pag* 59. *& seqq.*

Eidem deberi fallentias, seu Punctaturas pro certo præfinito tempore *ibid.*

Quæ omnia confirmavit in *eadem* 18. *Julii pag.* 161.

Distributiones pro toto tempore interventus in Choro deberi Canonico in *Leodien.* 14. *Februarii pag.* 43. *& seqq.*

Domus facienda alienatio antequam esset concedenda, vel deneganda, præscriptum fuit, ut redderetur ratio de illius pensionibus huc usque perceptis in *Romana Alienationis Domus* 4. *Aprilis pag.* 75.

Utque confici deberet peritia super quantitate, qualitate, & pretio necessariarum reparationum in specie *ibid.*

Dotem assignandam esse Puellæ conjunctę in quarto gradu cum Testatore in sc. 800. definivit in *Firmana Subsidii Dotalis* 10. *Januarii pag.* 10.

Dotem in subsidium dandam esse Puellæ resolvit in *Eugubina Subsidii Dotalis* 24. *Januarii pag.* 19.

E

Ecclesiæ ædificationi pro commodiori Accolarum utilitati locum esse censuit Sacra Congregatio in *Derthonen. Erectionis Ecclesiæ* 30. *Maii pag.* 120., *& plurib. seqq.*

Jura tamen Parochi salva fore præscripsit *ibid.*

Item quod eligendus Sacerdos Missam certa hora celebraret, Pueroque erudiret *ibid.*

Congruam Incolæ eidem assignarent, juxta tamen eorum vires: in subsidium vero suppleretur ex fructibus Ecclesiæ Matrici pertinentibus *ibid.*

Electio Ecclesiæ Parochialis, vid. sub verb. *Familias*, vel *Parochus*.

Electionem ad Decanatum Metropolitanæ Ecclesiæ Urbini faciendam esse in personam Canonici Joannis Francisci Rosa decrevit Sacra Congregatio in *Urbinaten. Decanatus* 21. *Novembris pag.* 226.

Emphyteusim concedendam esse favore ejus, qui, etsi æqualem obtulerit summam, tutior tamen repertus est in *Firmana Emphyteusis* 19. *Septembris pag.* 212.

Erectionem Ecclesiæ Parochialis Fori Saraceni in Plebanatum, abnegavit in *Sarsinaten. Erectionis Plebanatus* 5. *Septembris ad I. dub. pagin.* 197.

F

Familias adventitias, & exteras licere Parocho adscribere in sua Paræcia, definivit Sacra Congregatio in *Macerat en. Jurium Parochialium* 14. *Martii ad I. dub. pag.* 63. *& seqq.*

Earumque adscriptione, semel facta, sustineri *ibid. ad II. dub.*

Et si quis sponte elegerit Ecclesiam Parochialem, ad alteram convolare non posse, *ibid. ad III. dub.*

Fructus Capitalium assignatos pro dote Cappellaniarum erigendarum post obitum filiæ Fundatoris sine filiis, non deberi ejusdem Filiæ Viro, & hæredi, donec vixerit, definitum fuit in *Verulana* 14. *Februarii pagin.* 45. *& seqq.*

Fructus nonnullorum Bonorum pro rata deberi Canonico, etiam tempore primæ residentiæ confirmavit in *Leodi n.* 14. *Februarii pag.* 44., *& seqq.*

Fructus, quos Parochus, nulliter remotus, non percepit, eidem restituendos esse decrevit in *Sancti Severini* 19. *Septembris ad II. dub. pag.* 211.

Dempta congrua Æconomo debita, aliisque necessariis expensis *ibid.*

Quoad alia damna a Parocho post data, negative respondit *ibid.*

Funera in Ecclesia Confraternitatis S. Antonii Patavini esse a Parocho peragenda, quando, inibi tumulantur Cadavera, quæ non sunt de ejus Paræcia, confirmavit Sacra Congregatio in *Faventina Functionum* 14. *Martii ad I. dub. pag.* 60. *& seqq.*

Et quoad portionem ceræ debitam Parocho tàm pro suis, quam pro alienis Parochianis in dicta Ecclesia tumulantibus, servandum esse solitum, reseriptum fuit *ibid. ad II.*, *& III. dub.*

Funeribus defunctorum ad Parochum defuncti spectare intonationem: *Si iniquitates*: non autem ad Capitulum Cathedralis ad funus vocatum, confirmavit Sacra Congregatio in *Avenionen. Jurium Parochialium* 21. *Novembris ed IV. dubium pag.*226.

G

GRadus consanguinitatis vid. *Puellæ*, vel *Subsidium dotale*.

Gratia abessendi ab Ecclesia certis anni mensibus ob aeris inclementiam, ad decennium duratura, concessa fuit in *Portuen. Visitationis Sacrorum Liminum* 8. *Augusti ad I. dub. pag.* 184.

Gratia alienationis Domus antequam concederetur, vel denegaretur, mandavit Sacra Congregatio reddendam esse rationem de pensionibus huc usque perceptis in *Romana Alienationis Domus* 4. *Aprilis pag.*75.

Itemque conficiendam esse Peritiam super expensis in specie necessariis ob reparationem ejusdem *ibid.*

Gratia dispensatioais ab irregularitate fuit Sacerdoti denegata *in Meleritana dispensationis* 10. *Januarii pag.*1.

Indulta vero fuit in *Ugentina Dispensationis ab Irregularitate* 14. *Martii pag.*59.

Gratia dispensationis super defectu ætatis pro assequendo beneficio Ecclesiastico, cum solitis clausulis alias concessa, confirmata fuit in *Auximana Dispensationis* 30. *Maii pag.*126.

Gratiæ demandatæ a Canonico collationem Sacrorum Ordinum sibi faciendam ab uno ex vicinioribus Episcopis, quod supplicaret proprium Episcopum, a Sacra Congregatione reseriptum fuit in *Tiraſonen. Ordinum* 27. *Junii pag.*184.

Gratiam servitii Chori potius, quam Missarum reductionis demandatam, confirmavit Sacra Congregatio in *Regien. Reductionis Servitii Chori* 14. *Martii pag.* 62. *& seqq.*

H

HAbentes interesse in Causa citandos esse mandavit Sacra Congregatio in *Asculana Reductionis Onerum* 14. *Februarii pag.*52. *& seqq.*

Homicidium quoad Irregularitatem vid. *Irregularitatis dispensatio*.

I

INdultum abessendi ab Ecclesia certis anni mensibus ob aeris inclementiam Parochis concessum fuit ad decennium in *Portuen. Visitationis Sacrorum Liminum.* 8. *Augusti ad I. dub. pag.* 184.

Indultum dispensationis super defectu ætatis pro assequendo Beneficio Ecclesiastico, cum solitis clausulis alias concessum, confirmatum fuit in *Auximana Dispensationis* 30. *Maii pag.* 126.

Indultum Pontificium consequendi distributiones quotidianas a Canonico absente, sustinendum, & observandum, & exequendum esse præscripsit Sacra Congregatio in *Maceraten.* 14. *Martii ad I. & II. dub. pagin.* 59. *& seqq.*

Quod etiam confirmavit in *eadem Maceraten.* 18. *Julii pag.* 161.

Indultum recitandi post Solis ortum Matutinum cum cæteris horis Canonicis, & post prandium Vesperas cum Completorio, concessum fuit Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Cinguli ad quatuor menses hymales tantum in *Auximana & Cingulana Servitii Chori* 21. *Novembris pag.*225.

Exceptis tamen diebus Festis de præcepto *ibid.*

Pro reliquis verò anni mensibus petitum Indultum denegatum fuit *ibid.*

Institutionem ad Canonicatum dandam esse electo cum majori suffragiorum parte, decrevit in *Urbanien. Canonicatus* 24. *Januarii ad II. dub. pag.*18.

Interesse in Causa habentes esse citandos præcepit Sacra Congregatio in *Asculana Reductionis Onerum* 14. *Februarii pag.*52. *& seqq.*

Irregularitatis dispensatio Sacerdoti concessa est in *Ugentina Dispensationis ab Irregularitate* 14. *Martii pag.*59.

Jura sua, ut deducantur in Sacra Congregatione a Paroche,& Officiali Hospitalis Sanctissimæ Annunciationis B. M. V. Civitatis Grosseti, mandatum fuit in *Grossetana* 30. *Maii pag.*119.

Juspatronatus Altaris non probatur ex inscriptione super eo posita *Tyburtina Juris patronatus* 4. *Aprilis pag.*76,

Jus præeminentiarum competere Plebano S. Damiani ad formam Constitutionum Synodalium in *Sarsinaten. Erectionis Plebanatus* 5 *Septembris ad III. dub. pag.*197.

L

LEgata Commestibilium a Vincentio Vernazzi facta favore PP. Cappuccinorum, & Minorum de Observantia, præstanda esse a PP. Conventualibus hæredibus Corne-

heliæ Vernàzzi, definitum fuit in *Vaden. Legatorum 19. Januarii pag.1.*

Additumque fuit, quod Episcopus urgeret pro exequutione aliorum Legatorum a dictis Vincentio, & Cornelia Vernazzi relictorum *ibid.*

Litteras Apostolicas dispensationis super impedimento tertii consanguinitatis gradus non esse exequendas, si, pendente judicio coram Judice Executoriali, contrahentes matrimonium clandestinum celebraverint, respondit Sacra Congregatio in *Civitatis Castelli Nullitatis Matrimonii 18. Julii pag. 162. & pluribus seqq.*

M

MAtrimonium celebratum coram Parocho, servatis iis omnibus a Sacro Concilio Tridentino præscriptis & ratihabitum ad plures annos, validum esse decrevit in *Præmislien. Nullitatis Matrimonii 8. Augusti pagin. 183.*

Matrimonium clandestinum coram Parocho contractum, non expectata Sententia, seu decreto ferendo a Judice Executoriali super veritate expositorum in Litteris Apostolicis expeditis super dispensatione ab impedimento Tertii Consanguinitatis gradus, quo Contrahentes erant innodati, invalidum esse censuit in *Civitatis Castelli Null.tatis Matrimonii 18. Julii pag.162. & pluribus seqq.*

Nec dictas Dispensationis Litteras amplius esse exequendas *ibid.*

Matrimonium ratum, & consumatum fuisse definivit in *Nicien. Dispensationis 27. Junii ad I. dub. pag. 140. & seqq.*

Ideoque non esse locum dispensationi super Matrimonio rato, & consumato *ibid. ad II. dub.*

Matrimonium sustineri decretum fuit in *Massanen. Matrimonii 24. Januarii pag. 19. & plur. seqq.*

Minorem sexdecim annorum Professionem in Religione nulliter emittere definivit Sacra Congregatio in *Spoletana Nullitatis Professionis 10. Januarii pag.2.*

Missam celebrare solemnem in Festivitatibus Cappellano Confraternitatis S. Antonii Patavini independenter a Parocho non licere confirmavit Sacra Congregatio in *Faventina Functionum 14. Martii ad I.dub. pag.60. & seqq.*

Missarum cum cantu, & interessentiæ Choro cum Divinorum officiorum celebratione reductio ad præscriptos tantum dies Festos in futurum observanda juxta votum Eminentissimi Abbatis Commendatarii definita fuit in *Nullius Sancti Ædifii 4. Aprilis pag. 75.*

Data facultate R. P. D. Secretario obtinendi a Sanctissimo absolutionem quoad præteritum *ibid.*

Missarum firmo remanente onere, reducendum esse Chori servitium pro diebus Festis tantum definivit, & confirmavit Sacra Congregatio in *Regien. Reductionis Servitii Chori 14. Martii pag.62.*

Missarum onera ad rationem manualis redacta fuerunt in *Albinganen. 12. Decembris pagin.242.*

Juxta tamèn quantitatem reddituum *ibid.*

Quò verò ad alium earum Missarum numerum, demandata fuit illarum integra celebratio ad rationem perpetuæ *ibid.*

Missarum onera esse reducenda, & implenda in præscripta Missarum quantitate definivit Sac. Congr. in *Egitanien. Oneris Missarum 14. Februarii pag.43.*

Missarum reductio ad quinquennium, præscripto reductionis modo, concessa fuit in *Nepesina Reductionis 3. Septembris pagin.198.*

Missarum reductio concessa est in *Imolen. Reductionis, ac suspensionis Onerum 14. Februarii ad I. Dub. pag. 44.*

Missarum reductio denegata fuit in *Romana Cappellaniarum 4. Aprilis pag. 76., & seqq.*

Missarum reductioni locum esse decrevit ad rationem eleemosinæ, detractis utensilibus, in *Alben. Reductionis Missarum 16. Maii pagin.97.*

Missarum reductioni negativè respondit in *Messanen. Reductionis Missarum 24. Januarii pag.18.*

Missarum reductioni, quarum celebratio ex pacto assumpta fuit, non esse locum decrevit Sac. Congregatio in *Forolivien. Reductionis Missarum 27. Junii pag.139.*

Missarum suspensionem ob expensas erogatas in restauratione Viæ, ac Domus Cappellaniæ, denegavit in *Imolen. Reductionis, ac suspensionis Onerum Missarum 14. Februarii ad III. Dub. pag. 44.*

Missas celebrare teneri Cappellanum in Altare a Fundatore designato, sancitum fuit in *Messanen. 16. Maii pag.97.*

Prò intranti tamèn quantitate reddituum, cum applicatione prò anima respectivorum Fundatorum *ibidem.*

Missas lectas, etiam per turnum celebrari posse extra Ecclesiam Cathedralem certis diebus, & Cappellis juxtà Votum Eminentissimi de Zelada, in *Conversanen. Reductionis Onerum 27. Junii ad I. dub.pag.139.*

Sustulit tàmèn Episcopo facultatem reducendi Missas, *ibidem.*

N

NUllitas Professionis jam definita, prò Josepho Antonio Dominico Mimi, confirmata fuit, in *Spoletana Nullitatis Professionis 10. Januarii pag. 2.*

Nullum esse Matrimonium clandestinè contractum a sanguine conjunctis, utcumque dispensationis Litteras Apostolicas obtinuerint, non expectata tamèn sententia, seù decreto ferendo a Judice executoriali super veritate expositorum in dictis Litteris, definitum fuit in *Civitatis Castelli Nullitatis Matrimonii* 18. *Julii pagin.* 162., & *plurib. seqq.*

Itemque Litteras Apostolicas non esse ampliùs exequendas *ibidem*.

O

OBlatori, qui meliorem fecit conditionem Domini directi, concessa fuit Emphyteusis in *Firmana Emphyteusis* 19. *Septembris pag.* 212.

Onera Missarum non delevit, sed potiùs ad minorem numerum redegit in *Egitanien. Oneris Missarum* 14. *Februarii pag.* 43.

Onere Missarum firmo remanente, demandata reductio servitii Chori ad dies Festos tantùm confirmatà fuit in *Regien. Reductionis Servitii Chori* 14. *Martii pag.* 62., & *seqq.*

Onerum reductioni locum esse juxta Votum Eminentissimi de Zelada resolvit Sacra Congregatio in *Conversanen. Reductionis Onerum* 27. *Junii ad II. III. IV.*, & *V. Dub. pag.* 139.

Onus Missarum ad certam illarum quantitatem pro unoquoque legato reductum fuit in *Egitanien. Oneris Missarum* 14. *Februarii pag.* 43.

Onus Missarum non esse suspendendum, ut Cappellanus reintegretur de expensis factis in Bonis Capellaniæ decrevit Sacra Congregatio in *Imolen. Reductionis, ac suspensionis Onerum Missarum* 14. *Februarii ad III. Dub. pag.* 44.

Nec esse locum provisioni pro aliis faciendis expensis *ibid. ad IV. Dub.*

Onus Missarum indictum ab Antonio Sibilla Seniore implendum esse cum eleemosyna ad rationem perpetuæ, juxtà Testatoris vota. *Albinganen.* 12. *Decembris pag.* 242.

Illud autèm præscriptum ab Antonio Sibilla juniore, deleto onere Cappellano intereſſendi expositioni Sanctissimi Sacramenti, redegit ad rationem manualis, iuxta quantitatem reddituum *ibid.*

Idemque quoad Legatum Missarum relictum a Petro Paulo Manfredi super ejus Prædio *il Castelletto ibid.*

Ordinationem Clerici spectare ad Antistitem loci, in quò Pater habet domicilium, & Bona possidet, resolvit in *Florentina*, & *Aliarum Ordinationis* 10. *Januarii pag.* 2., & *seqq.*

Facta tamèn a Patre jurata declaratione, juxtà Bullam *Speculatores &c. ibid.*

Ordinum Sacrorum collationem faciendam ab uno ex vicinioribus Episcopis, vel a Metropolitano, Canonico petenti responsum fuit, quod Episcopum supplicaret in *Urbanen. Ordinum* 8. *Augusti pag.* 184.

P

PArochialem Ecclesiam S. Petri Terræ Belfortis de Vicario Curato providendam esse a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ S. Venantii Camerini juxta votum Episcopi mandavit Sacra Congregatio in *Camerinen. Parochialis* 16. *Maii pag.* 98., & *seqq.*

Parochialem Ecclesiam Fori Saraceni non esse in Plebanatum erigendam resolutum fuit in *Sarsinaten. Erectionis Plebanatus* 5. *Septembris ad I. Dub. pag.* 197.

Nec quatuor suffraganeas Ecclesias Parochiales una cum dicta Ecclesia Fori Saraceni dismembrandas esse a Plebana Ecclesia Sancti Damiani *ibidem ad II. Dub.*

Easque non esse uniendas eidem Parochiali Ecclesiæ Fori Saraceni *ibid.*

Parochi Suffraganei non tenentur quolibet mense accedere ad Ecclesiam Plebanam Sancti Damiani pro conferentiis casuum moralium *Sarsinaten. Erectionis Plebanatus* 5. *Septembris ad IV. Dub. pag.* 197.

Sed alternativè cum altera Ecclesia Parochiali Fori Saraceni *ibid.*

Parochis ob aeris inclementiam concessum fuit indultum abessendi ab Ecclesia certis anni mensibus in *Portuen. Visitationis Sacrorum Liminum* 8. *Augusti ad I. Dubium pag.* 184.

Duraturam tamèn ad decennium *ibid.*

Parocho defuncti Canonici, Beneficiati, aliorumque addictorum servitio Ecclesiæ Cathedralis, ac degentium intra limites suæ Parochiæ deberi quartam funerariam, etiam si illi in Cathedrali Ecclesia sepeliantur, confirmavit Sacra Congregatio in *Avenionen. Jurium Parochialium* 21. *Novembris ad II. Dub. pag.* 226.

Eidemque, non autem ad Capitulum Cathedralis ad funus vocatum, competere jus aspergendi Cadaver defuncti *ibid. ad IV. Dubium*.

Parocho licere peragere funus in Ecclesia Confraternitatis S. Antonii Patavini, quando inibi tumulantur Cadavera, quæ non sunt de ejus Parochia, decrevit in *Faventina Functionum* 14. *Martii ad* I. *Dub. pag.* 60., & *seqq.*

Quò verò ad portionem Ceræ servari solitum *ibid. ad III. Dub.*

Idipsum quoad portionem Ceræ per Parochianis tumulandis in dicta Ecclesia *ibidem ad II. Dub.*

Parochos S. Jacobi Asculi, & Castri Podii Canosi, tamquàm interesse habentes in Causa, citandos esse decrevit Sacra Congregatio

gatio in *Asculana Reductionis Missarum* 14. *Februarii pag.* 52., & *seqq.*

Parochum redintegrandum esse ad regimen suæ Parochialis Ecclesiæ, remoto æconomo nullitèr electo, definivit in *Sancti Severini* 19. *Septembris ad I. Dub. pag.* 211.

Eidemque restituendos esse fructus omnes Pareciæ tempore æconomatus decursos, dempta congrua pro æconomo, aliisque necessariis expensis *ibid. ad II. Dub.*

Parochus Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ Terræ Tumbæ non docere de reparationibus necessariis in sua Ecclesia culpà defuncti Parochi, definitum fuit in *Senogallien.* 19. *Septembris ad I. Dub. pag.* 212.

Et ideò non esse explendas cum pecuniis repertis in hæreditate ejusdem defuncti Parochi *ibidem ad II. Dub.*

Parochus valet adscribere in sua Parochia Familias exteras, & adventitias *Maceraten. Jurium Parochialium* 14. *Martii ad* 1. *Dub. pag.* 63. & *plurib. seqq.*

Ejusque adscriptionem esse sustinendam *ibid. ad II. Dub.*

Et si quis spontè se adscripserit in una Parochiali Ecclesia, eidem, & non alteri subesse debere *ibid. ad III. Dub.*

Patres Conventuales, uti Corneliæ Vernazzi hæredes, teneri ad præstationem Legatorum PP. Cappuccinis, & Minoribus de Observantia relictorum a Vincentio Vernazzi, fuit definitum in *Vaden. Legatorum* 10. *Januarii pag.* 1.

Nec non ad executionem aliorum Legatorum relictorum tàm a Vincentio, quam a Cornelia Vernazzi *ibid.*

Pecuniis a Testatore in conspicua summa relictis ad effectum illas erogandi in celebratione Missarum manualium mandatum fuit, quod cum earum rata tres erigantur Cappellaniæ cum onere Missæ quotidianæ cum eleemosyna ad rationem manualis, demptis utensilibus in *Bononien.* 4. *Aprilis pag.* 78. & *seqq.*

Una scilicèt in Parochiali Ecclesia S. Juliani *ibid.*

Aliæque geminæ in Ecclesia S. Mariæ de Baraccano *ibid.*

Quodque pecuniarum rata pro dote Cappellaniarum assignanda investiatur in Locis Montium *ibid.*

Quò verò ad residualem pecuniarum ratam tot celebrentur Missæ manuales juxta voluntàtem Testatoris *ibid.*

Pensionem exigi ampliùs non posse per eum, qui nomen semèl dedit Militiæ, etiam per modicos dies, & in minori ætate, ac circumventus *Anagnina Pensionis* 19. *Septembris pag.* 211.

Plebano S. Damiani competere jus præeminentiarum juxta Synodales Constitutiones, quas servandas esse præcepit Sacra Congregatio in *Sarsinaten. Erectionis Plebanatus* 5. *Septembris ad III. Dub. pag.* 197.

Portionem fructuum nonnullorum Bonorum debèri Canonico etiam tempore primæ residentiæ confirmavit Sacra Congregatio in *Loedien.* 14. *Februarii pag.* 44., & *seqq.*

Præeminentias in omnibus Ecclesiasticis functionibus fieri solitis in Parochialibus suffraganeis competere Archipresbytero, seù Plebano, juxtà Constitutiones Synodales, quas esse servandas præcepit Sacra Congregatio in *Sarsinaten. Erectionis Plebanatus* 5. *Septembris ad III. Dub. pag.* 197.

Easdem competere Plebano S. Damiani ad formam Constitutionum Synodalium decrevit Sacra Congregatio *ibid.*

Procèssum, pro obtinenda restitutione in integrum, contrà validitatem Professionis irregularitèr confectum una cum Sententia lata a delegatis Judicibus Commissariis circumscribendum esse, & de novo confici, juxta dandam instructionem mandavit Sacra Congregatio in *Chiovien. Restitutionis in integrum* 24. *Januarii pag.* 32., & *seqq.*

Vèrùmtamen, dilata Causæ Resolutione, *ad mentem* rescripsit Sacra Congregatio *in eadem Chiovien. Restitutionis in integrum* 21. *Novembris pag.* 225.

Et in sequenti Congregatione diei 12. Decembris eadem Sacra Congregatio declarando mentem, definivit: *prævio recessu a decisis; & circumscripta Sententia tantùm scribatur Episcopo pro impinguatione Processûs. ibid.*

Professionem, ob defectum ætatis, invalidam declaravit in *Spoletana Nullitatis Professionis* 10. *Januarii pag.* 2.

Puellæ in quarto gradu sanguinis cum Testatore conjunctæ deberi subsidium dotale in scutis 800. definitum fuit in *Firmana Subsidii Dotalis* 10. *Januarii pag.* 5., & *plurib. seqq.*

Puellæ professi in Conservatorio Oblatarum S. Ursulæ Pergulæ deberi subsidium dotale destinatum *per Monacarsi* censuit Sacra Congregatio in *Eugubina Subsidii Dotalis* 24. *Januarii pag.* 19.

Q

QUartam funeris prò Canonicis, Beneficiatis, aliisque addictis servitio Cathedralis Ecclesiæ in aliena Parochia degentibus, ac decedentibus, sepeliendis tamen in eadem Cathedrali Ecclesia, deberi Parocho defuncti confirmavit Sacra Congregatio in *Avenionen. Iurium Parochialium* 23. *Novembris ad II. Dub. pag.* 226.

Quotam fructuum nonnullorum Bonorum deberi Canonico etiam pro duobus Annis ejus pri-

primæ reſidentiæ confirmatum fuit in *Loedien.* 14. *Februarii pag.*44., *& ſeqq.*

R

RAtionem da perceptis penſionibus Domus eſſe reddendam, priùs quàm illius alienatio permittatur, vel reiiciatur, præſcripſit Sacra Congregatio in *Romana Alienationis Domus* 4. *Aprilis pag.*75.

Nec non eſſe conficiendam peritiam ſuper quantitate, qualitate, & pretio reparationum in ſpecie *ibid.*

Recitatio Matutini cum cæteris horis Canonicis poſt ſolis ortum, & Veſperarum cum Completorio poſt prandium, conceſſa ſuit Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Cingùli ad quatuor menſes hyemales tantùm, exceptis diebus Feſtis de præcepto, in *Auximana, & Cingulana Servitii Chori* 21. *Novembris pagin.*225.

Negata tamen fuit pro cæteris anni temporibus *ibid.*

Reductio Miſſarum ad præſcriptam illarum quantitatem pro unoquoque Legato conceſſa fuit in *Egitanien. Oneris Miſſarum* 14. *Februarii pag.*43.

Reductio Miſſarum, ex gratia, indulta fuit ad quinquennium, cum onere tamèn celebrandi unam Miſſam ſingulis hebdomadis, & aliam in unaquaque ex ſeptem Feſtivitatibus B. M. Virginis, in *Nepeſina Reductionis* 5. *Septembris pag.* 198.

Reductio Miſſarum negata fuit in *Romana Cappellaniarum* 4. *Aprilis pagin.* 76., *& ſeqq.*

Reductio Miſſarum quoad Legatum Petri Gemelli denegatur in *Meſſanen. Reductionis Miſſarum* 24. *Januarii pag.*18.

Reductionem Miſſarum cum cantu, & intereſſentiæ Choro cum divinorum Officiorum celebratione in futurum faciendam ad præſcriptos tantum dies feſtos, juxta votum Eminentiſſimi Abbatis Commendatarii, mandavit Sacra Congregatio in *Nullius Sancti Ædiſti* 4. *Aprilis pag.* 75.

Tributa R. P. D. Secretario facultate obtinendi a SSmo gratiam abſolutionis quoad præteritum *ibid.*

Reductioni Miſſarum ad rationem eleemoſinæ manualis, detractis utenſilibus, locum eſse, reſponſum fuit in *Alben. Reductionis Miſſorum* 16. *Maii pog.*97.

Reductioni Miſſarum ad rationem manualis, demptis utenſilibus, firma tamen remanente celebratione Miſſarum tàm in die feſto S. Catherinæ, quàm in die ſequenti, locum eſſe definitum fuit in *Imolen. Reductionis, ac ſuſpenſionis Onerum Miſſarum* 14. *Februarii ad* I. *Dub.* pag.44.

Quò verò ad præteritum: *ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo*: reſponſum fuit *ibid. ad II. Dub.*

Nèc eſſe locum ſuſpenſioni Miſſarum pro reintegratione expenſarum a Cappellano factarum *ibid. ad III. Dub.*

Adeòque providendum non eſſe prò aliis faciendis expenſis *ibid. ad IV. Dub.*

Reductioni Miſſarum locum non eſſe, ob combuſtionem fundi emphyteutici, aſſumpto earum oneri ſatisfaciendi decretum fuit in *Forolivien. Reductionis Miſſarum* 27. *Junii pag.* 139.

Reductioni onerum locum eſſe, juxta votum Eminentiſſimi de Zelada, reſpondit Sacra Congregatio in *Converſanen. Reductionis Onerum* 27. *Junii ad II. III. IV., & V. Dub. pag.* 139.

Reædificationem Eccleſiæ Parochialis decrevit in *Nullius, ſcù Nonantulana Reædificationis Eccleſiæ Parochialis* 16. *Maii pag.*102., *& plurib. ſeqq.*

Juxtà modum, tamèn, Emo Abbati communicandum *ibid.*

Reintegratio Cappellani de expenſis factis in Bonis Cappellaniæ, facienda mediantè Miſſarum ſuſpenſione, negata fuit in *Imolen. Reductionis. ac ſuſpenſionis Onerum Miſſarum* 14. *Febuar. ad III. Dub. pag*44.

Prout etiàm negata fuit capienda proviſio prò aliis faciendis expenſis *ibid. ad IV. Dubium.*

Reintegrationem ad regimèn ſuæ Parochialis Eccleſiæ, remoto Æconomo, competere Parocho injuſtè expulſo, definitum fuit in *Sancti Severini* 19. *Septembris ad I. Dub. pag.*211.

Et eidem eſſe reſtituendos omnes fructus decurſos tempore Æconomatus, dempta congrua pro Æconomo, aliiſque demptis neceſſariis expenſis *ibid. ad II. Dub.*

Reparationes neceſſarias in Eccleſia Parochiali S. Mariæ Terræ Tumbæ, non eſſe probatas reſponſum fuit in *Senogallien.* 19. *Septembris ad I. Dub. pag.*212.

Eaſque proindè non eſſe explendas cum pecuniis repertis in hæreditate defuncti illius Parochi *ibid. ad II. Dub.*

Reparationi Domus Cappellani, locum non eſſe dixit in *Imolen. Reductionis, ac ſuſpenſionis Onerum Miſſarum* 14. *Februarii ad V. Dub. pag.*44.

Reſidere, & intereſſe Choro Cànonicum oportere, ut diſtributiones in futurum conſequatur *Maceraten.* 14. *Martii ad III. Dubium pag.*59., *& ſeqq.*

Reſignationem Beneficii de Jurepatronatus Communitatis, ea reluctante, fieri non poſſe per Beneficiatum, reſpondit Sacra Congregatio in *Maceraten. Reſignationis Beneficii* 5. *Septembris pag.* 198.

S

SAcerdos petens dispensationem ab irregularitate rejectus fuit in *Melevitana Dispensationis* 10. *Januarii pag.* 1.

Admissus tamèn fuit in *Ugentina Dispensationis ab Irregularitate* 14. *Martii pagin.* 59.

Sacrorum Ordinum collationem ab uno ex vicinioribus Episcopis, vel a Metropolitano faciendam, petenti Canonico fuit præscriptum, quod Episcopum supplicaret in *Terracinen. Ordinum* 8. *Augusti pag.* 184.

Sanatio unius suffragii denegata fuit in *Urbanien. Canonicatus* 24. *Januarii ad I. Dub. pag.* 18.

Sententiam latam a delegatis Judicibus Commissariis, super nullitate Professionis, una cum Processu irregulariter confecto, circumscripsit Sac. Congregatio in *Chiovien. Restitutionis in integrum* 14. *Januarii pag.* 32., *& seqq.*

Recessit tamen a decisis die 12. Decembris, quoad Processum tantùm, in eadem *Chiovien. Restitutionis in integrum* 21. *Novembris pag.* 221.

Mandavitque, ut ille impinguaretur, *ibid.*

Servitium Chori potiùs, quàm Missarum oneris demandatam reductionem confirmavit Sacra Congregatio in *Regien. Reductionis Servitii Chori* 14. *Martii pag.* 62., *& seqq.*

Statutum, seu Decretum Capitulare, Canonico primæ residentiæ prohibens perceptionem nonnullorum fructuum, non sustineri edixit in *Leodien.* 14. *Februarii pagin.* 44., *& seqq.*

Confirmavitque pariter eidem Canonico deberi portionem dictorum fructuum prò duobus annis primæ eius residentiæ *ibid.*

Subsidia Dotalia deberi In scut. 150. pro unaquæque Filia a Testatore descendente, etiam in octavo gradu constituta resolvit in *Romana Subsidiorum Dotalium* 27. *Junii pag.* 143. *& plurib. seqq.*

Subsidia Dotalia pluribus Sororibus assignavit in *Prænestina Subsidiorum Dotalium* 14. *Februarii pag.* 43.

Eademque taxavit in sc. 150. pro unaqualibet *eodem*.

Subsidium Dotale præstandum esse In scut. 800. Puellæ, in quarto consanguinitatis gradu cum Testatore conjunctæ, definivit in *Firmana Subsidii Dotalis* 10. *Januarii pag.* 5., *& plurib. seqq.*

Subsidium Dotale : *per Monacarsi* : deberi Puellæ profitenti tàm in Monasterio strictioris observantiæ, quàm in Conservatorio, responsum fuit in *Eugubina Subsidii Dotalis* 24. *Januarii pag.* 19.

Suffraganei Parochi mense quolibet pro conferentiis casuum moralium non teneri accedere ad Plebanam Ecclesiam S. Damiani respondit Sacra Congregatio in *Sarsinaten. Erectionis Plebanatus* 5. *Septembris ad IV. Dub. pag.* 197.

Sed servata alternativa cum altera Parochiali Ecclesia Fori Saraceni *ibid.*

Supplicationem provisionis Parochiæ a Dataria relaxandam non esse in *Vaden. Parochialis Decembris pag.* 241.

Demandavit tamen, ut ederetur ratio expensarum erogatarum in fabrica Ecclesiæ *ibid.*

Utque Episcopus referret de præcisa expensarum quantitate prò eadem fabrica absolvenda *ibid.*

Et interìm instet pro repetitione debiti tàm ab hæredibus defuncti Episcopi, quàm ab aliis debitoribus Locorum Piorum S. Catherinæ, & S. Sebastiani *ibid.*

Nec non fabrica Ecclesiæ prosequatur cum scutis 467. 86. in depositum existentibus *ibid.*

Suspensio oneris Missarum, & Legatorum, ad decennium, indulta fuit in *Nucerina Paganorum Reductionis Missarum* 5. *Septembris pag.* 198.

Præcepit tamèn, ut tres Missæ qualibet in hebdomada celebrarentur *ibid.*

Suspensioni Missarum, donec reintegretur Cappellanus de peractis expensis in Bonis Cappellaniæ, non esse locum definitum fuit in *Imolen. Reductionis, & suspensionis Onerum Missarum* 14. *Februarii ad III. Dub. pag.* 44.

Deque peragendis expensis nullam esse capiendam provisionem *ibid. ad IV. Dub.*

T

TAbellam Anniversariorum esse ab Episcopo Abulensi transmittendam cum indicatione Ecclesiarum, in quibus ea celebranda sunt, quatenùs provideri non possit per decretum Alexandri VII., rescripsit Sac. Congr. in *Abulen. Anniversariorum* 30. *Maii pag.* 120.

Tonsuram, aliosque Ordines conferendos esse ab Episcopo loci, in quo Pater Ordinandi domicilium habet, & Bona possidet, definitum fuit in *Florentina, & aliarum Ordinationis* 10. *Januarii pag.* 2. *& seqq.*

Facta tamen a Parte jurata declaratione ad formam Bullæ : *Speculatores &c.* : *ibidem*.

V

VIcarium Curatum in Parochiali Ecclesia Terræ Belfortis eligendum esse a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ S. Venantii Camerini, juxta votum Episcopi, respondit Sac. Congr. in *Camerinen. Parochialis* 16. *Maii pag.*98., *& seqq.*

Voluntatem Testatoris, per concordiam commutatam, non sustineri censuit in *Nucerina Paganorum Reductionis Missarum* 5. *Septembris pag.*198.

Initamque concordiam non esse approbandam definitum fuit in *Bononien. Confirmationis Concordiæ* 14. *Februarii pag.*46., *& plurib. seqq.*

Voluntatis commutatio abnegata fuit, propter adversantem Testatoris dispositionem, in *Foresempronien. Commutationis Voluntatis* 16. *Maii pag.*100., *& seqq.*

Idipsum confirmavit in *Faventina Commutationis Voluntatis* 30. *Maii pag.*120.

Utensilia non esse tradenda PP. Reformatis S. Francisci resolutum fuit in *Imolen. Utensilium* 4. *Aprilis pag.*80., *& seqq.*

FINIS

INDEX CONCLUSIONUM,

Quæ adnotatæ fuerunt in foliis Causarum anni 1778.

A

ABbductio violenta feminæ de loco ad locum, Matrimonium contrahendi causa, dicitur Raptus *pag.* 170., & *seq.* §. *Atque hinc*.

Vid. *Raptus*.

Abessendi a Choro, & residentia quandoque indulgetur juxta votum Ordinarii *pag.* 62. §. *De hac*.

Abradens litteras, & aliud in locum ejus, quod scriptum est, adiiciens, falsi crimine punitur *pag.*55., & *seqq.* §. *Precesf.*

Administratio bonorum, quæ ad Juspatronatus pertinent, expleri debet a Parocho Ecclesiæ, in qua fundatum est *pag.* 158. §. *Ad tertium*.

Aedificatio Ecclesiæ. Vid. *Ecclesia*.

Aeris inclementia, & insalubritas non excusat Parochum a residentia in sua Paræcia *pag.*177. & *seqq.* §. *Hæc*

Aegritudo Parochi non liberat eum ab onere residendi in propria Paræcia *ibid.*

Vid. *Parochus quoad residentiam*.

Affectio Vid. *Testatoris affectio*.

Alienatio bonorum, quæ Ecclesiæ, vel alicui oneri sint obnoxia, fieri nequit, nisi urgente necessitate, aut Operis pii *pag.* 68. §. *Regula Juris*.

Si necessitas, urget, permittitur, cum utilitate tamen, non autem cum detrimento Ecclesiæ, vel pii Operis *ibid.*

Alienatio bonorum facit amittere juspatronatus *pag.*157. §. *Addunt*.

Allegatio tituli præsumpti excluditur ab exhibitione tituli vitiosi *Ibid.*

Alimenta debentur Patrono inopi, ex fructibus bonorum etiam oneri Missarum obnoxiis, subducenda *pag.*58. §. *Ae ut*.

Altare ex piis largitionibus ædificatum liberum dicitur, pertinetque ad Patronos Ecclesiæ, nec alicui Juspatronatus acquiritur *pag.*73., & *seq.* §. *Porro*.

Qui ad illius erectionem contribuerunt, non Patroni, sed Benefactores dicuntur *pag.*74. §. *Addit*.

Antiquæ Ecclesiæ. Vid. *Ecclesiæ antiquæ*.

Antistiti delegatio directa exerceri nequit ab eo, qui in tali dignitate constitutus non sit *pag.*29. §. *Addit.*

Antistitum visitationes sacræ antiquæ sufficiunt ad probandum Juspatronatus in personis privatis, nec de usurpatione suspectis *p.*159. §. *Juspatronatus in personis*.

Apostolicum beneplacitum. Vid. *Beneplacitum apostol.cum*.

Appellatio ab electo ad Canonicatum interposita non afficit Patronum, qui, ea non obstante, valet intra quadrimestre, variando, alterum nominare *pagin.*12. §. *Ulterius*.

Applicatio Missæ diversa est a celebratione ejusdem *pag.*95. §. *Quamvis*.

B

BEnefactores, non Patroni dicuntur ii, qui ex eorum largitionibus Altare construxerunt *pag.*74. §. *Addit.*

Beneficia amittit ipso jure Clericus, qui sæculari militiæ nomen dedit *pag.* 201. §. *Certum*.

Intellige, si animum habuerit derelinquendi Ecclesiam *ibid.* & *seqq.* §. *Nihilominus*.

Alioquin; ni prius monitus fuerit *ibid.*

Beneficiato interdicitur Beneficii resignatio, si bona deterioraverit, vel in parte alienaverit *pag.*187. §. *Causa*.

Item, si Beneficium sit de Jurepatronatus, quo casu requiritur Patroni assensus *ibid.*

Beneficiatus alia onera implere non debet, quam ea, quæ in fundatione expressa leguntur *ibid.* & *seqq.* §. *Cczzius*.

Non aliter verò ea a Patrono superaddita in nominatione *ibid.*

Tenetur celebrare simul, & applicare Sacrificium Missæ pro Anima Testatoris, licet sola celebratio præscripta fuerit *pag.*95. §. *Quamvis*.

Beneficii resignatio. Vid. *Resignatio Beneficii*.

Beneplacitum Apostolicum requiritur ad acquirendum Juspatronatus ex incremento *pag.* 157. §. *Ad primum*.

Bona Vid. *Emphyteusis Bonorum*.

Bona, assignata in dotem alicui Cappellæ, retineri non possunt per hæredem ad ejus vitam, neve suspendi nominatio Cappellani *pag.*45. & *seqq.* §. *E' contra*.

Bona Ecclesiæ, vel alicui oneri obnoxia, alienari non possunt, nisi urgente necessitate Ecclesiæ, vel pii Operis *pag.* 63. §. *Regula Juris est*.

Si adest necessitas, tunc permittitur, cum utilitate, numquam cum detrimento Ecclesiæ, vel pii Operis *ibid.*

Bonorum alienatio, Vid. *Alienatio bonorum*.

Bonorum exiguorum incrementum, Vid. *Incrementum*.

Bonorum, quæ ad Juspatronatus pertinent, debet expleri administratio a Parocho Ecclesiæ, in qua fundatum est *pag.* 158. §. *Ad tertium*.

C

CAmpanarum pulsatio primum in Sabbato Sancto denotat Matricitatem impropriam illius Ecclesiæ *pag.* 248. *& seqq.* §. *Ulterius*.

Canonici antiquiores præminentia gaudent in Stalli Choro super eos, qui posteriori tempore admissi fuerunt *pag.* 137. §. *Quod denique*.

Intellige tamen, si sint omnes de eodem ordine *ibid.*

Secus, si diversi ordinis; tunc enim distinctione opus est: aut enim Canonicus, qui nulliter possessionem cæperat, dejectus fuit, & ejus locus ab alio occupatus remansit; tunc etsi restituatur, pristinum Stallum non recuperat, *ibid. & seqq.*

Vel injustè, & absque ejus culpa remotus, eo casu pristinam suam possessionem, animo semper retentam, recuperat *ibid. & seqq.*

Canonici sepeliendi veniunt in Parochia domicilii, quando desit in Cathedrali proprium eorum Sepulchrum *pag.* 223. §. *Hinc etiam*.

Vel etiam si desit Sepulchrum Majorum *ibid.*

Sin autem adsunt prædicta Sepulchra, Parocho domicilii tunc debetur quarta funeralis *ibid.*

Canonico indulgetur quandoque abesse a Choro, & residentia juxta votum Ordinarii *pag.* 62. §. *De hac*.

Interdicitur vero causa obeundi munus Vicarii Generalis extra Diœcesim *pag.* 31. §. *Quo posito*.

Perdit distributiones quotidianas etiamsi fuerit delegatus Apostolicus ad aliquod obeundum munus *ibid.*

Et si percepit, reddere tenetur a die, quo dictum munus cessavit *Ibid.*

Canonicus, qui intra tempus a jure statutum Sacris Ordinibus insigniri non curavit, licet Divinis officiis interfuerit, medietatem quotidianarum distributionum amittit *pag.* 137. §. *Ex hoc*.

Integras tamen consequitur, si non ex sui segnitie, aut crimine, sed alia de causa promotus non fuerit *ibid.*

Magis si protestationem emiserit coram Capitulo de eisdem non amittendis, tunc enim ipsas obtinet *ibid.*

Ac reliqui Canonici excusari nequeunt a restitutione earum, quæ perceperunt injustè *ibid.*

Cappella privata Vid. *Oratorium privatum*.

Cappellani nominatio non potest suspendi ab Hærede *pag.* 45. *& seq.* §. *E' contra*.

Cappellanus tenetur celebrare simul, & applicare Missam in expiationem Animæ Testatoris, licet sola celebratio præscripta fuerit *pag.* 95. §. *Quamvis*.

Cathedralis Ecclesia, Vid. *Ecclesia Cathedralis*.

Causa justa, & necessaria non intercedente, à Testatoris voluntate declinari non potest. *pag.* 50. *& seqq.* §. *Sancta Synodus*.

Ne ex facilitate derogandi morientium voluntati, retrahantur homines a disponendo favore Causæ piæ *pag.* 117. §. *Regula juris est*.

Receditur quandoque, si difficile sit implere onus a Testatore præscriptum *ibid. & seq.* §. *Quæ tamen*.

Celebratio Missæ diversa est ab applicatione ejusdem *pag.* 95. §. *Quamvis*.

Chori servitium diminui valet, si absque Beneficiati culpa redditus diminuti fuerint *pag.* 62. §. *Ut igitur*.

Chrismatis collatio sufficit ad probandam matricitatem impropriam alicujus Ecclesiæ *pag.* 248. *& seq.* §. *Ulterius*.

Cives exteris præferendi semper veniunt *pag.* 189. §. *Ad quartum*.

Dicuntur exteri, qui sunt de alterius Diœcesi, non aliter vero ii, qui sunt ex una eademque Diœcesi *ibid.*

Clerici incontinentes, fornicarii, & concubinarii olim a jure Civili perpetuo deponebantur *pag.* 87. §. *Vetus Legum*.

Idque servarunt Sacri Canones ad dimidium usque seculi XII. *Ibid. & seqq.*

Rigorem hunc perpetuæ depositionis temperarunt Sacri Canones ab anno 1159. ad 1181. *pag.* 88. §. *Postea*.

Sac. vero Tridentinâ Synodus has leges ita conciliavit, ut Clerici, si post primam monitionem personaliter eisdem indictam a damnato consortio non se abstinuerint, tertia fructuum parte illicò privarentur *ibid.* §. *Iandem*.

Post secundam monitionem omnes amitterent fructus, atque ab administratione Beneficiorum rejicerentur *ibid.*

Perseverantibus adhuc in eodem delicto, pœnam amissionis, & excommunicationis indixit *ibid.*

Clericus quoad Irregularitatem. Vid. *Irregularitas*.

Clericus, qui sæculari Militiæ nomen dedit, ipso Jure tum Beneficia, tum Pensiones amittit *pag.* 201. §. *Certum in jure est*.

Intellige si animum habuerit derelinquendi Ecclesiam *ibid.* & *seq.* §. *Nihilominus*.

Alioquin, ni prius monitus fuerit, nec Beneficio, neve Pensione privatur *pag.* 202. *eod.* §.

Clericus, miles non videtur, si citra intentionem suam, militiæ se adscripserit *p.* 202. §. *Erit igitur*.

Contraria expressa voluntas tacitam, & præsumptam excludit *ibid.*

Talem efficit seductio Clerici, ejusque reclamatio apud militum Decurionem pro sua libertate obtinenda *ibid.* & *seq.* §. *Quinimo*.

Magis si in minorili ætate nomen dedisset Militiæ *ibid.*

Aetate verò majores ex proposito Militiam prosequentes, & munera exercentes, perdunt Beneficia, & Pensiones *ibid.* §. *Atque hinc*.

Cohabitatio. Vid. *Domicilium*.

Cohabitatio triennalis non requiritur, quando dissolvendum venit matrimonium a Judice ob perpetuam impotentiam alterius Conjugis *pag.*24. & *seqq.* §. *Nec quidquam*.

Ita dissolutum matrimonium, non amplius revivisci *ibid.*, & §. *In terminis*.

Maxime autem, si illa, non demandata, præcesserit *ibid.* §. *Nec quidquam*.

Collatio Chrismatis. Vid. *Chrismatis collatio*.

Communionis in Paschate Præceptum, ut impleatur, propria Parochia adeunda est *pag.*110. §. *Rursus*.

Commutationi voluntatis Defuncti indulgetur, quando publica utilitas, aut necessitas id suadet *pag.* 50. §. *Quibus sic stantibus*, & *pag.*115. §. *Maxime*.

Aut Divini cultus incrementum *pag.* 50. §. *Quibus sic stantibus*.

Commutari potest voluntas Testatoris eo in casu, quo eumdem effectum etiam sortiatur, neve onera diminutionem patiantur, sed integra superstint *pag.* 114. §. *Renovant*.

Concubinarii Clerici. Vid. *Clerici concubinarii*.

Concubinatus quicumque non recensetur inter causas graves, quæ requiruntur, ad removendum perpetuo Parochum a sua Paræcia. *pag.*85. & *seqq.* §. *Addit*.

Confraternitates, uti partem Populi constituentes, cooptantur in partem oneris eidem Populo inhærentis *pag.* 105. §. *Novum sanè non est*.

Magis si accedat Sodalium assensus *ibid.*

In Cathedralis Ecclesiæ reparationem concurrere debent, si redditus Ecclesiæ deficiant *ibid.*

Consanguinitatis impedimentum. Vid. *Dispensatio*.

Consensus contrahentium Matrimonium a Parocho non intellectus, reddit illud invalidum *pag.*164. §. *Addunt*.

Consensus Episcopi in ædificatione Ecclesiæ requiritur, ne antiquiori Ecclesiæ, vel Juribus Parochialibus irrogetur præjudicium *pag.*122. §. *Quibus*.

Utroque deficiente, suppletur *Ibid.*

Consensus Patrono, vel reservatus, vel ab eo præstitus probat Juspatronatus in personis privatis, nec de usurpatione suspectis *pag.* 159. §. *Juspatronatus in personis*.

Constructio Ecclesiæ. Vid. *Ecclesia*.

Consuetudo. Vid. *Observantia*.

Consuetudo ab unico actu in contrarium destruitur *pag.*187. & *seqq.* §. *Cozzius*.

Longa, est optima interpres subobscuræ voluntatis Testatoris *pag.* 94. §. *Videtur enim*.

Conversatio inhonesta non recensetur inter causas graves, quæ requiruntur ad removendum Parochum a sua Paræcia *pag.* 85. & *seqq.* §. *Addit*.

Crimine falsi punitur abradens litteras, & aliud in locum ejus, quod scriptum est, adiiciens *pag.*55. & *seq.* §. *Preces*.

Crux in funeribus elevatur a digniori Ecclesia *pag.*249. & *seqq.* §. *Hi aliisque*.

D

DAmna, ut reficiantur, requiritur concludens probatio tam in genere, quam in specie *pag.*208. §. *Contendunt*.

Defunctorum piæ voluntates commutari non debent *pag.*231. §. *Ex Sacro*.

Delegatio Antistiti, seu ejus Vicario Generali directa, exerceri nequit ab eo, qui tali in officio, & dignitate constitutus non sit *pag.*29. §. *Addit*.

Dementia præcedens, sed non interveniens actu celebrati matrimonii, non reddit illud invalidum *pag.*173. §. *Ad dementiam*.

Diffamatio Parochi procedens ex ore calumniantium apta non dicitur ad illius remotionem decernendam *pag.* 87. §. *Ex hisce*.

Et remotus, seu dejectus, spoliatus dicitur, adeoque reintegrandus ad suam Ecclesiam venit *ibid.*

Remoto Æconomo interea delecto *ibid.*

Diminutio servitii Chori conceditur, quando diminuti sunt redditus, absque culpa Beneficiati *pag.*62. §. *Ut igitur*.

Dislocationes Domorum, earumque reparationes ab Jure taxantur in quinque scutata pro singulo centenario, & anno *pag.* 147. §. *Quod verò*.

Dismembratio Territorii, Populi, & Reddituum unius Ecclesiæ gratia ædificandi aliam, facit acquirere matricitatem propriam, & veram illi Ecclesiæ antiquæ *pag.*247. §. *Matricitas*.

Quia nova, tamquam è sinu matris, erigitur *Ibid.*

Retinet tamen ista subjectionem filialem erga Ecclesiam illam *Ibid.*

Dispensatio Irregularitatis. Vid. *Irregularitatis dispensatio.*

Dispensatio super impedimento Consanguinitatis, decreto eget Judicis delegati *pag.* 163. §. *Contendunt.*

Aliter contractum, Matrimonium invalidum est *ibid.*

Solum designatus Judex in Litteris, non alter, dispensare potest *ibid.*

Etiamsi erronea fuisset expressio *ibid.*

Vel Litteræ obreptitiæ *ibid.*

Dispensatio tam verbo, quam facto demandari potest ab Exequutore *pag.* 164. §. *Contra verò.*

Dissensus Parentum. Vid. *Parentum dissensus.*

Distributiones pro medietate tantum debentur Canonico, qui intra tempus ab Jure statutum, ad Sacros Ordines promoveri neglexit *pag.* 137. §. *Ex hoc.*

Id obtinet, etiamsi Divinis interfuerit officiis *ibid.*

Integras tamen consequitur, si non ex propria culpa, aut facinore promotus non fuerit *ibid.*

Accedente præsertim protestatione in Capitulo emissa consequendi distributiones *Ibid.*

A quarum restitutione excusari nequeunt Canonici, qui illas percepérunt *ibid.*

Distributiones quotidianæ non debentur Canonico, qui abfuit a Choro, & residentia obeundi gratia munus Vicarii Generalis *pag.* 31. §. *Quo posito.*

Percipere solum valet si delectus fuerit, ad aliquod explendum officium, a Papa, quo durante eas consequi potest *ibid.*

Quo terminato, si distributiones etiam consequutus fuerit, restituere tenetur *ibid.*

Divisio Parochiarum. Vid. *Parochiarum divisio.*

Domicilium ad effectum suscipiendi Ordines Sacros acquiritur per decennalem cohabitationem *pag.* 4. §. *Summa ergo.*

Acquiritur etiam minori temporis spatio, si lares, & bona translata fuerint in locum habitationis *ibid. & seqq.* §. *Præcultis.*

Animus permanendi in loco jusjurandi religione adfirmatus, satis est ad acquirendum Domicilium *ibid.* §. *Summa ergo.*

Ubi vigent Constitutiones Apostolicæ, circa tempus moræ, ut acquisitum dicatur Domicilium ex veriori DD. opinione Triennium sufficit *pag.* 5. §. *Hinc positis.*

Domo emphyteutica combusta, cessant onera ab Emphyteuta assumpta *pag.* 131. *& seqq.* §. *Episcopus.*

Domorum dislocationes, Vid. *Dislocationes domorum.*

Domorum reparationes. Vid. *Reparationes domorum.*

Dotalia subsidia tribuenda veniunt Puellis a Testatore descendentibus usque ad decimum gradum *pag.* 9. §. *Regula juris est.*

Et assignari debent modo in majori, modo minori in quantitate, respectu habito ad conditionem, & paupertatem Puellarum *pag.* 10. §. *Sacra.*

Fortius, requisita a Testatore præscripta habentibus *pag.* 17. §. *Vera juxta.*

Notanter, pro spirituali conjugio *ibid.*

Cum prælatione vero illarum, quæ in sexto gradu Testatori conjunctæ sunt *pag.* 39. §. *Agitur.*

Dotatio Ecclesiæ sufficit sola ad Juspatronatus acquirendum *pag.* 158. *& seqq.* §. *Juspatronatus.*

E

Ecclesia, vera & propria Matrix tunc dicitur, quando per viam dismembrationis sui Territorii, Populi, & Reditnum sanctificatur alia Ecclesia *pag.* 247. §. *Matrices.*

Quia ista, quasi e sinu matris, erecta venit *ibid.*

Sed subjectionem filialem retinere debet erga Ecclesiam illam *ibid.*

Impropria Matrix quandoque appellatur ea, quæ comparative ad alias Ecclesias ejusdem loci, vel majoritate, vel antiquitate pollet. *ibid.* §. *Res igitur.*

Vel pluribus prærogativis, ac honorificentiis fruitur *ibid.*

Unde excellentia vincat alias *ibid.*

Non tamen uti filiales eidem subjectæ sint *ibid.*

Ecclesia Cathedralis semper dicitur vera, & propria Matrix *ibid.* §. *Matrices.*

Ecclesia matrix, deficientibus Ecclesiæ redditibus, ac inimia omnium ægestate accidente, tenetur contribuere ad expensas in reparatione Parochialis *pag.* 103. §. *Eodem modo.*

Ecclesia Parochialis sine Sponso, & Populus sine Pastore remanere non debet *pag.* 205. §. *Ad hæc rescripto.*

Ecclesia præsertim Parochialis, quæ sit angusta, ob incrementum Populi, ampliandæ venit, & reædificanda *pag.* 103. §. *Dum hisce.*

Erogatis in restaurationem, seu novam constructionem fructibus, & proventibus eidem Ecclesiæ spectantibus *ibid.* §. *Quamvis.*

Casu, quo non sufficiant, suppleri tenentur ii, qui aliquos fructus ex ea percipiunt *ibid.*

Et in illorum defectum, tenentur Parochiani *ibid.*

Qui si ægestate laborent, ad Matrices, & viciniores Ecclesias tunc est recurrendum *ibid.*

Quæ etiam in profanos usus converti possunt *ibid.*

Pto ædificatione Ecclesiæ, ejusque cultu, certa dos assignanda venit *pag.* 104. §. *Hisce tamen*.

Ecclesia erecta per dismembrationem Territorii, Populi, & redditnum alterius Ecclesiæ, retinet erga illam subjectionem filialem, *pag.*247 §.*Matricitas*.

Ecclesia vicinior, deficientibus Ecclesiæ Parochialis Redditibus, ac nimia omnium ægestate accedente tenetur ad expensas contribuere in reparatione ejusdem Parochialis *p.* 103. §.*Quomodo*.

Ecclesiæ ædificatio sufficit sola ad Juspatronatus acquirendum *pag.* 158. *& seqq.* §. *Juspatronatus*.

Ecclesiæ antiquæ reædificatio ex largitionibus Fidelium facit ammittere Juspatronatus *pag.* 157. §. *Addunt*.

Ecclesiæ fructus, seu redditus, demptis congruis alimentis in Rectoris sustentationem necessariis, erogari ab ipso debent in decus ipsiusmet Ecclesiæ, & Divini cultus incrementum *pag.*207. §. *Hoc tamen*.

Ecclesiæ Procurator. Vid. *Procurator Ecclesiæ*.

Ecclesias ædificare, inter præcipua religionis, & pietatis opera recensetur *pag.*121. §.*Sustinent*, *& pag* 123. *& seqq.* §. *Ad rectam*.

Adeoque nemini vetitum est id peragere *pag.*121. §. *Sustinent*.

Nec Parochus resistere valet novæ huic Ecclesiæ ædificationi *pag.* 122. §. *Quo posito*.

Nequidem præsidio ammissionis oblatorum, quia uti voluntariæ, aptæ ideo non sunt impedimento esse constructioni Ecclesiæ *ibid.*

Magis si ejus Jura præservata sint *ibid.*

Electus non dicitur ille, cui major suffragiorum numerus defecit *pag.* 11. *& seqq.* §.*Animadvertendum*.

Defectus unius suffragii satis est, ut rejectus quis dicatur *ibid.*

Fortius, in concursu alterius Canonici electi *pag.*12. §. *Uterius*.

Eleemosyna Missarum Vid. *Missarum eleemosyna*.

Emphyteusis bonorum Ecclesiæ concedenda venit majori oblatori *pag.* 210. §. *Quod ergo*.

Episcopi assensus in ædificatione novæ Ecclesiæ requiritur *pag.* 122. §. *Quibus*, *& pag.* 124. §. *Et quamvis*.

Idque ne præjudicium inferatur vel antiquiori Ecclesiæ, vel Parochiali *pag.* 122. *eod.* §.

Inopia oblationum, vel metus eas ammittendi post novam ædificatam Ecclesiam, causa præjudicialis non dicitur *pag.*124. §.*Videndum*.

Qua cessante, & justis concomitantibus cautis, Episcopus assensum suum præbere debet *ibid.*

Eoque abnegato, provocari potest ad Judicem, qui facultatem ædificandi impartiatur, vel ut Episcopum adigat ad præstandum consensum *ibid.*

Episcopus, ex cognitis sibi causis, Ordines Sacros promovendo abnegare potest *p.* 136. §. *Ad quæstionem*.

Nec alium hac in re Judicem habet, quam Deum *ibid.*

Potestatem tamen hanc arctat titulus Beneficii, cui Ordines insint, tunc enim promovendus rejici nequit, sed Episcopus eos conferre tenetur *ibid.*

Alias eumdem Beneficio privaret *ibid.*

Dummodo tamen impedimento canonico non detineatur *ibid.*

Et requisitis necessariis sit præditus *ibid.*

Eucharistiæ Sacramentum. Vid. *Sacramentum Eucharistiæ*.

Exequutio dispensationis demandari potest tam verbo, quam facto *pag.* 164. §. *Contrà verò*.

Exhibens titulum vitiosum, confugere non potest ad præsumptum *pag.*157. §. *Addunt*.

Explicatio interpretationis, Vid. *Interpretatio*.

Exteri Cives. Vid. *Cives exteri*.

F

FAcultas inest Patrono, variandi intra quadrimestre ab electione jam facta *pag.* 12. §. *Uterius*.

Falsum committens, pro modo criminis mitius, vel severius puniri debet *pag.* 55. *& seqq.* §. *Preces*.

Quando tamen ex falsitate nullum evenit malum, neve innocentes damnati fuerint, neve reus a crimine absolutus, tunc mitius agendum est *ibid.*

Fama publica probat Juspatronatus in personis privatis, nec de usurpatione suspectis *p.*159. §. *Juspatronatus in personis*.

Fidejussione a Patre, & Filio præstata, una tantum obligatio censetur *pag.* 210. §. *Videtur*.

Fideles, qui ex eorum largitionibus Altare construxerunt, dicuntur Benefactores, non Patroni *pag.*74. §. *Addit*.

Fidelium largitiones, ex quibus Ecclesia antiqua est reædificata, faciunt ammittere Juspatronatus *pag.*157. §. *Addunt*.

Fornicarii Clerici. Vid. *Clerici fornicarii*.

Fornicatio quæcumque non recensetur inter causas graves, quæ concurrere debent ad privandum perpetuo Parochum propria Paræcia *pag.*85. *& seq.* §. *Addit*.

Fructus bonorum, qui demonstrativè assignati fuerunt pro dote Cappellaniæ, si impares sint oneri ferendo, suppleri debent de proprio ab hærede *pag.*233. §. *Atque hinc*,

Fructus, & Proventus Ecclesiæ spectantes, possunt erogari in restaurationem ejusdem, seu novam constructionem *pag.*103. §. *Quomodo*.

Imm-

Immo, demptis congruis alimentis in Rectoris sustentationem, erogari debent in decus Ecclesiæ, & Divini cultus incrementum *pag.207. §. Hoc tamen.*

Fuga voluntaria Puellæ excludit raptum *pagin.. 170. & seqq. §. Atque hinc.*

Fundatio Ecclesiæ sola sufficit ad Juspatronatronatus acquirendum *pag. 158. & seqq. §. Juspatronatus.*

G

GRadus computatio. Vid. *Testatoris affectio.*

Gratia ab una Congregatione abnegata, ab alia impetrari eadem nequit *pag.23. & seqq. §. Maceratense.*

Gratia collationis Parochiæ exequi quamprimum expedit, ne Ecclesia sine Sponso, & Oves sine Pastore maneant *pag. 205. §. Ab hoc.*

Gratia, pro obtinenda sanatione unius suffragii, non indulgetur, si impetretur intra quadrimestre, ad præsentandum, Patrono concessum *pag. 12. §. Ulterius.*

Et assensu Patronorum non accedente *ibid. §. Et tertio.*

Gratia Vitio sub, vel obreptionis infecta exequi non debet *pag. 29. §. Addit.*

Talis dicitur, si veritas reticita fuerit, cujus gnarus si fuisset Summus Pontifex, aut eam non concessisset, aut quam difficile *ibid. & seqq. §. Falsoque.*

Item, si falsum exponatur *pag.30. §. Quamobrem.*

Ut tamen deprehendatur an tali vitio sit coinquinata, impetranda prius venit oris aperitio *pag.118. §. S. Congregatio.*

H

HÆres non potest retinere ad vitam bona assignata in dotem alicui Cappellæ *pagin. 45. & seqq. §. E contra.*

Nec suspendi per ipsum nominatio Cappellani *ibid.*

Homicidium quoad Irregularitatem Vid. *Irregularitatis dispensatio.*

Hospitalia, deficientibus Ecclesiæ redditibus, ac Canonicorum inopia accedente, tenentur contribuere ad expensas in reparatione Cathedralis erogandas *pag.105. & seqq. §. Novum sane non est.*

Hospitalia auctoritate Apostolica erecta, dicuntur Domus religiosæ *pag.109. & seqq. §. Neque obstare.*

Et gaudent omnibus privilegiis Ecclesiis competentibus *Ibid.*

Adeoque inibi celebrari possunt Missæ, non obstante prohibitione a Tridentina Synodo indicta, ne illæ celebrentur in Oratoriis privatis *ibid.*

I

IMpedimentum consanguinitatis Vid. *Dispensatio.*

Impotentia naturalis, & perpetua valet dissolvere matrimonium ex recentiori, & communi recepta opinione *pag. 23. §. Aut quia.*

Falso allegata ab uno ex Conjugibus, unde Matrimonium ritè contractum, per sententiam Judicis fuerit dissolutum, facit illud reviviscere *pag.22. §. Videtur.*

Maxime, si conjux ille potens deinceps inveniatur *pag.23. §. Aut quia.*

Non obstante, quod alter ex Conjugibus, qui impotens non erat, secundum matrimonium contraxerit *Ibid. §. Quæ juris.*

Impotentia respectiva, ob quam dissolutum fuit Matrimonium per Sententiam Judicis, non amplius facit illud reviviscere ex subsequenti potentia unius ex conjugibus *pag.24. § E' contra & §. Et in terminis.*

Nec refert, si ante dissolutionem non præcesserit triennalis cohabitatio *Ibidem §. Nec quidquam.*

Inclementia aeris Vid. *aeris inclementia.*

Incontinentes Clerici Vid. *Clerici incontinentes.*

Incontinentia quæcumque non recensetur inter causas graves, quæ desiderantur ad removendum perpetuo Parochum a propria Paræcia *pag. 85. & seqq. §. Addit.*

Incrementum exiguum quoad acquisitionem Jurispatronatus Vid. *Juspatronatus.*

Indultum abessendi a Choro, & a residentia conceditur aliquando, juxta votum Ordinarii *pag.62. §. De hac.*

Inhonesta conversatio. Vid. *Conversatio inhonesta.*

Inscriptio super Altari de ejus constructione ab aliquo facta, eidem non tribuit Juspatronatus, nisi doceat de suo totum costruxisse *pag74. §. Addit.*

Jnstitutionum Litteræ. Vid. *Litteræ Institutionum.*

Interpretatio semper fieri oportet contra eum, qui apertius se explicare poterat *pag. 94. §. Videtur.*

Utque minus onus impositum fuerit, cum in obscuris minimum sequendum veniat *Ibid.*

Irregularitatis dispensatio propter homicidium incursæ, facilius indulgetur Clerico jam promoto *pag. 56. §. Fortius.*

Juspatronatus de jure acquiritur per erectionem, dotem, & ædificationem *pag. 73. §. Contendit, & pag. 158. §. Juspatronatus.*

Alterutrum ex hisce requisitis si desit, actum est de illius acquisitione *pag. 73. eod. §.*

Quandoquidem tamen quilibet ex his tribus modis disjunctim, & separatim sufficit

ad

ad Juſpatronatus acquirendum *pag.* 158. & *ſeqq. eod.* §.

Immo, ab hiſce præciſive, acquiri poteſt ex privilegio Pontificis *ibid.*

Item, ex pluribus præſentationibus per tempus immemorabile ſequutis *ibid.*

Per conſtructionem Altaris ex largitione Fidelium ſequutam, juſpatronatus nemini acquiritur, ſed illi ſpectat, cui Eccleſia pertinet *pag.* 73. & *ſeqq.* §. *Porro*.

Cum non Patroni in iſto caſu, ſed Benefactores dicantur, qui ad illius erectionem contribuerunt *pag.* 74. §. *Addit*.

Juſpatronatus in Perſonis privatis, & non ſuſpectis de uſurpatione, non requirit exactam, & plenam probationem *pag.* 159. §. *Juſpatronatus in perſonis*.

Sufficiunt Præſentationes, quæ per quadraginta annos effectum ſortitæ fuerint *ibid.*

Item enunciativæ per centum annos *ibidem*.

Vel quæ hominum memoriam exceſſerint *ibid.*

Ex Litteris Inſtitutionum Ordinarii, in quibus expreſsum fuerit præſentationem alicui ſpectare Patrono *Ibid.*

Ex antiquis Sacris Viſitationibus per Antiſtites expletis *ibid.*

Ex conſenſibus vel Patrono reſervatis, vel ab eo præſtitis *ibid.*

Demum ex publica voce, & fama *ibid.*

Juſpatronatus non acquiritur ex incremento exiguorum bonorum Eccleſiæ, jam antea dotatæ facto *pag.* 157. §. *Ad primum*.

Niſi excedat dotis medietatem *ibid.*

Ad acquiſitionem Juriſpatronatus ex incremento, requiritur Beneplacitum Apoſtolicum *ibid.*

Perditur Juſpatronatus per alienationem bonorum *ibid.* §. *Addunt*.

Itidem, ſi antiqua Eccleſia a largitionibus Populi reædificata fuerit *ibid.*

Titulum vitioſum exhibens, præſumptum allegare prohibetur *ibid.*

Examen tituli ſuper exiſtentia Juriſpatronatus ex reſcripto Principis aſsumendum, veruntamen de ultimo ſtatu deque poſſeſſorio quæſtio aggrediatur *ibid.* & *ſeqq.* §. *Ad ſecundum*.

L

LApſus quadraginta annorum dicitur tempus immemorabile, quod ſufficit ad acquirendum Juſpatronatus *pag.* 158. & *ſeqq.* §. *Juſpatronatus*.

Intellige ſi res ſit de perſonis de uſurpatione minime ſuſpectis *ibid.*

Largitiones Fidelium, ex quibus conſtructum fuit Altare non faciunt acquiri illius Juſpatronatus *pag.* 73. & *ſeqq.* §. *Porro*.

Legati Miſsarum translatio ab una Eccleſia ad Altare alterius Eccleſiæ. juſta, & neceſsaria cauſa non accedente, nuſquam admittitur *pag.* 253. §. *In ſimilibus*.

Magis in præjudicium tertii *ibid.*

Et quando Teſtator certam Eccleſiam, & certum Altare deſignavit pro celebratione Miſsarum *ibid.*

Legatum in contractu præfinitum impleri ſemper debet, non attenta diminutione redditum *pag.* 91. §. *Sane*.

Ab ultima verò voluntate procedens, ſi quantitas taxative relicta ſit, redigitur, ſi redditus minuantur *ibid.* §. *At verò*.

Sin autem demonſtrative, tunc onus impleri debet per hæredem, qui de ſuo ſupplere tenetur *ibid.*

Taxative relictum dicitur quando Legatum incipit ab aſſignatione fundi, vel quantitatis, & deinceps onus ſubſequitur *ibid.*

Demonſtrative vero quando incipit ab onere, & fundi aſſignatio, vel quantitatis adjungitur *ibid.* & *ſeqq.*

Niſi tamen contrarium ex contextu totius diſpoſitionis arguatur *ibid. in fin.*

Legatum, taxative relictum, dicitur, quoties illud incipit ab aſſignatione quantitatis, non autem ab onere *pag* 90. §. *Inquit enim*.

Ut in quantitate præſcripta impleri poſſit, tenetur hæres de ſuo ſupplere, ſi id in votis habuit Teſtator *ibid.* & *ſeqq.*

Litteræ Apoſtolicæ non juſtificatæ exequutionem non promerentur *pag.* 157. & *ſeqq.* §. *Ad ſecundum*.

Litteræ inſtitutionum Ordinarii quoad probationem juriſpatronatus, Vid. *Juſpatronatus*.

Litteras abradens, & aliud in locum ejus, quod antea ſcriptum erat, adiiciens, falſi crimine punitur *pag.* 55. & *ſeqq.* §. *Preces*.

M

MAtricitas duplicis ſpeciei eſt, altera vera, & propria, altera impropria; vera & propria dicitur Eccleſia Cathedralis *pagin.* 247. §. *Matricitas*.

Talem etiam efficit diſmembratio Territorii, Populi, & redditnum *ibid.*

Quia nova, quaſi è ſinu matris, erigitur Parochialis *ibid.*

Quæ ſubjectionem filialem retinet erga Eccleſiam, cujus cum Territorio, Populo, & redditibus erecta fuit *ibid.*

Impropria vero quandoque appellatur Eccleſia, quæ comparative ad alias Eccleſias ejuſdem loci, vel majoritate, vel antiquitate pollet *ibid.*

Vel pluribus prærogativis, ac honorificentiis fruitur *ibid.*

Unde excellentia vincat alias *ibid.*

Non tamen, uti filiales, eidem subjectæ sunt *ibid.*

Matricitas impropria, quæ ex majoritate & dignioritate Ecclesiæ resultat etiam præcisive ab erectione, & fundatione, educitur a conjecturis, & argumentis *pag.* 248. §. *In his*.

Conjecturæ, indicia, & argumenta, quæ sint, referuntur *ibid.* §. *Præterea*, & *pag.* 249. & *seqq.* §. *Hi*.

Prout etiam arguitur hæc Matricitas ex Sacris Visitationibus ab Ordinariis expletis, in quibus talis renunciata sit *peg.* 248. & *seqq.* §. *Ulterius*.

Itidem ex collatione Sacri Chrismatis ab Ordinariis expleta *ibid.*

Item ex facultate pulsandi primum Campanas in Sabbato Sancto *ibid.*

Ex præeminentia ducendi Processiones rituales *pag.* 249. §. *Itemque*.

Ex associatione funerum Parochianorum ejusdem Ecclesiæ cum delatione Crucis *ibid.* & *seqq.* §. *Hi*.

Matricitas Parochiæ ex alio educi nequit, quam demandando unicam olim eam extitisse, atque in ejus adjutorium alteram per dismembrationis viam, subjectam, & filialem erectam fuisse *pag.* 64. §. *Causa*.

Illius denominatio Matrix talem eam non efficit, quia referri valet ad quamdam præeminentiam & impropriam Matricitatis speciem, quæ digniori talem solum præfert *ibid.* & *seqq.* §. *Illa vero*.

Non aliter vero propriam & strictam matricitatem significat *ibid.*

Matrimonium celebratum inter Consanguineos, dispensatione non præcedente, invalidum est *pag.* 163. §. *Contendunt*.

Quam decernere debet Judex in Litteris designatus, & non alter *ibid.*

Ad illius validitatem requiritur moralis Parochi præsentia *pag.* 164. §. *Addunt*.

Idque ut intelligere valeat contrahentium assensum *ibid.*

Testis esse nequit de eorum consensu *ibid.*

Quo non intellecto, Matrimonium redditur invalidum *ibid.*

Contractum coram Parocho Sponsę, & duobus Testibus validum est *ibid.* §. *Contra vero*.

Licet decretum pro dispensatione ab Executore nondum latum fuerit *ibid.*

Quia tam verbo, quam facto dispensatio demandari potest *ibid.*

Matrimonium contractum de assensu Puellæ, non curato Parentum dissensu, validum est *pag.* 172. §. *Rursus*.

Tale efficitur, etiamsi ipsa Uxor contractum dicatur tempore, quo non erat sanæ mentis *pag.* 173. §. *Ad dementiam*.

Dummodo non probet actu celebrati Matrimonii eodem morbo correptam fuisse *ibid.*

Matrimonium nusquam irritant suasiones, & preces, nisi illæ in apertissimam violentiam redoleant *pag.* 171. & *seqq.* §. *At vero*.

Matrimonium primum solutum ob impotentiam, si Conjux ille, qui impotens renunciatus fuit a Judice, potens deinceps efficiatur, tunc reintegrandum venit *pag.* 23. §. *Aut quia*.

Non obstante, quod in sequelam Sententiæ super dissolutione Matrimonii late, alter ex Conjugibus, qui impotens non erat, secundum contraxerit matrimonium *ibid.* §. *Quæ juris*.

Dissoluto autem primo matrimonio per Sententiam, ex impotentia respectiva, si non quoad speciem, saltem propter perpetuum impedimentum ex vitio, aut maleficio subortum, tunc impotens Conjux, etiamsi potens deinceps efficiatur, non amplius primum Matrimonium revivisit *pag.* 24. §. *E' contra*, & §. *Et in terminis*.

Etiamsi Sententia Judicis super dissolutione matrimonii processerit, sine præcedentia triennalis cohabitationis *ibid.* & *seqq.* §. *Nec quidquam*.

Matrimonium quando dissolvitur a Judice ob perpetuam impotentiam alterius Conjugis, tunc non requiritur triennalis cohabitatio *ibid.*

Ita dissolutum primum matrimonium, amplius non redintegratur *ibid.* §. *Et in terminis*.

Sicuti non reconvalescit primum matrimonium, quando ex secundo per alterum Conjugem contracto [post primi dissolutionem) filii nati essent, ne ideo illegitimi efficiantur, & infamia notentur *pag.* 25. §. *Itemque*.

Idque obtinet similiter, ut tollantur rixæ, & odia, quæ inter hos Conjuges, eorumque consanguineos orirentur, atque ad evertenda scandala *ibid.*

Æquitas proinde suadet locum esse dispensationi super primo matrimonio rato, & non consumato, juxta plurima exempla allata *pag.* 26. §. *Simillimus*, & §. *Plures*.

Matrimonium rite contractum, & per Sententiam Judicis ex falsa causa impotentiæ naturalis alterius ex Conjugibus dissolutum, revivisit, & reintegrandum venit *pag.* 22. & *seqq.* §. *Videtur*.

Ex antiquiori DD. sententia assertum impedimentum ineptum dicitur ad illud dirimendum *ibid.*

Ex recentiori autem, & communi recepta opinione, nata impotentia naturali, & perpetua, dissolvitur Matrimonium *pag.* 23. §. *Aut quia*.

Matrix Ecclesia. Vid. *Ecclesia matrix*.

Miles Clericus. Vid. *Clericus miles*.

Missæ Sacrificium designabatur antiquitus sub nomine Ministerii *pag.* 94. & *seqq.* §. *E' contra*.

Et sub nomine Officii ejus celebratio *ibid.*

Onus celebrandi Missas distinguitur ab altero applicationis *pag.* 95. §. *Quamvis.*

Adeoque non repugnat celebratio in quadam Ecclesia, seu Altari absque onere applicationis *ibid.*

Ex præsumpta tamen Fundatoris mente illud obtinet, teneri Cappellanum, vel Beneficiatum celebrare simul, & applicare Missæ Sacrificium in expiationem animæ illius, licet sola celebratio præscripta fuerit *ibid.*

Missarum eleemosyna sæpissime redigitur ad rationem perpetuæ, juxta morem Regionis *pag.* 232. §. *Et secundo.*

Quandoque ad rationem manualis juxta morem Regionis, si redditus impares sint *pag.* 233. §. *Quod autem.*

Demptis tamen utensilibus *ibid.*

Missarum legatum. Vid. *Legatum Missarum.*

Missarum onera, nisi aliter constet ex conjecturata Testatoris mente, reducenda non sunt, sed potius alia pia onera *pag.* 232. §. *Duo igitur.*

In reductione Missarum ratio haberi debet de redditibus, qui si correspondeant æleemosinæ perpetuæ, ad hanc normam celebrandæ veniunt *pagin.* 41. §. *Hoc non obstante.*

Missarum onere impleto ultra redditus annuos, locus fit repetitioni ejus, quod ultra dd. redditus erogatum fuit *pag.* 237. §. *Eo itaque.*

Idque obtinet, quia in hoc casu non agitur de condictione indebiti, sed de reintegratione expensarum *pag.* 238. §. *Nec obstare.*

Limitatur hæc regula ea de causa, quod pro causa pia aliquid solvens, quamvis erroneè, repeti non potest solutum *pag.* 239. §. *Non levis.*

Quia pietatis causa impendisse videtur, *ibid.*

Juxta tamen varias rerum circumstantias modo proceditur regula, modo ejus limitatio *ibid* §. *Sac. Congregatio.*

Missarum onus, per contractum assumptum, non solum non deletur, sed nec diminuitur *pag.* 36. & *seqq.* §. *Animadvertendum.*

Sed tunc Sac. Congregatio redegit, quando redditus vere sint impares ad onus Missarum ferendum *pag.* 54. §. *Rector.*

Missarum reductio fieri debet relative ad annuos redditus *pag.* 41. §. *Hoc non obstante.*

Magis quando id contingit citra culpam Beneficiati *pag.* 151. §. *Quamobrem.*

Redigendæ veniunt Missæ juxta æleemosinam perpetuam, si fructus, & redditus huic correspondeant *ibid.*

Missarum reductio tunc ammittitur quando redditus vere sint impares ad onus Missarum ferendum *pag.* 54. §. *Rector.*

Quandoque etiam fit, ut subsidia vitæ Patrono egeno præstentur *pag.* 58. §. *Ac ut.*

Missarum solemnium reductio ad Missas lectas admittitur, quando origo fundationis ignoratur, & bona vel deficiant, aut confusa sint *pag.* 236. §. *Sacra Congregatio.*

Missas audiendo in Oratorio, seu Cappella privata diebus Festis, Ecclesiastico præcepto non satisfaciunt interessentes, ultra comprehensos in Pontificio Indulto *pag.* 110. & *seqq.* §. *Alsera.*

Satisfaciunt tamen eas audiendo in publicis Oratoriis, in aliis locis Deo dicatis, & Cappellis Hospitalium *ibid.*

Quamvis hortandi essent Fideles, ut in Ecclesia Parochiali convenirent ad audiendum Sacrum, nihilominus ex Tridentino cogi non possunt, & liberum eisdem est in Oratoriis publicis Sacrificio Missæ adesse, & præceptum implere *pag.* 111. §. *Tertio tandem.*

Nec Populo id prohibere valet Ordinarius *ibid.*

Morientium voluntates. Vid. *Voluntas morientium.*

N

Necessitate Ecclesiæ, vel pii Operis urgente, ac utilitate interveniente, alienari possunt bona eidem, vel alicui oneri obnoxia *pag.* 68. §. *Regula iuris est.*

Nominatio facta ad subsidia dotalia per eum, qui substitutus fuit in causa renitentiæ alterius, sustineri debet *pag.* 39. §. *At verò.*

Nominatio Cappellani non potest suspendi ab Hærede *pag.* 45. & *seqq.* §. *E'contra.*

O

Oblator Vid. *Emphyteusis.*

Oblator in pari licitatione cæteris præferendus venit, si pro securitate Loca Montium oppignoraverit *pag.* 210. §. *Quod ergo.*

Item qui jam reperitur administrator bonorum *ibid.* §. *Videtur.*

Rejecto oblatore, qui in fidejussorem dedit ejus Patrem, cum Pater, & Filius, una, eademque Persona, & una obligatio in hoc casu censeatur *ibid.*

Observantia est optima interpres subobscuræ voluntatis Testatoris *pag.* 94. §. *Videtur.*

Onera Missarum Vid. *Missarum onera.*

Onera pia potius reducenda sunt, quam illa Missarum *pag.* 232. §. *Duo igitur.*

Nisi aliter constet ex conjecturata Testatoris mente *ibid.*

Onus celebrandi Missam diversum est ab onere applicationis *pag.* 95. §. *Quamvis*.

Onus Missarum per contractum assumptum nullam diminutionem patitur *pag.* 36. & *seqq.* §. *Animadvertendum*.

Nec etiam deletur *ibid.*

Onus a Testatore præscriptum si difficile sit adimplendum, commutatur *pag.* 117. & *seqq.* §. *Quæ tamen*,

Oratorium auctoritate privata erectum, non dicitur Locus Sacer, nec Religiosus *pagin.* 108. & *seqq.* §. *Porro*,

Quamvis, accedente Indulto Pontificio, erectum fuerit cum restrictione pro quibusdam Personis *ibid.*

Oratorium è diverso publicum censetur, ubi ex Pontificia auctoritate, vel Antistitis, etiam tacito assensu comperiatur Divino cultui destinatum *ibid.*

Adeoque profanationi subjectum remanere non potest *ibid.*

Tacitus assensus ex conjecturis arguitur *ibid.*

Una conjectura est, si publico usui destinatum sit *ibid.*

Altera, si ejus Janua in publicam respiciat viam *pag.* 109. *eod.* §.

Nec in privatas ædes aditum habeat *ibid.*

Vel in Locis Ecclesiasticis ædificatum fuerit *ibid.*

Ingressus in privatas Domus privatum non reddit Oratorium, quoties publicum simul habeat Ostium *ibid.*

Alias nonnullæ Ecclesiæ etiam Parochiales, censerentur privatæ *ibid.*

Publicum etiam reddunt signa, nempè Campanæ in Turri elevatæ *ibid.* & *seqq.* §. *Neque obstare*.

Itidem celebratio Missæ inibi expleta, recurrente festivitate Titularis *ibid.*

Ordinario Loci, tamquam de rebus Ecclesiæ suæ informato, plenissima Fides præstanda venit *pag.* 245. §. *Justam*.

Ordines Sacri. Vid. *Domicilium*.

Ordines Sacros conferre non tenetur Episcopus, justis concomitantibus causis *pag.* 136. §. *Ad quæstionem*.

Quia in hac parte Judicem solum habet Deum *ibid.*

Intellige tamen quando res versatur cum Promovendo ad titulum Patrimonii Sacri *ibid.*

Non aliter vero si res sit de eo, qui Beneficium obtinuit adnexos habens Ordines; tunc enim Episcopus illos conferre debet *ibid.*

Ne alias Beneficio privatus maneat *ibid.*

Concurrentibus tamen necessariis requisitis *ibid.*

Et dummodo impedimento Canonico incommodatus non sit *ibid.*

Ordinibus Sacris non insignitus Canonicus intra tempus ab Jure statutum, medietate tantum distributionum gaudet *pag.* 137. §. *Ex hoc*.

Reliqua. Vid. *Canonicus*.

P

PArentum dissensus matrimonium non reddit invalidum *pag.* 172. §. *Rursus*.

Parochiæ collationis gratia exequi quamprimùm debet, nè Ecclesia sine Sponso, & Oves sine Pastore maneant *pag.* 205. §. *Ab hoc*.

Parochiæ Matricitas Vid. *Matricitas Parochiæ*.

Parochiæ quæ nec certos fines, neque certas Domos habent, unicuique liberum est eligere Parochiam, quam lubet *pagin.* 65. §. *Quo posito*.

Alterutra verò electa per adscriptionem inibi factam, ab ea recedi amplius nequit *ibid.*

Nisi quis cum tota familia ab eà recedat, & alibi inhabitandum se conferat *ibid.* §. *Ad familiam*.

Tunc enim ex novo quæsito domicilio, sit de alia Parochia, ubi sepeliri possunt ejus filii *ibid.* & *seqq.* §. *Præoculis*.

Abnegata alteri Parocho restitutione Cadaveris *pag.* 66. *eod.* §.

Parochialis Ecclesia. Vid. *Ecclesia Parochialis*.

Parochiani, deficientibus Ecclesiæ redditibus, ac Canonicorum inopia accedente, tenentur contribuère ad expensas in reparatione Cathedralis erogandas *pag.* 103. §. *Quomodo*.

Qui si ægestate laborent ad Matrices, & viciniores Ecclesias tunc est recurrendum *ibid.*

Parochiarum divisio, & separatio fieri debet, certis limitibus, certoque Populo assignato *pag.* 99. §. *Et revera*.

Parochi moralis præsentia requiritur ad hoc, ut matrimonium validum sit *pagin.* 164. §. *Addunt*.

Idque ut intelligere valeat utriusque Contrahentis assensum *ibid.*

Quem si non intelligat, matrimonium irritum efficitur *ibid.*

Testari non valet de consensu per Contrahentes præstito *ibid.*

Parocho Ecclesiæ, in qua fundatum est Juspatronatus, spectat de Jure administratio illius bonorum *pag.* 158. §. *Ad tertium*.

Parochus domicilii potest funus explere in suos subditos *pag.* 222. §. *Ad secundum*.

Ad eumdem spectat jus administrandi Sacramenta infirmis *ibid.* §. *De Canonicis*.

Etsi contrarium nonnulli teneant *ibid.* & *seqq.* §. *Et licet*.

Prima tamen ſententia Sacr Congr. placuit *ibid.*

Item ſepelliendi Cadavera Canonicorum, ſi in eorum Eccleſia deſit Sepulchrum, vel non habeant illud Majorum *pagin.* 223. §. *Hinc etiam*.

Sin autem alterutrum adſit, tunc Parocho quarta funeralis debetur *ibid.*

Similiter tunc licèt ei benedictionem facere, antequàm ab illius Domo Corpus levetur *ibid.* §. *De functionibus*.

Ac etiam intonare Antiphonas *ibid.* & *ſeqq.* §. *Rursùs*.

Item ad illam Eccleſiam in qua ſepeliendum venit Stola indutus ſociari *pag.*224. *eod.* §.

Omnibuſque aliis præcedere *ibid.*

Et inibi Officium peragere *ibid.*

Parochus non tenetur explere funus eorum, qui non ſunt eidem ſubjecti *pag.* 222. §. *Ad ſecundum*.

Etiamſi Beneficiati ſint, ſeù Canonici *ibid.*

Parochus removeri nequit, nec a cura Animarum deiici, niſi priùs monitus ſit per citationem *pag.*85. §. *Ad primùm*.

Diffamatio ejuſdem procedens ex ore calumniantinm apta non dicitur ad illum removendum *pag.* 87. §. *Ex hiſce*.

Ac ſi remotus, ſeù dejectus tunc ſpoliatus dicitur, adeòque reintegrandus ad ſuam Eccleſiam venit *ibidem*.

Ut ejus remotio ſuſtineatur, requiritur cauſa gravis, & ſatis urgens *pag.* 85. & *ſeqq.* §. *Addit*.

Incontinentia, vel inhoneſta converſatio, vel etiam fornicatio, & concubinatus non recenſentur inter cauſas graves *pagin.*86. *eod.* §.

Sed ter moneri oportet *ibid.* §. *Deeſſe*.

Itemque parte fructuum privari oportet *ibid.*

Niſi hæc omnia ab Jure Canonico recenſita ſerventur, irrita efficitur perpetua Parochi remotio *ibid.*

Sin autem Parochus, & monitus, & fructibus privatus in malitia ſua tutpitèr, & ſcandalosè perſeveret, illicò removendus *pag.* 88. §. *Secus autem*.

Parochus reſidere tenetur in ſua Paræcia, ut ſaluti Animarum occurrere poſſit *pag.*177. & *ſeqq.* §. *Hæc*.

Eumque non excuſat aeris inclementia, vel ejus ægritudo *ibid.*

Si tamèn inibi curari facilè nequit, ſi alienigena ſit, poteſt Ordinarius eidem licentiam àd tres, vel quatuor menſes impertiri ſe conferendi in viciniori loco, gratia recuperandæ ſanitatis *ibid.*, & *pagin.*178. §. *Conſtans*.

Deligi tamen debet Vicarius, qui illius vices gerat, aſſignata decenti congrua, ex redditibus Parochiæ, ſubducenda *pagin*177., §. *Hæc*, & *pag.*178. §. *Conſtans*, & §. *Quoties*.

Parochus reſiſtere non poteſt novæ Eccleſiæ ædificationi *pag.*122. §. *Quo poſito*.

Nequidem præſidio ammiſſionis oblationum, quia, uti voluntariæ, nec inter Parochialia jura recenſitæ, aptæ non ſunt ad impediendam conſtructionem Eccleſiæ *ibidem*.

Magis ſi ejus Jura præſervata ſint *ibid.*

Pater, & Filius, quando agitur de Fidejuſſione inter ipſos præſtanda, una eademque Perſona cenſentur *pagin.* 210. §. *Videtur*.

Patroni non dicuntur, ſed Benefactores, qui ex eorum largitionibus ad Altaris erectionem contribuerunt *pag.*74. §. *Addit*.

Patrono conſenſus vel reſervatus, vel ab eo præſtitus probat Juſpatronatus in perſonis privatis, nec de uſurpatione ſuſpectis *pagin.*159. §. *Juſpatronatus in perſonis*.

Patrono datur facultas, intrà quadrimeſtre, variandi ab electione jàm facta *pagin.* 12. §. *Ulterius*.

Nec eam impedit appellatio a jam nominato interpoſita *ibid.*

Patrono ægeno, ut vitæ ſubſidia non deſint, Miſſarum onus diminui poteſt *pagin.* 58. §. *Ac ut*.

Patronus prohibetur onera, in fundatione non expreſſa, ſuperaddere *pagin.* 187. §. *Cozzius*.

Penſiones ipſo jure ammittit Clericus, qui ſæculari Militiæ nomen dedit *pagin.* 201. §. *Certum*.

Intellige ſi animum habuerit derelinquendi Eccleſiam *ibid.* §. *Nihilominùs*.

Perſonæ privatæ, nec de uſurpatione ſuſpectæ non indigent probationibus plenis, & exactis ad probandum Juſpatronatus *pag.*159. §. *Juſpatronatus in perſonis*.

Pia onera Vid. *Onera pia*.

Pietatis cauſa quidquid impenditur, repeti non poteſt *pag.*239. §. *Non levis*.

Juxta tamen varias rerum circumſtantias proceditur *ibid.* §. *Sac. Congregatio*.

Pœnitentiæ Sacramentum Vid. *Sacramentum Pœnitentiæ*.

Pontifex derogare valet Juripatronatus *pag.*189. §. *Hæc*.

Citra tamen neceſſitatem, & juſtam cauſam uti non ſolet *ibid.*

Præſertim quando agitur de admittendis reſignationibus Beneficiorum laicalium, inconſultis Patronis *ibid.*

Poſitiones abnegatæ habent omne veritatis fundamentum *pag.*172. §. *Quod ſi*.

Et reſpondente non convincto de mendacio, ſtandum eſt Poſitionibus abnegatis *ibid.*

Præcepto Ecclesiastico non satisfaciunt audientes Missas in Oratorio, seù Cappella privata Festis diebus, ultrà comprehensos in Pontificio Indulto *pag.*110. §. *Altera*.

E contrà si intervenerint ad illam audiendam in publicis Oratoriis, vel Cappellis Hospitalium *pag.*111. *eod.* §.

Præeminentia ducendi Processiones rituales denotat Matricitatem impropriam illius Ecclesiæ *pag.*249. §. *Itemque*.

Præeminentia in Stalli Choro desumitur a die receptionis in Collegium, & captæ possessionis *pag.*137., & *seqq.* §. *Quod demque*.

Præeminentiarum quæstiones, ut plurimùm, a consuetudine dirimuntur *pag.*250. §. *Quod eum*.

Maximè si diuturna sit, & per plurima sæcula observata *ibid.*

Præsentationes, quoad probationem, juris-patronatus. Vid. *Juspatronatus*.

Præsentationes non consequuntur, & de usurpatione suspectæ, juspatronatus non probant *pag.*188. & *seqq.* §. *Quoad tertium*.

Nam, deficiente fundatione requiruntur continuatæ, & quæ effectum sortitæ sint ultrà centum annos *ibid.*

Præsumptus titulus Vid. *Titulus*.

Preces, & suasiones, nisi in apertissimam violentiam redoleant, nusquàm irritare valent Matrimonium *pag.*171., & *seqq.* §. *At vero*.

Probationes non requiruntur plenæ, & exactæ ad comprobandum Juspatronatus in personis privatis, nec de usurpatione suspectis *pag.*179. §. *Juspatronatus in personis*.

Probationibus concludentibus tam in specie, quam in genere intervenientibus, reiciuntur dumæ *pag.*208. §. *Contendunt*.

Processiones rituales ducendi præeminentia denotat Matricitatem illius Ecclesiæ *pag.*249. §. *Itemque*.

Procurator unius Ecclesiæ deferre nequit Stolam in functionibus, si adit Abbas dignioris Ecclesiæ *ibid.*, & *seqq.* §. *Hi, itaque*.

Professio per vim, & metum emissa invalida est *pag.*32. §. *Transivit*.

Metum in constantem Virum cadentem, sunt levitiæ a Parentibus illatæ Filio *ibid.*, & *seqq.* §. *Ex Testibus*.

Metus hic perdurare dicitur usque, quò vitam agunt Parentes *pag.*33. *eod.* §.

Ejus tamen invaliditas proclamari nequit ab eo, qui extra Religionis claustra moram trahit *ibid.* §. *Verùm*.

Neve habitum Religionis actu induit *ibid.*

Ad eam irritandam requiruntur probationes perfectæ *ibid.* §. *Ulterius*.

Testes super illato metu examinati, inaudito, & inconsulto defensore Professionis; non attenduntur *ibid.*

Examini subiici debent Religiosi, ut animum Professi ritè rectèque argui possit *ibid.* & *seqq.* §. *Itemque*.

Proventus Ecclesiæ Vid. *Fructus Ecclesiæ*.

Puella rapta decentèr dotanda venit, arbitrio Judicis, a Raptore, sivè eam in Uxorem duxerit, sivè non *pag.*171. §. *Quo posito*.

Puellæ assensus reddit validum matrimonium, etiamsi non interveniat ille Parentum *pagin.*172. §. *Rursus*.

Puellæ in sexto gradu cum Testatore conjunctæ admittuntur ad assequutionem subsidiorum dotalium *pag.*39. §. *Agitur enim*.

Etiam conjunctæ usque ad decimum gradum *pag.*9. §. *Regula juris est*.

Multo magis si habeant requisita a Testatore optata *pag.*17. §. *Vera sunt*.

Ac res sit de spirituali conjugio *ibid.*

Contraria autem Testatoris voluntate resistente, non admittuntur ultrà quartum gradum, juxta Jus civile dimetiendum *pag.*144. §. *Adusque*, & *pag.*148. §. *Sacra Congregatio*.

Contraria resistens voluntas tunc dicitur, quando Testator Pronepotem suum exclusit *pag.*147. §. *Est insuper*.

Publizio Campanarum. Vid. *Campanarum pulsatio*.

Q

QUadrimestre gaudet Patronus variandi ab electione jam facta *pagin.* 12. §. *Ulterius*.

Quantitas certa in oneris implementum, per contractum, constabilita, integra præstanda venit, etiamsi reditus diminuti fuerint *pag.*91. §. *Sane*.

Nisi contractus manifestum præseferret iniquitatem *ibid.*

Et tunc ad æquitatem redigendus est *ibid.*

Quando verò onus non ex contractu, sed ab ultima voluntate procedit, eo casu distingui oportet inter quantitatem taxative relictam, & alteram demonstrandi gratiam designatam *ibid.* §. *At vero*.

In primo casu onus, diminutis redditibus, redigi debet *ibid.*

In altero vero hæres de proprio tenetur *ibid.*

Quotidianæ distributiones. Vid. *Distributiones quotidianæ*.

R

RAptores, ex Tridentino, sunt infames *pag.*171. §. *Quo posito*.

Et pœna jure excommunicati *ibid.*

Dignitatum incapaces *ibid.*

Si Clerici sint, a proprio gradu deiiciuntur *ibid.*

Tenentur Puellam raptam decenter dotare arbitrio Judicis, sivè eam in Uxorem duxerint, nec ne *ibid.*

Voluntaria fuga Puellæ, etiam insciis Parentibus, excludit raptum *ibid.*, *& seqq.* §. *At vero*.

Preces, & suasiones, nisi in apertissimam violentiam redoleant, nusquam irritare valent matrimonium *pag.* 172. *eod.* §.

Exclusa violentia, de raptu agi nequit *ibid.*

Raptus, juxta *Tridentinum*, est violenta abductio Feminæ de loco ad locum, matrimonii contrahendi causa *pag.*170. *& seqq.* §. *Atque hinc*.

Violenta abductio dicitur de essentia raptus *pag.* 171. *eod.* §.

Fit per physicam manuum injectionem *ibid.*

Etiam per moralem ob minas, gravemque metum Puellæ illatum *ibid.*

Hisce cessantibus, vel ea assentiente, raptus non admittitur *ibid.*

Sed admisso raptu, Matrimonium inter raptorem, & raptam non sustinetur *pag.*170. §. *Tribus*.

Magis, quando rapta in potestate raptoris manet *ibid.*

Rector fructus Ecclesiæ, demptis congruis alimentis pro sua sustentatione necessariis, erogare tenetur in Ecclesiæ decus, & Divini cultus incrementum *pagin.*207. §. *Hoc tamen*.

Fortius, quando bona acquisita sunt ex redditibus Ecclesiæ *ibid.*

Adeoque tenetur redditus convertere in restaurationem bonorum, & Ecclesiæ *pagin.*208. §. *Contendunt*.

Si redditus deficiunt, se vertere debet contra Patronos, seù Parochianos, & alios *ibid.* §. *Vel demum*,

Redditus quoties vere sint impares ad onus Missarum ferendum, toties locus est eorum reductioni *pag.*54. §. *Rector*.

Id obtinet, si diminutio obvenerit citrà culpam Beneficiati *pagin.* 151. §. *Quamobrem*.

Diminutis redditibus bonorum taxativè prò Missarum onere assignatorum, istarum reductio fieri expedit *pagin.*57. §. *Hæc instantia*.

Redditus diminuti absque Beneficiati culpa, diminuitur servitium Chori *pag.*62. §. *Ut igitur*.

Reddituum Ecclesiæ dismembratio Vid. *Dismembratio*.

Reductio Missarum. Vid. *Missarum reductio*.

Reductio piorum onerum Vid. *Onera pia*.

Reædificatio Ecclesiæ antiquæ, ex Largitionibus Fidelium, facit ammittere Jus patronatus *pag.*157. §. *Addunt*.

Regulares Sacerdotes, etiam non Parochi, administrare possunt Eucharistiam petentibus *pag.*110. §. *Inde penderet*.

Excepto, tamen, Resurrectionis die *ibid.*

Nec non, data scientia, se præcepto non satisfeciisse *ibid.*

Rèparatio Ecclesiæ. Vid. *Ecclesia*.

Reparationes Domorum ab Jure communi taxantur in quinque scutata pro singulo centenario, & anno *pagin.* 147., *& seqq.* §. *Quod verò*.

Residentia, & abessendi a Choro quandoque indulgetur, juxta Votum ordinarii *pag.*62. §. *De hac*.

Residere tenetur Parochus in sua Parœcia, ut præsto sit saluti animarum, quæ sibi creditæ sunt *pagin.* 177. *& seqq* §. *Hæc*.

Reliqua Vid. *Parochus*.

Resignare Beneficium prohibetur Beneficiatus, qui illius bona deterioravit, & in parte alienavit *pag.*187. §. *Causa*.

Fortiùs, si sit de jurepatronatus, quo casu, sinè licentia Patroni, resignatio non admittitur *ibid.*

Maximè, si resignatio fieret in alienigenum, in præjudicium Civium *ibid.*

Resignatio Beneficii liberè facta in manibus Summi Pontificis, Patronorum consensum non requirit *pagin.*188. §. *Quoad tertium*.

Sed solum de stylo, & urbanitate, non autem ex justitia *ibid.*

Rituales Processiones. Vid. *Processiones rituales*.

S

SAcerdotibus non Parochis, etiam Regularibus, Eucharistiam petentibus in Ecclesiis publicis, liberum est eam administrari *pag.* 110. §. *Inde penderet*.

Vid. *Regulares Sacerdotes*.

Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ (dempta necessitate) nemini ministrari posse in Oratorio Hospitalis, ex Rituali Romano præscriptum est *pag.*110. §. *Inde penderet*.

Subministranda solum veniunt in publicis Ecclesiis *ibid.*

Sacrificium Missæ Vid. *Missæ Sacrificium*.

Sacrum Chrisma Vid. *Chrismatis collatio*.

Sanatio. Vid. *Gratia*.

Sanatio unius suffragii non indulgetur. nisi accedat Patronorum consensus *pag.* 12. §. *Et tertio*.

Neve ejus sanationi locus est, si alter canonice electus deprehendatur *ibidem* §. *Ulteriùs*.

Sèrvitium Chori diminuitur, si absque Beneficiati culpa, redditus diminuti fuerint *pagin.62. §. Ut igitur*.

Sevitiæ Vide *Professio*.

Solutio in piam causam, repeti non potest *pagin.239. §. Non levis*.

Quia, pietatis causa, impendisse videtur *ibid.*

Juxta tamen varias rerum circumstantias proceditur *ibid.*

Stolam deferre nequit in functionibus Procurator unius Ecclesiæ, si adsit Abbas dignioris Ecclesiæ *pag.249. & seqq. §. Hi aliisque*.

Suasiones, & preces, nisi in apertissimam violentiam redoleant, nusquàm irritare valent Matrimonium *pagin.* 171., *& seqq. §. At vero*.

Subsidia dotalia. Vid. *Dotalia subsidia*.

Sumptus certi in ædificatione Ecclesiæ præscripti a Sacra Congregatione, nevè ampliari, nevè ad annos usque vigintiquinque protrahi debent *pag.205. & seqq. §. Animadvertit*.

T

TAxa pro dislocationibus Domorum ab Jure communi definita est in quinque scutata in singulis cèntum *pag.147. & seqq. §. Quod verò*.

Tempus immemorabile ad acquirendum Juspatronatus, dicitur lapsus quadraginta annorum *pag.158. & seqq. §. Juspatronatus*.

Si res sit de Personis de usurpatione non suspectis *pagin.159. eod. §.*

Territorii Ecclesiæ dismembratio Vid. *Dismembratio*.

Testatoris voluntas. Vid. *Voluntas Testatoris*.

Testatoris affectio erga suos Consanguineos, ptæsumi nequit, ultrà quartum gradum, *pag.144. §. Additque*.

Juxta Jus Civile computandum, *ibid.*, *& pag.148. §. Sac. Congregatio*.

Limitatur hæc regula, quando Testator certas Puellas aliis præferendas esse jusserit *pag.144. §. Additque*.

Cessante prælationis voto, naturalis affectio, & ordo charitatis satis non sunt ad protrahendam voluntatem Defuncti in infitum *ibidem §. Aliter*.

Præsumpta Testatoris voluntas, expressam vincere nequit *ibid.*

Exclusio Proneptis validum est argumentum pro exclusione remotiarum *pagin.147. §. Est insuper*.

Testes criminosi, pauperes, & inquisiti non admittuntur ad redarguendum Parochum de mala vitæ consuetudine *pag.86. §. Mutoque*.

Nec feminæ inhonestæ, & diffamatæ *ibid.*

Sed Testes, solùm, omni exceptione majores *ibid.*

Testes examinàti super nullitate Professionis ob illatum metum, deponere debent de vi, metuque, & conquestionibus Religiosi, durante anno probationis, non autem de tempore præcedenti, quia voluntas deinceps mutari potuit *pag.33. §. Ulteriùs*.

Examinati, non citato Defensore Professionis, non relevant, neque attenduntur *ibid. §. Verùm*.

Titulum vitiosum exhibens, ad præsumptum confugere non valet *pagin. 157. §. Addunt insuper*.

Quàndò titulus, ex Pontificio rescripto, ad examen revocari debet, tunc de possessorio, deque ultimo statu disceptandum non venit *ibidem, & seqq. §. Ad secundum*.

Translatio Legati Missarum ab una Ecclesia ad Altare alterius Ecclèsiæ, justa & necessaria non uccedente causa, nusquam admittitur *pag.253. §. In his*.

Magis in præjudicium Tertii *ibid.*

Et quando Testator certam Ecclesiam, & certum Altare designavit pro celebratione Missarum *ibid.*

Triennalis cohabitatio Vid. *Cohabitatio Triennalis*.

V

VIcario Generali directa delegatio exerceri nequit ab eo, qui tali in officio constitutus non sit *pag.29. §. Addit*.

Vicinior Ecclesia Vid. *Ecclesia vicinior*.

Violenta abductio Vid. *Abductio violenta*.

Violentia exclusa, de raptu agi nequit, *pagin.171. & seqq. §. At verò*.

Visitationes sacræ antiquæ, per Antistites expletæ, sufficiunt ad probandum Juspatronatus in Personis privatis, nec de usurpatione suspectis *pag.159. §. Juspatronatus in personis*.

Ad probandam etiam matricitatem impropriam Ecclesiæ *pag. 248., & seqq. §. Ulteriùs*.

Vitiosus titulus Vid. *Titulus vitiosus*.

Voluntaria fuga Vid. *Fuga voluntaria*.

Voluntas Testatoris præsumpta superare non debet expressam *pag. 144. §, Aliter*.

Trahi non potest in infinitum, sed contineri oportet intra limites expressæ dispositionis *ibid.*

Voluntas Testatoris, quæ aliquo modo anceps sit, non aliundè meliùs interpretari potest, quàm a subsequuta observantia, & longa consuetudine *pag.94. §. Videtur enim*.

Voluntates morientium ſtrictè ſervandæ veniunt, & numquam commutandæ *pag.*117. §. *Regula Juris eſt*.

Maxime, quando piæ ſunt *pag.*231. §. *Ex ſacro*.

Ne ex nimia facilitate declinandi ab eorum votis, retrahantur homines a diſponendo erga cauſam piam *pag.*117. §. *Regula juris eſt*.

Si, verò, onera præſcripta difficilia ſunt impleri, tunc commutantur *ibid.*, & *ſeqq.* §. *Quæ tamen*.

Vox publica, juncta longa poſſeſſione, probat Iuſpatronatus in perſonis privatis, nec de uſurpatione ſuſpectis *pag.*159. §. *Juſpatronatus in perſonis*.

Uxor, poſt contractum Matrimonium, non valet aſſerere illud ſe contraxiſſe tempore quo non erat ſanæ mentis *pagin.* 172. §. *Rursùs*.

Niſi probet actu celebrati Matrimonii eodem morbo correptam fuiſſe *pag.*173. §. *Ad dementiam*.

FINIS.



THESAURUS RESOLUTIONUM

SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. CARRARA

Prodierunt in Causis sub annum 1779.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS XLVIII.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCLXXIX.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONCILII
CONCILII



INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM
Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1779. per Diœceses dispositus.

A

ABulen. Anniversariorum 15. Maii *pag.* 41., & *seqq.*

Ariminen., & Feretrana 16., & 30. Januarii *pag.* 3. & 8.

Ariminen. Translationis Oneris Missarum 18. Septembris *pag.* 111., & *seqq*, & 27. Novembris *pag.* 122.

Asculana 6. Martii *pag.* 23., & *seqq.*, 17. Aprilis *pag.* 32., & 15. Maii *pag.* 39.

Avenionen. Restitutionis in integrum 5., & 26. Junii *pag.* 56., & *seqq.*, & 65.

B

BAlneoregien. Ecclesiæ Cathedralis 7., & 28. Augusti *pag.* 90., & *seqq.*, & 95.

Baren. Irregularitatis 5., & 26. Junii *pag.* 59., & *seqq.*, & 66. ac 17. Julii *pag.* 77.

Beneventana Dispensationis 17. Julii *pag.* 85,, & *seqq.*, 7., ac 28. Augusti *pag.* 89., & 95.

Bracharen. Reductionis Onerum 16. Januarii *pag.* 2.

Burgen. 18. Septembris *pag.* 115., & *seqq.*, & 27. Novembris pag. 122.

C

CAmerinen. Restaurationis Ecclesiæ 30. Januarii *pag.* 10., & *seqq.* 6. Martii *pag.* 16., & 18. Septembris *pag.* 110., & *seqq.*, ac 27. Novembris *pag* 121.

Civitatis Plebis 15. Maii *pag.* 40., & *seqq.*

Colonien. Dispensationis 15. Maii *pag.* 42., & *seqq.*, & 5. Junii *pag.* 51.

Cornetana 5., & 26. Junii *pag.* 62., & *seqq.*, & 66., & 17. Julii *pag.* 77.

F

FAventina Reductionis Servitii Chori, & Missarum 27. Novembris *pag.* 123., & *seqq.*

Ferentina Serviti Chori 27. Novembris *pag.* 127., & *seqq.*

Feretrana 28. Augusti *pag.* 103., & *seqq.*, & 18. Septembris *pag.* 110.

Feretrana Matrimonii 5., & 26. Junii *pag.* 52., & *seqq.*, & 65.

Firmana Emphyteusis 26. Junii *p.* 66., & *seqq.*, & 17. Julii *pag.* 77.

Firmana Translationis Cappellaniæ 6. Martii *pag.* 16., & *seqq.*, & 17. Julii *pag.* 78.

H

HOrtana Stipendii, & Liberationis a molestiis 28 Augusti *p.* 96., & *seqq.*, & 18. Septembris *p.* 109.

L

LEodien. 6. Martii *pag.* 19., & *seqq.*, 17. Aprilis *pag.* 31., 5., & 26. Junii *pag.* 52., & *seqq.*, & 65., & 7., & 28. Augusti *pag.* 89., & *seqq.*, & 95.

Leodien. Reductionis Onerum 16., & 30. Januarii *pag.* 3., & 7.

M

MAssanen. Matrimonii 16., & 30. Januarii *pag.* 4., & *seqq.*, 8., & 17. Aprilis *pag.* 32., & *seqq.*

Mediolanen. Missæ Conventualis 15. Maii *pag.* 44., & *seqq.*, & 5. Junii *pag.* 51.

N

NIcien. Oneris Missarum 27. Novembris *pag.* 130., & *seqq.*

Novarien. 17. Julii *pag.* 81., & *seqq.*, & 7. Augusti *pag.* 88., & *seqq.*

Novarien. Missæ Conventualis 26. Junii *pag.* 75., & *seqq*, & 17. Julii *pag.* 78.,

pag. 78., & 7. Augusti *pag.* 87.
Nullius, seu Nonantulana Reædificationis Ecclesiæ Parochialis 30. Januarii *pag.* 9., & 6. Martii *pag.* 16.

P

PLacentina 16. Januarii *pag.* 2.
Placentina Missæ Conventualis 18. Septembris *pag.* 116., & *seqq.*, & 27. Novembris *pag.* 122.
Placentina Nullitatis Matrimonii 17. Aprilis *pag.* 34., & *seqq.*, & 15. Maii *pag.* 40
Pontis Curvi Reædificationis, & Translationis Ecclesiæ Parochialis 16., & 30. Januarii *pag.* 5., & *seqq.*, & 8., 6. Martii *pag.* 15.
Prænestina Missæ Conventualis 6. Martii *pag.* 28., & *seqq.*, & 17. Aprilis *pag;* 32.

R

ROmana Alimentorum 7., & 28. Augusti *pag.* 91., & *seqq.*, & 96.
Romana, & Messanen. 16. Januarii *pag.* 2.
Romana Subsidii Dotalis 26. Junii *pagina* 72., & *seqq.*, 17. Julii *pag.* 78. & 7. Augusti *pag.* 87.

S

SEnogallien. 17. Aprilis *pag.* 33., & 15. Maii *pag.* 39.
Senogallien. Præeminentiarum 16., & 30. Januarii *pag.* 3., & 7., 17. Aprilis *pag.* 33., & *seqq.*, 15. Maii *pag.* 40., & 5. Junii *pag.* 51.
Spoletana, & Reatina Jubilationis 7., & 28. Augusti *p.* 93., & *seqq.*, & 96.
Sutrina Officiaturæ 18. Septembris *pagina* 119., & *seqq.*, & 27. Novembris *pag.* 122.
Sutrina Translationis 28. Augusti *pagina* 106. & *seqq*, & 18. Septembris *pag.* 110., & 27. Novembris *p.* 121.

T

TErmularum Dispensationis ab Irregularitate 28. Augusti *pag.* 98., & *seqq.*, & 18 Septembris *p.* 109.
Terracinen. 15. Maii *pag.* 47., & *seqq.*, 5. Junii *pag.* 52., 17. Julii *pag.* 78., & 7. Augusti *pag.* 88.
Treviren. Reductionis Anniversariorum 30. Januarii *pag.* 12., & *seqq.*, 6. Martii *pag.* 16., & 17. Aprilis *pag.* 31.

V

VErulana Jurispatronatus 16. Januarii *pag.* 1.
Urbinaten. Decanatus 30. Januarii *pagina* 9. & 6. Martii *pag.* 16.

FINIS.

Die Sabbathi 16. Januarii 1779. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

PRima ex ſeptem Cauſis, quas hìc ſubijcimus, in *ultima* Ampliſſimi hujus Ordinis *Congregatione* habita *die* 12. *Decembris anni nuper elapſi* dilationem obtinuit *ad hanc Congregationem*. Aliæ verò ſex, quæ ſequuntur, proponi *in eadem Congregatione* non potuerunt. Poterunt itaque Eminentiſſimi Patres ad earum ſpecies repetendas *folium ultimæ Congregationis* iterum conſulere, ut expediantur.

VERULANA JURISPATRONATUS, cujus tria ſunt Capita. *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

I. *An Eccleſia, & Cappella Beatæ Mariæ Virginis Gratiarum Fruſinonis ſit de Jurepatronatus Familiæ Molelli in caſu &c.*

II. *An conſtet de legitima verificatione Litterarum Apoſtolicarum expeditarum favore Sacerdotis Philippi Brizi in caſu &c.*

III. *An, & ad quem pertineant Bona, jura, credita, Sacra Supellectilia, & alia quæcumque data, conceſſa; & perventa ad dictam Eccleſiam, & Cappellam in caſu &c.*

Ad Primam Eccleſiam, & Cappellaniam eſſe de Jurepatronatus Scholaſticæ Quartucci. Ad II. affirmative, & amplius. Ad III. quoad proprietatem ſpectare ad Eccleſiam, adminiſtrationem verò ad Cappellanum.

Sess.25. cap.4. de Reform.

BRACHAREN. REDUCTIONIS ONERUM, in qua quæritur.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum Solemnium in casu &c.

Quoad Missas 145. de Anniversario negative. Quoad reliquas verò 89. de prima reducantur ad tot Missas lectas, quot ad rationem taxæ perpetuæ celebrari poterunt ex integra distributione assignata unicuique Missæ de prima.

Sess.22. Decret. de Observ., & evit. in celebr. Miss.

PLACENTINA, cujus Dubium est.

An sit locus suspensioni oneris Missarum, & reintegrationi Capituli pro Missis in præteritum celebratis ultra ratam fructuum perceptorum in casu &c.

Negative in omnibus.

Sess.25. cap.4. de Reform.

ROMANA, ET MESSANEN., in qua disquiritur.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Affirmativè, computato etiam redditu trium Censuum Bullarium assignatorum in Instrumento rogato die 8. Maii anni 1773. ad rationem eleemosynæ manualis, demptis Utensilibus.

LEODIEN. REDUCTIONIS ONERUM, in qua deliberandum eſt. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni onerum ni caſu &c.

SENOGALLIEN. PRÆMINENTIARUM, cujus IV. ſunt Dubia. *Seſſ. 21. cap. 4. de Reform., & Seſſ. 25. cap. 13. de Regul.*

I. *An Eccleſia Abbatialis S. Mariæ de Platea ſit Eccleſia Matrix, Major, & dignior altera Eccleſia Prioratali S. Severi in caſu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An Crux Eccleſiæ Abbatialis S. Mariæ, ejuſque Abbas debeant præcedere Cruci, & Priori ejuſdem Eccleſiæ in omnibus Proceſſionibus, & funeribus etiam in iis, quæ initium habent ab Eccleſia S. Severi in caſu &c.*

III. *An in Proceſſionibus, aliiſque Eccleſiaſticis Functionibus Crux Eccleſiæ S. Severini deferri debeat cum Pallio, ſeu velamine ad inſtar Regularium in caſu &c.*

IV. *An licent Priori S. Severini in Proceſſionibus, & funeribus, in quibus functiones non agit, deferre Stolam à Collo pendentem, vel in brachio in caſu &c.*

ARIMINEN., ET FERETRANA, cujus unum Caput eſt. *Seſſ 22. cap. 6. de Reform.*

An ſit locus translationi Legati Miſſarum ab Eccleſia conſtruenda in Agro Montis Florum ad Altare S. Petri Eccleſiæ Collegiatæ S. Agathæ, & reſpectivè erogationi ſummæ pro dicta Eccleſia relictæ pro fabrica præfatæ Eccleſiæ Collegiatæ in caſu &c.

Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

MASSANEN. MATRIMONII. Hæc Cauſa ſuperiori anno propoſita fuit in hoc Sacro Tribunali, ut in inferiori loco dicemus. Summa illius ſpeciei hæc eſt. Die 25. Januarii 1770. Catharina Cipolli nupſit Antonio Caſabianchi. Hoc Matrimonium, attenta Catharinæ impotentia ad illius conſumationem, prævio formali examine, ſervata forma Benedictinæ Conſtitutionis, tùm ipſorum Conjugum, tùm Peritorum ex ejuſdem Catharinæ Corporis facta recognitione deponentium de illius perpetua, nec ope Medicamentorum, nec per media licita, & ordinaria vincibili coeundi inhabilitate, diſſolutum fuit per Sententiam Curiæ Eccleſiaſticæ Maſſæ ſubinde confirmatam à Metropolitano Senarum, in qua poteſtas facta eſt Antonio tranſeundi ad alia vota cum Muliere ſibi beneviſa, prohibitum tamen fuit Catharinæ, ne aliud Matrimonium cum quovis viro contraheret,

Diſſoluto igitur antedicto Matrimonio, Antonius aliud Matrimonium in faciem Eccleſiæ celebravit cum Barbara Cecchini, à qua filios etiam ſuſcepit,

Poſt hæc præfata Catharina prima inutilis Conjux Antonii illicitis, damnatis, extraordinariiſque mediis potens Viro fuit effecta. Quæſitum enim fuit *in Congregatione diei 24. Januarii mox elapſi anni* 1778. utrum primum Matrimonium contractum Catharinam inter, & Antonium reintegrari deberet.

Quæ facti, & quæ juris Canonici ſunt, latiſſimè fuerunt expoſita *in Folio* tunc diſtributo. Tria propoſita fuerunt Dubia quæſtionem omnem complectentia = I. *An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu* = & quatenus negative = II. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione ſuper Matrimonio rato, & non conſumato in caſu &c.* = & quatenus affirmative = III. *An liceat Catharinæ Cipolli aliud contrahere Matrimonium in caſu &c.* = quibus omnibus, audito dumtaxat Defenſore primi Matrimonii illius reintegrationem poſtulante, Sacrum Tribunal *ea ipſa die 24. Januarii* reſpondit *Negative*.

Verum cum ex notiſſima Conſtitutione ſa. mem. Benedicti XIV. præſcriptum fuerit, dandum eſſe Defenſorem cuilibet Matrimonio, quoties de illius nullitate, ſeu diſſolutione diſceptari contingat, cumque in prædicta propoſitione hujus Sacræ Congregationis a nemine patrocinata fuerint jura fecundi Matrimonii ex vi duarum conformium Sententiarum Antonium inter, & Barbaram

ram celebrati, hinc *SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER* præ animi sui clementia, & zelo intentus Fidelium bono, Animarumque saluti mandavit, ut daretur etiam Defensor huic secundo Matrimonio, eoque etiam audito, Causa in hoc Sacro Tribunali reproponeretur. Mandata Clementissimi Principis obtemperata fuerunt. Datus quippe fuit Defensor secundo Matrimonio. Causa nunc reproponitur circumferendis allegationibus ab utriusque Matrimonii Defensore. Poterunt igitur Eminentissimi PP., *repetita lectione folii supradictæ Congregationis diei* 24. *Januarii* 1778., simulque perpensis juribus, quæ hinc inde modò afferuntur, cognoscere.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

PONTIS CURVI REÆDIFICATIONIS, ET TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Hujus quoque Causæ species expositа fuit *in Folio Congregationis* habitæ *die* 9. *Augusti* 1777., in qua proponi non potuit: In sequenti verò *Congregatione diei* 13. *mensis Septembris* rescriptum fuit = *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem* = Datis litteris Episcopo, ejusque nova relatione transmissa ad hanc Sacram Congregationem, iterum Causa repropositа fuit *in Folio Congregationis diei* 27. *Junii superioris anni*, rescriptumque fuit *in subsequenti Congregatione* habita *die* 18. *Julii*, attenta Suffragiorum paritate = *iterum proponatur* = Redit nunc ad novum Eminentissimorum Patrum judicium hæc Causa novis illustrata juribus, & documentis legendis in libello pro parte Collegii Doctrinæ Christianæ circumferendo. Quid autem dicturi sint Parochiani Ecclesiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli penitus ignoratur, cum nullum Jurium libellum ab eis hactenus habuerimus: Munus tamen erit Eminentissimorum Patrum, *repetita lectione Foliorum dictarum Congregatio-*

Sess. 21. *cap.* 7. *de Reform.*

gationum diei 9. *Auguſti* 1777., *& diei* 27. *Junii* 1778. quinque ſequentia Dubia, ut juris eſſe putabunt, definiendi.

I. *An ſit locus reædificationi, & ampliationi Eccleſiæ Parochialis S. Michaelis Arcangeli, ſive potius illius reſtaurationi in caſu &c.* = & quatenus, affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam.

II. *An reædificanda ſit in eodem ſitu, ſeu potius transferenda ad aliam prope Collegium Doctrinæ Chriſtianæ in caſu &c.* = & quatenus negative ad primam partem, affirmativè ad ſecundam.

III. *An liceat vendere ſitum antiquæ Eccleſiæ ad effectum erogandi pretium in conſtructionem novæ Eccleſiæ in caſu &c.*

IV. *An, & cujus expenſis novæ Eccleſiæ ædificatio, aut antiquæ reſtauratio facienda ſit in caſu &c.* = & quatenus Parochianorum.

V. *An ſit imponenda taxa, ſeu Collecta, & quomodo in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 30. Januarii 1779. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUinque primæ, quas ordine ſuo ſubijcimus, Cauſæ in poſtrema Ampliſſimi Ordinis *Congregatione* habita *die 16. hujus menſis* proponi non potuerunt. Rogantut igitur Eminentiſſimi Patres, ut repetita lectione *Folii ejuſdem Congregationis*, eas, ut juris eſſe cenſuerint, definiant.

LEODIEN. REDUCTIONIS ONERUM, in qua deliberandum eſt. *Seſs. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni onerum in caſu &c.

Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta Inſtructionem.

SENOGALLIEN. PRÆEMINENTIARUM, cujus Dubia IV. ſunt. *Seſs. 21. cap. 4. de Reform., & Seſs. 25. cap. 13. de Regul.*

I. *An Eccleſia Abbatialis S. Mariæ de Platea ſit Eccleſia Matrix, Major, & dignior altera Eccleſia Priorali S. Severi in caſu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An Crux Eccleſiæ Abbatialis S. Mariæ, ejuſque Abbas debeant præcedere Cruci, & Priori ejuſdem Eccleſiæ in omnibus Proceſſionibus, & funeribus etiam in iis, quæ initium habent ab Eccleſia S. Severi in caſu &c.*

III. *An in Proceſſionibus, aliiſque Eccleſiaſticis Functionibus Crux Eccleſiæ S. Severi deferri debeat cum Pallio, ſeu velamine ad inſtar Regularium in caſu &c.*

IV. *An liceat Priori S. Severi in Proceſſionibus, & funeribus, in quibus functiones non agit, deferre Stolam à Collo pendentem, vel in brachio in caſu &c.*

Ad I. Affirmative quoad Actus præeminentiales tantum; Ad II., & III. Affirmative, ad IV. negativè.

ARI-

Sess.22. cap.6. de Reform.

ARIMINEN., ET FERETRANA, in qua ambigitur.

An sit locus translationi Legati Missarum ab Ecclesia construenda in Agro Montis Florum ad Altare S. Petri Ecclesiæ Collegiatæ S. Agathæ, & respectivè erogationi summæ pro dicta Ecclesia relictæ pro fabrica præfatæ Ecclesiæ Collegiatæ in casu &c.

Negative in omnibus, & scuta centum relicta pro ædificatione Ecclesiæ esse eroganda Ecclesiæ S. Fælicis arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo.

Sess. 24. cap.1. de Reform.Matrim.

MASSANEN. MATRIMONII, cujus Caput est. *An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.*

Consulendum SSmo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consumati. In reliquis satis provisum.

PONTIS CURVI REÆDIFICATIONIS, ET TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS, cujus V. sunt Dubia.

I. *An sit locus reædificationi, & ampliationi Ecclesiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli, sive potius illius restaurationi in casu &c.* = & quatenus affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.

II. *An reædificanda sit in eodem situ, seu potius transferenda ad aliam prope Collegium Doctrinæ Christianæ in casu &c.* =, & quatenus negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.

III. *An liceat vendere situm antiquæ Ecclesiæ ad effectum erogandi pretium in constructionem novæ Ecclesiæ in casu &c.*

IV. *An, & cujus expensis novæ Ecclesiæ ædificatio, aut antiquæ restauratio facienda sit in casu &c.* =, & quatenus Parochianorum.

V. *An sit imponenda taxa, seu Collecta, & quomodo in casu &c.*

NUL-

NULLIUS, SEU NONANTULANA REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Data fuit hæc Causa *in Folio Congregationis* habitæ *die* 16. *Maij nuper elapsi anni* 1778., Dubioque, quod propositum fuit = *An, & quomodo sit locus reædificationi Ecclesiæ Parochialis in casu &c.* = respondit Sacrum Tribunal = *Affirmative ad primam partem, quò verò ad secundam ad mentem per D. Secretarium Eminentissimo Abbati communicandam* = Hanc igitur tria Capita complectentem relativè ad modum, sumptus, eorumque quantitatem pro reędificanda Ecclesia Parochiali necessariam, ut par est, communicavi Emo Abbati, qui menti Sacræ Congregationis, omnibusque requisitis abundè satisfeciisse videtur in ejus postrema relatione, quæ unàcum altera Vicarii Generalis Nonantulæ, nec non cum relatione Periti Architecti, ac etiam cum oblationibus Decurionum Oppidi Crevalcorii pro ejus Populo in genere, & cum aliis Oblationibus in specie factis à nonnullis piis Benefactoribus, & præsertim à Societatibus in eodem Oppido existentibus, legenda est in Summario à Præposito circumferendo. Nunc itaque de modo dumtaxat reædificandi Parochialem Ecclesiam agendum est, & respondendum.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

An quomodo sit reædificanda Ecclesia Parochialis in casu &c.

URBINATEN. DECANATUS, Species hujus Causæ repetenda est ex *Folio Congregat.* habitæ *die* 19. *Septembris superioris anni* 1778.. Dilata fuit ea die Dubii definitio, sed *in sequenti Congregatione diei* 21. *mensis Novembris* iterum proposita Causa, Dubio, quod erat = *An, & in cujus personam sit facienda electio ad Decanatum Ecclesiæ Metropolitanæ Urbini in casu &c.* = responderunt Amplissimi Patres = *Electionem esse faciendam in personam Canonici Joannis Francisci Rosa* = Hanc definitionem retractari postulat Canonicus Joannes Carolus Valbonetti, ideoque nunc erit expediendum.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

An sit standum, vel recedendum à Decisis in casu &c.

Seſſ.21. cap. 7. de Reform.

CAMERINEN. RESTAURATIONIS ECCLESIÆ.

Barnabas Benigni Camers propriis ſumptibus in Villa *di Seano* nuncupata Camerinen. Diæceſis ruralem ædificavit Eccleſiam B. M. Virgini in Cælum Aſſumptæ dicatam. Die 26. Maii 1684. præfatus Barnabas emit quatuor Loca cum dimidio alterius Loci Montis Fidei in faciem, & creditum dictæ Eccleſiæ per ipſum ædificatæ, ſibi tamen reſervavit, donec vixerit, liberam poteſtatem de iiſdem Locis diſponendi, & quatenus de illis non diſpoſuiſſet cum lege in patentalibus Litteris expreſſa, quòd eadem Loca Montium cum dimidio = *ſemper, & perpetuo ſtare debeant vinculata, & obligata ad favorem dictæ Ven. Eccleſiæ, & Cappellæ pro dote, & Fundo, ac perpetua manutentione ejuſdem Eccleſiæ, & Cappellæ* = Die verò 31. ejuſdem menſis Maij dictus Barnabas Teſtamentum condidit, quo juſſit, fructus dictorum Locorum Montium = *ſi diano al Cappellano pro tempore di detta Chieſa dà nominarſi dà me, e dall'infraſcritto mio Erede* = onere eidem indicto = *che vi celebri tutte le Feſte di precetto per beneficio di quel Popolo* = quòdque hæres ejus proprietarius = *debba mantenere detta Chieſa di Supelletili neceſſarie*.

Quia verò fructus dictorum Locorum Montium impares erant ad ferendum onus à Fundatore præfinitum, hinc Sacra Congregatio *ſub die* 15. *Novembris* 1710. ad preces Jacobi Benigni Eccleſiæ Patroni Miſſarum onus juxta proportionatam reddituum quantitatem ad rationem eleemoſynæ manualis, inſpecto Regionis more, reduxit: Noviſque precibus ab ipſo Jacobo porrectis, in quibus narratum fuerat, eleemoſynam manualem julii dumtaxat unius imparem eſſe ad implendum præſcriptum onus, propterea quòd ruralis Eccleſia, in qua erant celebranda Sacra, per quinque milliaria diſtabat à Civitate Camerini, idcircò hæc Sacra Congregatio *ſub die* 8. *Auguſti* 1711. commiſit Epiſcopo Camerinenſi, ut Miſſas taxaret *ad rationem eleemoſynæ manualis, habito reſpectu ad iter* =; vi cujus idem Epiſcopus Decreto ſuo Miſſes ad rationem juliorum trium pro earum qualibet impoſterum celebrandas eſſe mandavit.

Hunc autem cum antedicta Eccleſia proximam minetur ruinam, cumque ad eam reparandam juxta Peritorum judicium neceſſaria ſit expenſa ſcutorum vigintiquatuor, & obulorum triginta, ſupplex proinde fuit penes hanc Sacram Congregationem Barnabas Benigni Cappellanus

pro

pro ſuſpenſione celebrationis Miſſarum, donec ex fructibus Locorum Montium conflata fuerit quantitas dictorum ſcutorum 24. 30. in reſtaurationem Eccleſiæ eroganda.

Auditus de more fuit Camerinenſis Antiſtes, qui retulit, neceſſitatem Eccleſiæ ſubſiſtere; Homines tamen in ſupradicta Villa Seani ſparſim commorantes, ac in totum quinque tàntum Familias efformantes diſſentire petitioni Cappellani, ne priventur commodo diebus feſtis de præcepto audiendi Sacrum in dicta rurali Eccleſia; Patronum verò, & præſertim Parochum *Brondoleti*, intra cujus Paræciæ ambitum ſiſtit reſtauranda Eccleſia, petitæ ſuſpenſioni Miſſarum aſſentiri, concluditque his verbis = *Cùm ergo ſatis clara ſit diſpoſitio, & voluntas pii Inſtitutoris in cedendis. & reſignandis dictis Locis Montium pro ejuſdem Eccleſiæ manutentione, cenſeo annuendum eſſe precibus Oratoris.*

Preces modò renovat Benignius Cappellanus, ſuſtinetque, Miſſarum celebrationem eſſe intermittendam, quouſque Eccleſia reſtaurata fuerit cum fructibus Locorum Montium ex duplici ratione, prima ſcilicèt elicita ex mente, & voluntate Fundatoris, qui cum Loca Montium aſſignaſſet = *pro dote, & fundo, ac perpetua manutentione ejuſdem Eccleſiæ, & Cappellæ* =, ſubindeque condito Teſtamento præcepiſſet, fructus Locorum Montium tradi debere Cappellano, ut in eadem Eccleſia = *vi celebri tutte le Feſte di precetto per beneficio di quel Popolo* = videtur, voluntatem Fundatoris fuiſſe primo loco providendi Eccleſiam de ejus perpetua manutentione, ſecundo verò loco de Miſſarum celebratione pro adjacentis Populi commoditate, *cap.* 10. *quæſt.* 3. *cap.* 17. *qu.* 2., *Anoſtaz. de Cauſ. piis lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 17.

Altera ratio eſt, quòd cum aſſignatio Locorum Montium facta fuerit per modum *taxativæ* aſſignationis dotis, onere duntaxat hæredi Fundatoris indicto manutenendi Eccleſiam de Sacris Supellectilibus, cumque fructus Locorum Montium, qui tunc erant ad rationem ſcutorum quatuor pro quolibet, proindeque fortaſſe pares pro utriuſque oneris implemento, manutentionis ſcilicet Eccleſiæ, & Miſſarum celebrationis, nunc, attenta reductione fructuum Locorum Montium ad rationem annuorum ſcutorum trium pro quolibet Loco, ſatis amplius non ſint pro utroque onere ferendo, jus exigere videatur, ut, ad tempus intermiſſa Miſſarum celebratione,

fructus Locorum Montium interim erogentur in urgentem Ecclesiæ restaurationem, ut in simillimo casu definivit hæc Sacra Congregatio *in Interamnen.* 29. *Novembris* 1777.

Ponderandum tamen est, utrum concurrente insufficientia reddituum Ecclesiæ pro illius manutentione, & præsertim in hoc casu minantis ruinæ, adigendus nec ne sit Patronus ad illius reparationem; Nam præcipit Sancta Synodus *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.* ibi = *qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt* = & ratio est, quia Patronum inter, & Ecclesiam reciproca est obligatio. Quemadmodum enim Ecclesia Patrono præbet jus honorificum, & præsentandi Rectorem, eidemque suppeditat alimenta, quatenùs vergat ad inopiam, ita pariter Patronus etiamsi nullos ex Ecclesia fructus percipiat, tenetur succurrere Ecclesiam pro ejus reparatione, quoties eadem Ecclesia propter suam inopiam per se ipsam suis expensis reparari non possit, veluti firmat *Amostaz de cauf. piis lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 20. *cum plurib. seqq.*, & *Rota coram Falconer. de Jurepatr. decis.* 33. *num.* 10. cum aliis inibi cumulatis.

Quibus maturè perpensis, examinandum erit, ac definiendum.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

TREVIREN. REDUCTIONIS ANNIVERSARIORUM. Pervetustis temporibus plurima erant Anniversariorum onera à Capitulo, & Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ S. Paulini propè Treviros implenda. Successivis inde temporibus ob infortunia, Bella, incendia, aliasque calamitates Archivium Capitulare deperiit, ob idque nulla amplius de Fundatoribus, eorumque hæredibus, nulla de Testamentis, nulla de Bonis pro unoquoque celebrando Anniversario relictis, nulla demùm de ipsorum Bonorum fructibus, seu redditibus haberi potuit notitia. Extat tamen fragmentum, sive informe Regestrum dictorum onerum sine die, & consule, & absque illius subscriptione à Canonicis post passus calamitates tunc existentibus efformatum, & in tres Classes divi-

diviſum, quarum in prima adnotata leguntur Anniverſaria cum ſtipendio duorum Imperialium, & duodecim Alborum pro quolibet: In ſecunda verò Claſſe alia plurima ſcripta fuerunt Anniverſaria minori ſtipendio illo duorum Imperialium, & Alborum duodecim. In tertia demùm Claſſe alia ſunt, & quidem plurima celebranda Anniverſaria ſine ullo vel minimo ſtipendio notata, id, quod in cauſa fuit, ut à Canonicis Anniverſaria quandoque celebrata, & quandoque prætermiſſa fuerint.

Conſcientiæ ſtimulis excitati moderni Decanus, & Canonici dictæ Collegiatæ Eccleſiæ id conſilii cęperunt in Capitularibus habitis Comitiis, quòd Anniverſaria primæ Claſſis, quæ notatum habent ſtipendium duorum Imperialium, & Alborum duodecim, religioſè celebrentur: Illa verò ſecundæ Claſſis adnotata minori ſtipendio, hoc in unum coacervato, ex eo tot celebrentur Anniverſaria ad rationem duorum Imperialium, & duodecim Alborum pro quolibet. Reliqua verò tertiæ Claſſis, pro quibus nullum fuit ſtipendium, quòd pro iis omnibus ſatisfactum cenſeatur per lectionem unius dumtaxàt Miſſæ privatæ.

Pro confirmatione, & approbatione hujus Capitularis reſolutionis, ſive Decreti iidem Decanus, & Canonici preces porrexerunt Summo Noſtro Pontifici, qui preces ipſas ablegavit ad hanc Sacram Congregationem. Datæ fuerunt Litteræ *Nuncio Apoſtolico ad Tractum Rheni pro Informatione, & Voto, auditis omnibus intereſſe habentibus ſuper ſingulis Anniverſariis*, utque referret *de congruitate eleemoſynæ tam pro Miſſis, quàm pro Anniverſariis, & an Fundi, & cujus culpa deteriores effecti ſint, & an competat, & experibilis ſit actio pro illorum reintegratione adverſus eos, qui damnum dederunt, aut ad ſupplementum tenentur*.

Super his omnibus Nuntius Apoſtolicus requiſivit Suffraganeum Trevirenſem, & Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ S Paulini, quorum reſponſa tranſmiſit ad hanc Sacram Congregationem. Ex his enim eruitur, nullam, attenta Capitularis Archivii combuſtione, haberi, nec haberi poſſe ſcientiam de Fundis, ſeu Capitalibus pro unoquoque Anniverſario aſſignatis, nullamque actionem eſſe exercibilem =, *quia nec fundus, nec Perſonæ ſunt reperibiles, aut cognoſcendæ tùm ob nimiam temporis antiquitatem, attento quòd illa Anniverſaria jam à duobus, à tribus, imo à quatuor, & ultra Sæculis fundata fuerint, tùm*

tùm ex ratione, quòd Documenta tempore Belli fuerint combuſta, nec illorum extet memoria =.

Ex relatione verò Suffraganei Trevirenſis habetur, honorarium Miſſæ privatæ = *nec tenujus eſſe poſſe, quàm duodecim Alborum, Miſſæ ſolemnis cum vigiliis, & Octodecim Aſſiſtentium, quàm duorum Imperialium, & duodecim Alborum, & Miſſæ Solemnis cum Vigiliis celebratione ſingulorum de Choro, illorumque aſſiſtentia, quàm ſex Imperialium* = ſuumque ſenſum aperiens ait, eſſe = *præmiſſam reductionem æquitati conſonam, proinde nihil obſtare quominus præmiſſum reſolutum Capitulare Auctoritate Apoſtolica muniatur* = Ac demùm prò majori intelligentia monetarum Trevirenſium ſubditur =, *quòd nonaginta Albi monetæ illarum partium conficiunt in moneta Romana ſcutum unum, ſic quilibet Albus parum pluris obulo in moneta Romana conficit; Scutum verò Trevirenſe, vel uti nominatur Imperialis conficit quinquaginta quatuor Albos.*

Hæc omnia ablegata fuerunt *ad Eminentiſſimum D. Card. De Zelada, qui dignetur rem perpendere, Sacram Congregationem inſtructam reddere, & votum ſuum aperire.* Is in voto fuit his verbis = *Profecto in tanta rerum obſcuritate, deficientibus omnino fundationum notitiis, & Fundatorum Bonis, nulla melior, aut magis certa regula conſtitui valet, nec certum de Anniverſariorum, aut Miſſarum quantitate, & numero, aut celebrationis modo proferri poteſt judicium. Id tamèn advertendum arbitror, ut quæcumque SSmo Domino Noſtro hac ſuper re decernere placuerit, id Suprema ſua auctoritate ex gratia impertiatnr, ita quidem, ut reformatis precibus, reductio ad formam Tabellæ efflagitetur.*

His in facto notatis; quid autem juris ſit, perpenſa tenuitate ſtipendii pro quolibet Anniverſario, duorum ſcilicet Imperialium, & duodecim Alborum efformantium ſcutum unum cum tribus juliis circiter monetæ Romanæ inter quatuordecim Canonicos, & quatuor Vicarios partiendum, perpenſoque pariter gravamine Capituli celebrandi Anniverſaria ſecundæ Claſſis minori ſtipendio, & nullius quoad illa tertiæ Claſſis, pertinet ad EE. VV. cognoſcere, ac definire.

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 6. Martii 1779. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUinque mox ſubiiciendæ Cauſæ deſcriptæ quoque fuerunt *in Folio Congregationis* habitæ *die* 30. *Januarii proximè præteriti*; Sed eis proponendi locum non reliquit aliarum Cautarum diſcuſſio. Placeat itaque Eminentiis VV., *reſumpto poſtremo Folio*, nunc earum examen aggredi, ut quidquid juſtitiæ ratio in iis poſtulaverit, decernatur.

PONTIS CURVI REÆDIFICATIONIS, ET TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS, cujus V. ſunt Capita. *Seſſ.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

I. *An ſit locus reædificationi, & ampliationi Eccleſiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli, ſive potius illius reſtaurationi in caſu &c.* = & quatenus affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam.

II. *An reædificanda ſit in eodem ſitu, ſeu potius transferenda ad aliam prope Collegium Doctrinæ Chriſtianæ in caſu &c.* =, & quatenus negativè ad primam partem, affirmativè ad ſecundam.

III. *An liceat vendere ſitum antiquæ Eccleſiæ ad effectum erogandi pretium in conſtructionem novæ Eccleſiæ in caſu &c.*

IV. *An, & cujus expenſis novæ Eccleſiæ ædificatio, aut antiquæ reſtauratio facienda ſit in caſu &c.* =, & quatenus Parochianorum.

V. *An ſit imponenda taxa, ſeu Collecta, & quomodo in caſu &c.*

Ad I. affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam. Ad II. negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam. Ad III. affirmative cum ſolitis clauſulis, & amplius, Ad IV., & V. affirmative in omnibus juxta votum Epiſcopi.

NUL-

Seſſ. 21. cap. 7. de Reform.

NULLIUS, SEU NONANTULANA REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS, in qua diſquiritur.

An, & quomodo ſit reædificanda Eccleſia Parochialis in caſu &c.

Affirmative juxta votum Emi Abbatis Commendatarii cum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis.

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

URBINATEN. DECANATUS, in qua reſpondendum eſt.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

In Deciſis, & amplius.

Seſſ. 21. cap. 7. de Reform.

CAMERINEN. RESTAURATIONIS ECCLESIÆ, cujus unum eſt Dubium.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Dilata, & proponatur, citato Patrono.

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

TREVIREN. REDUCTIONIS ANNIVERSARIORUM, in qua quæritur.

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Non propoſita cum ſequentibus.

Seſſ. 21. cap. 7. de Reform.

FIRMANA TRANSLATIONIS CAPPELLANIÆ. Jacobus Philippus Concetti Oppidi S. Juſti Firmanæ Diæceſis anno 1738. condito Teſtamento prævia aſſignatione Capitalis ſcutorum quingentorum, inſtituit Cappellaniam merè laicalem certo præſcripto numero Miſſarum à Cappellano tam ab ipſo Teſtatore nominato, quàm ab aliis à ſuis Executoribus Teſtamentariis nominandis celebrandarum in rurali Eccleſia S. Mariæ *delle Gra-*

Grazie nuncupata, cujus Patroni ſunt Fratres de Robertis: Executores verò Teſtamentarios elegit Priorem pro tempore Eccleſiæ S. Stephani, nec non Præpoſitum Eccleſiæ S. Mariæ, ac demum Sacerdotem Decanum Oppidi S. Juſti, quos etiam Judices conſtituit ſuper omnibus controverſiis, quæ contingere poſſent ſuper executione ſuæ voluntatis.

Hanc Cappellaniam adhuc poſſidet Sacerdos Georgeus Bonaguerra ex eodem Oppido S. Juſti à Teſtatore nominatus, quem inter, & Fratres de Robertis antedictæ ruralis Eccleſiæ Patronos plures, & aſſiduæ exarſerunt controverſiæ, vel propter Eccleſiæ clavem illi celebraturo modò denegatam, modòque ejuſdem clavis traditionem plus æquo, & ſtudiosè dilatam, vel propter petitam per eoſdem Fratres præter juſtitiam quaſi redditionem rationis ſuper Miſſarum adimplemento, & Supellectilium confectione. Has controverſias diremit Tranſactio inter Cappellanum, & Eccleſiæ Patronos, inauditis tamen, & inconſultis Executoribus Teſtamentariis celebrata ſub die 19. Decembris 1763., ſubindeque ſub die 28. Septembris 1765. confirmata, approbataque ab hac Sacra Congregatione.

Aſt quia Concordiæ pacta adverſabantur menti, & voluntati Inſtitutoris Cappellaniæ, factum hinc eſt, quòd utraque Pars ab illius obſervantia reſiliit, Executores Teſtamentarii nunquam eam ratam habuerunt, demùmque fuerunt nova jurgia, novaque diſſidia excitata, vi quorum Miſſarum celebratio, attento Patronorum Eccleſiæ diſſenſu, intermiſſa fuit.

Ut omnes amputaret quæſtiones Cappellanus ſupplex fuit penes hanc Sacram Congregationem pro Cappellaniæ cum ſuis oneribus translatione à præfata rurali ad aliam deſignandam Eccleſiam. Requiſitus fuit Vicarius Capitularis, qui, omnibus intereſſe habentibus auditis, ſemel, ac iterum ſuperius expreſſa confirmat, & Oratoris Votis adhæret. Ex illius Informatione, & ex tranſmiſſis Documentis habetur, Fratres Roberti ruralis Eccleſiæ Patronos in ſcriptis declaraſſe, nolle patientiam præſtare pro Miſſarum celebratione in eorum Eccleſia, ideoque petitæ translationi libenter aſſentiri, eidemque pariter aſſentiri Executores Teſtamentarios ad ulteriora jurgia vitanda. Concluditque Vicarius Capitularis, quòd = *Eccleſia ad hæc onera excipienda apta videtur*

tur illa , quæ Præpoſituralis eſt intra Oppidum , & Mariæ Virgini dicata .

Sacra Congregatio ſemper cautè proceſſit in hujus generis translationibus concedendis , pro quibus modò in negativam , ac modò in affirmativam abivit Sententiam . Eam enim multoties denegavit , quoties juſta , rationabilis , vel neceſſaria translationis cauſa minimè concurrat , ut *in Regien.* 5. *Auguſti* 1729. , *in Romana Translationis Onerum Miſſarum* 28. *Julii* 1731. , *in Ariminen. Translationis Cappellaniæ* 20. *Decembris* 1732. , *in Neapolitana Commutationis Voluntatis* 7. *Februarii* 1733. , *in Panormitana Translationis Oneris Miſſarum* 26. *Februarii* 1739. , *& in Vicen. Translationis Oneris Miſſarum* 19. *Aprilis* 1766. , præſertim ſi Teſtator certam Eccleſiam præſcripſerit pro Miſſarum celebratione ; nam eo caſu difficilius translatio conceditur , *Ricc. in prax. part.* 4. *reſolut.* 69. *per tot.*; *March. de Sacr. Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 24. *num.* 2. , *& Pax. Jordan. tom.* 1. *var. reſol. lib.* 4. *tract.* 1. *de Sacrif. Miſs. num.* 540.

E' converſo eadem Sacra Congregatio translationem ſæpe ſæpius conceſſit in caſu , quo juſta , rationabilis , vel neceſſaria cauſa id poſtulaverit , viden. *Placentina Commutationis Voluntatis anni* 1714. , *Piſcien. Commutationis Voluntatis* 21. *Junii* 1721. , *Bononien. ad I. Dubium* 28. *Junii* 1724. , *Melevitana Seminarii* 29. *Julii* 1725. , *Pacten. Confraternitatis* 5. *Junii* 1734. , *Caſſanen.* 26. *Novembris* 1763. , *& Comen. Translationis Miſſarum* 24. *Novembris* 1764. , quemadmodum juſta, & rationabili urgente cauſa , locum eſſe translationi declaravit Sacrum Concilium Tridentinum *Seſs.* 21. *cap.* 7. *de Reform.* , ſancivitque *Text. in cap. Expoſuiſti* 33. *de Præben.*, *& Dignit.*, ibique *Barboſ. per tot.* , *& Rot. deciſ.* 253. *num.* 3. *coram Ratto* .

Porrò pro juſta , & rationabili translationis cauſa Doctores conſiderant nedum conſenſum præſtitum ab iis , quorum intereſt , ne translatio fiat , nimirum ab Executoribus Teſtamentariis , & ab hodierno Cappellano ratione redimendi jurgia , diſſidia , & controverſias adhuc vigentes *Vivian. de Jurepatr. part.* 3. *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 4. , *& ſeq.* , *& Rot. coram. Criſp. deciſ.* 318. *num.* 8. , ſed etiam conſenſum præſtitum ab Epiſcopo *Cap. non mediocriter verſ. dum agitur de Conſerv. Eccleſ.* , *Abbas in conſil.* 99. *num.* 5. , *Enriquez in Summario lib.* 9. *cap.* 22. *n.* 6. ,

Rot.

Rot. coram Coccin. decis. 1522. *num.* 5. , *& coram Molin. decis.* 419. *num.* 14.

Fortius quia explicitus concurrit Patronorum Ecclesiæ dissensus, ut in eorum rurali Ecclesia Cappellaniæ Sacra celebrentur, nec iidem compelli possunt, ut patientiam præstent pro Missarum celebratione in eorum Ecclesia, ideoque locum esse petitæ translationi ad aliam Ecclesiam ab Episcopo designandam resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione *in Papien. Oneris Missarum diei* 12. *Decembris* 1733. *quoad II. Dubium* sequentibus verbis conceptum = *An dicti PP. teneantur præstare patientiam pro celebratione dict. Missæ , soluta eisdem subventione pro utensilibus , sive potius sit locus translationi dict. Missæ ad aliam Ecclesiam arbitrio hæredis in casu &c.* = cui responsum fuit = *Ad secundum negative ad primam partem, quò verò ad secundam affirmative ad aliam Ecclesiam designandam ab Episcopo* .

Hæc à Cappellano . Pertinet nunc ad EE. VV. sapientissimè definire .

An , & quomodo sit locus translationi in casu &c.

LEODIEN. Pro quarta vice redit ad rectissimum Eminentiarum VV. judicium hæc Causa inter Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Pauli Leodii , & Carolum Theodorum de Diffuii ejusdem Ecclesiæ Canonicum . Inter Capitularia Statuta Decretum adest conditum *die* 21. *Januarii* 1628. , & usque ad hodierna tempora religiosissime observatum , quo præscribitur = *pecunias ex venditione Arborum , & Lignorum , & Glandium ex Sylvis , suis , nec non ex Vinis Stutorum Terrarum suarum quotannis proventuras , scilicet illas fore distribuendas inter solos DD. Capitulares ad secundam residentiam admissos , ac plenos fructus facientes pro residentibus habitos pro rata fructuum pro eis factorum incipiendo à prima die Augusti sequentis exclusive à data Regestri ejusdem Ecclesiæ S. Pauli . Intelligendum autem esi de Arboribus , & Lignis , quæ eo anno scindentur , nec non de Stutis , quæ eodem etiam anno pro anno sequenti , vel sequentibus reddentur , quod si unus DD. infra d. annum moriatur , vel definat esse Canonicus , tunc idem pro rata , qua vixerit , vel resederit in dictis accidentibus participabit , & non amplius .* *Sess.* 24. *cap.* 14. *de Reform.*

Anno 1763. in Canonicum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ coo-

ptatus fuit præfatus Carolus Theodorus de Diffuii, juravitque, se obſervaturum Conſtitutiones omnes, & Statuta Capituli. Is per integrum biennium, quod carentię vocatur, caruit antedictis fructibus: Admiſſus autem ad ſecundam reſidentiam egit pro inſubſiſtentia ſupradicti Decreti, nec non pro ſolutione ratæ dictorum fructuum ſibi debitæ pro duobus annis primæ ſuæ reſidentiæ, ſuſtinens Decretum hujuſmodi ſimoniaca labe infectum eſſe, illudque adverſari Sanctioni Tridentini Concilii *Seſſ.* 24. *cap.* 14. *de Reformat.*, ac etiam Apoſtolicis Conſtitutionibus *S. Pii V. la* 104., *& Innocentii XII. la* 51.: Hinc anno 1775. *in Folio Congregationis* habitæ *die* 2. *Decembris ejuſdem anni*, quod in lucem Hominum editum fuit *Vol. XLIV. Theſaur. Reſol. Sac. Congreg. pag.* 98., relata fuit quæſtio geminis ſub Dubiis I. *An Statutum, ſeu Decretum Capitulare diei* 21. *Januarii* 1728. *ſuſtineatur in caſu &c.* = II. *An Canonico Carolo Theodoro de Diffuii debeatur portio fructuum proven. ex Vino Vinearum locatarum, ſeu, ut ajunt, Stutorum, & ex venditione Arborum, Lignorum, & Glandium pro duobus annis primæ reſidentiæ in caſu &c.* = eaque propoſita in ſequenti *Congregatione diei* 20. *Januarii* 1776., Ampliſſimi Patres rem ambiguam agnoſcentes reſcripſerunt = *iterum proponatur* = ut *in Vol. XLV. Theſaur. Reſol. pag.* 1.

Repropoſita verò Cauſa pro ſecunda vice *in Congregatione* habita *die* 10. *Maii anni* 1777., utrique Dubio reſponſum datum fuit, nimirum = *Ad I. Negativè*, *Ad II. Affirmativè* = Novæ Audientiæ beneficio Capitulo, & Canonicis ſuccumbentibus impertito, Cauſa pro tertia vice propoſita fuit *in Congregatione diei* 14. *Februarii ſuperioris anni* 1778., exhibitoque aſſueto Dubio = *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die* 10. *Maii* 1777. *in caſu &c.* = reſponſum fuit = *In deciſis, & amplius* = Hiſce reſolutionibus ſe gravatum ſentiens Capitulum, iteratumque ſuorum jurium experimentum fieri cupiens, id obtinuit ex Decreto *Emi D. Card. Pro-Præfecti hujus Sacræ Congregationis*, vi cujus Cauſa pro quarta vice modò proponitur.

Animadvertendum tamen eſt in Facto, fructus hujus generis, nec ad Canonicales Præbendas pertinere, nec ad quotidianas Diſtributiones, quas unà cum fructibus Prębendæ ſuæ *integrè* percipit Canonicus noviter admiſſus, ſed illos cœteroquin exiguos, nullaque probata eorum

pro-

provenientia unitè partiri inter Canonicos ſecundæ reſidentiæ quaſi in premium majoris præſtiti ſervitii, & de eis novus Canonicus particeps fit poſt lapſum biennii, quo tranſitum facit à prima ad ſecundam reſidentiam.

In jure verò ponderandum occurrit, Sacroſanctum Concilium Tridentinum *Seſs.* 24. *cap.* 14. *de Reform.* deteſtari tamquam ſimoniacæ labis, & ſordidæ avaritiæ ſuſpectas dumtaxàt illas Conſtitutiones Cathedralium, vel Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum, in quibus à novo Canonico = *in electione, præſtatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione, ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus Cathedralis Eccleſiæ, vel beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, ſeù ad diſtributiones quotidianas certæ conditiones, ſeù deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationeſve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur* =,

Id ipſum confirmatum fuit in præfatis Apoſtolicis Conſtitutionibus, altera ſcilicet *S. Pii V.*, quæ incipit *Durum nimis*, alteraque San. Mem. *Innocentii XII.* incipiente *Eccleſiæ Catholicæ* improbantibus omnia, & quæcumque Statuta, ſeu conſuetudines quantumvis immemorabiles, per quas noviter Proviſi teneantur pro inſtitutione, collatione, proviſione, vel admiſſione ad poſſeſſionem aliquid tradere, quod non in uſus pios converteretur, ſed in utilitatem, & commodum cederet Capitularium, etiamſi promiſſio, vel traditio in dulciariis, vel in convivio conſiſteret, quod expreſsè prohibetur à San. Mem. Gregorio IX. *in Cap. Jacobus de Simonia*, & tamen convivia juxta vigentem conſuetudinem, dummodò non coactè fiant, moderatæque frugalitatis leges ſerventur, eſſe toleranda, ac etiam permittenda decrevit hæc Sacra Congregatio *in Burgen.* 3. *Septembr.* 1729.; & *in Leodien.* 18. *Julii* 1733., Viden. ad rem *Benedictus XIV. de Synod. Diœceſ. lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 8. *per tot.*

Porrò Capitulare Decretum, de quo agitur, videtur, non compellere noviter Proviſum, ut in ſua inſtitutione, præſentatione, vel admiſſione ad poſſeſſionem, & ſimilibus quidquam de propriis pecuniis, ſive ex fructibus ejus Præbendæ, ſive ex diſtributionibus quotidianis ſolvat, vel promittat, vel tradat, vel cedat in utilitatem, & commodum Capitularium, ſed unicè præſcribere, ne de novo Proviſus quidquam lucretur, ſivè percipiat de illa

illa *particulari* Maſſa, quæ pro Canonicis ſecundæ reſidentiæ fuit præſervata. In his igitur terminis locum non habere videtur *Conciliaris Sanctio*, & *Piana Conſtitutio*, veluti pro generali lege declaravit hæc Sacra Congregatio *in Meliten. menſe Martii* 1587. his verbis = *Sacra Congregatio cenſuit, Decretum cap.* 14. *Seſs.* 24. *de Reform.*, & *Bullam S. Pii V. ſuper eadem re editam non comprehendere conſuetndinem Eccleſiarum deſerviendi per annum, vel aliquod tempus, & nihil percipiendi interim de Maſſa groſſa, niſi peracto integro dicto ſervitio* = ut *in lib.* 4. *Decret. pag.*229.

Item *in Marſicana menſe Aprilis* 1591. conſimile fuit editum Decretum in hæc verba conceptum = *Sacra Congregatio cenſuit, conſuetudinem Cathedralis, sècundum quam Canonici in Ordine Subdiaconatus conſtituti tertiam, conſtituti in Ordine Diaconatus dimidiam, & Presbyteri integram portionem percipiunt, validam eſſe, nec ſublatam Decreto Concilii cap.* 14. *Seſs.* 24., *proindeque Epiſcopus eam, ſi in Eccleſia legitimè hactenus obſervata ſit, etiam impoſterum obſervari curet* = ut *in lib.* 7. *Decret. pag.*7.

Imò in durioribus terminis, nimirum conſuetudinis, quòd Canonici, vel Præsbyteri noviter recepti per aliquod temporis ſpatium *gratis* incumbere debeant Eccleſiæ, & Chori ſervitio, antequam ad Maſſæ participationem admittantur, communem eſſe Canoniſtarum ſententiam, hanc conſuetudinem ſuſtineri, nec eam adverſari Conciliari diſpoſitioni, & Pianæ Bullæ, utpote quæ de ſolutione, promiſſione, vel traditione à noviter Proviſo facienda, non autem de captando lucro loquuntur, uti tradunt *Garz. de Benef. part.* 11. *cap.* 5. *num.* 138., *Barboſ. de Canonic. cap.* 23. *num.* 7., & *ad Concil. Trident. cap.*14. *num.*4., *Gallemart eod. loc. ſimiliter num.*4., *Pignatell. conſult.*30. *num.* 10. *tom.* 3., & *Monacell. form. foren. Eccleſ. part.*3. *tit.*3. *form.*10. *num.*12.

Et in eamdem ivit ſententiam hoc Sacrum Tribunal, in quo pluries contigit, hujus generis controverſias diſcuti. In *Hydruntina Servitii diei* 28. *Novembris* 1705. propoſito Dubio = *An Sacerdotes Eccleſiæ Parochialis Terræ Scorrani poſt expletum ſervitium in Minoribus Ordinibus, nec non in Subdiaconatu, & Diaconatu teneantur non tàntum Choro per annum gratis inſervire, ſed etiam Miſſas celebrare, antequam ad Maſſæ participationem admittantur* = prodiit reſolutio = *Affirmativè* = prout *in lib.* 55. *Decret. pag.* 422.

Ac

Ac demùm *in Matheranen. Participationis* 24. *Septem.* 1735, in qua *primo* Dubio proposito = *An asserta consuetudo Ecclesiæ Metropolitanæ Matheranensis, quòd Clerici adscripti in ea teneantur inservire per annos quatuordecim distributos juxta Ordines, quos assequuntur, antequam admittantur ad participationem sit servanda* = responsum fuit = *Ad primum affirmativè, præterquamquòd ad servitium præstandum ab Absentibus causa Infirmitatis, & quoad onus celebrandi Missas gratis in ultimo biennio.*

Ponderandum ulterius est, utrum juri dicendi contra validitatem hujus Decreti Capitularis obicem, nec ne præbeat Canonico de Diffuii ejus jurata promissio Capitularium legum observandarum, ita ut Successoribus tantùm libertas sit eas impugnandi, non ei, qui eas servandas juravit *Rota coram Molin. decis.* 1083. *num.* 7., *& decis.* 1105. *num.* 2., *in Romana Cappellaniæ* 17. *Aprilis* 1702. §. *Quia coram bon. mem. Pio, in Bononien. Amovibilitatis Cappellani super bono jure* 22. *Februarii* 1726. §. *Ita coram cl. me. Card. Corio, & in ejus confirmatoria diei* 31. *Januarii* 1727. *coram Eodem.*

Hæc mihi notanda esse pro munere putavi. Tàm Nuntius Apostolicus, quàm Vicarius Generalis Leodiensis sub initium auditi nullum in eorum respectivis relationibus dederunt votum, nullumque eorum animi sensum aperuerunt. Hoc judicium nunc retractari postulat Capitulum, ideoque respondendum est.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

ASCULANA. Antonius Rota Terræ Ophidæ Asculanæ Diœcesis anno 1675. suum ultimum condidit Testamentum, in quo post obitum Sororis suæ, suorumque Nepotum, quos usufructuarios scripserat hæredes, instituit simplex, & merè laicale Legatum pium Missarum celebrandarum ad Altare majus Collegiatæ Ecclesiæ dictæ Terræ in ea quantitate, quot essent annui suorum Bonorum redditus ad rationem eleemosynæ perpetuæ pro qualibet: Jussitque præscriptis verbis, quòd pro dictarum Missarum celebratione essent eligendi Cappellani actu Presbyteri, & ad nutum amovibiles, cum causa, vel sine causa, onere inter cætera eisdem adjecto celebrandi per se ipsos, excepto tamen Infirmitatis casu, vel alio legitimo impedimento, quo casu voluit, quòd Præsbytero celebranti in locum Cappellani infirmi, seu legitimè impediti præstari deberet eadem eleemosyna juliorum duorum pro qualibet Missa,

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

ſa, rationem exprimens = *perchè ſarebbe defraudata la mia mente, pigliandoſi il Cappellano, o Cappellani due giulj per darne uno ſolo al Celebrante in vece loro, per farne così quaſi un enorme mercanzìa* =, aliam explicitam ſuperaddens rationem = *quando che Io preciſamente voglio, che il Sacerdote celebrante poſſa in quel giorno commodamente vivere di detta elemoſina di giulj due* =, & ſi ſecùs fieret à Cappellano, præcepit, eum eſſe Cappellaniæ commodo illicò, & perpetuò privandum.

Jus autem activum nominandi Cappellanum, ſeu Cappellanos reliquit Priori, Canonicis, & Capitulo ſupradictæ Collegiatæ Eccleſiæ: Jus verò paſſivum expreſsè tribuit Presbyteris Ophidanis, & in eorum dumtaxàt defectu Presbyteris exteris. Plura onera ſuperimpoſuit Capitulo tùm quoad adminiſtrationem Bonorum; tùm quoad Miſſarum celebrationem: explicitè tamen prohibuit, ne quilibet Canonicus, ſeu de gremio Capituli in Cappellanum eligeretur.

Die 1. Martii 1754. Sacerdos Lucius Recchi ex Diæceſi Montis Alti Canonicus dictæ Collegiatæ Eccleſiæ Terræ Ophidæ gratiam obtinuit à ſan. mem. Benedicto XIV. in exemplum tamen non trahendam, qua Summus Pontifex eumdem Canonicum Recchi in prima vacatione, vel in caſu amovibilitatis alicujus Cappellani in eorum unum ad eamdem Cappellaniam ad ejus vitam Priori, & Canonicis Collatoribus nominavit, & ſubrogavit, perpetuumque Cappellanum conſtituit cum derogationibus omnibus ad hujuſmodi effectum neceſſariis, & opportunis. Subinde præfatus Canonicus Recchius aliam petiit, reportavitque à ſan. mem. Clemente XIV. gratiam celebrandi Sacra Cappellaniæ Rota ubique Locorum, & in Eccleſia, & ad Altare ſibi beneviſum, adjecta clauſula = *accedente tamen juſta, & rationabili cauſa* =, quam etiam clauſulam idem Pontifex ad ſupplicationem Canonici delevit altero poſteriori Reſcripto diei 10. Aprilis 1770.

Exemplo Canonici Recchi alii permoti ſunt Sacerdotes, quorum primus fuit Sacerdos Venantius Telli natus in Oppido Ortezani Firmanæ Diæceſis, qui eamdem gratiam, quam Canonicus Recchius obtinuerat, deputationis ſcilicet in Cappellanum perpetuum Operis pii Rota, & ipſe quoque Tellius obtinuit ſub die 6. Octobris 1773. ab Auſculano Antiſtite, cui laudatus Pontifex Clemens XIV. illius preces ablegaverat cum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis. Secundus verò fuit

Sacer-

Sacerdos Elpidius Biccolini Ophidanus, qui cum jam eſſet in Cappellanum electus à Capitulo, impetravit ſub die 13. Novembris moxdicti anni 1773. ab eodem Summo Pontifice Clemente XIV. gratiam retentionis Cappellaniæ donec vixerit.

At verò Capitulum Terræ Ophidæ unà cum Presbyteris ejuſdem Terræ preces porrexit SUMMO NOSTRO PONTIFICI *fælicitèr regnanti*, ut antedicta Pontificia Reſcripta revocarentur: remiſſiſque precibus huic Sacræ Congregationi, auditus de more fuit Aſculanus Epiſcopus, qui retulit, antedicta Reſcripta tamquam citra Patroni, & intereſſe habentium conſenſum, & Ordinarii informationem, dolo, & malis artibus extorta produxiſſe inconveniens, & abſurdum, inconveniens ſcilicèt, quia = *quamplures originarii Sacerdotes optimè meriti, & omnibus requiſitis à Teſtatore præſcriptis ſuffulti, & prædiți eo beneficio, eoque præſidio carent, quod benevolus Concivis in ſublevamen, & ſolatium eorum providè, & laudabiliter contulerat* = abſurdum verò, quia = *oriundi Sacerdotes Ophidani odio proſequuntur Cappellanos prædictos, oculiſque infenſis eos intuentur, atque conſpiciunt, perpendendo, exteros ea pia largitate potiri, quæ unicè oriundis defertur, & demandatur* =, ab ejus tamen voto ferendo ſe abſtinuit.

Cauſa proponitur. Suſtinet Capitulum, obtenta Reſcripta tamquam dolo, malaque fide extorta, ac ſubreptionis, & obreptionis vitio infecta ſuſtineri non poſſe. Et incipiendo à Reſcriptis obtentis à Canonico Recchio, urget idem Capitulum, Recchium in ejus precibus nimis genericè narraſſe Summo Pontifici, quòd jus nominandi Cappellanos pertineat ad Capitulum, quòdque derogari deberet voluntati Teſtatoris in ea parte, in qua prohibetur collatio Cappellaniæ in Canonicum dictæ Collegiatæ Eccleſiæ, nec non in exteros Presbyteros. Reticuit tamen, rem eſſe de Legato pio Miſſarum purè, merè, & ſimpliciter laicali adjecta, explicita ſupplicatione facta à Teſtatore, quòd nullus unquam Superior Eccleſiaſticus in nominatione Cappellani ſe ingerere poſſit, qua concurrente laicali qualitate Legati pii, ac Teſtatoris voluntate, quamvis Summus Pontifex diſponere, ac derogare poſſit cuicumque Juripatronatus juxta famigeratam *Gloſſam in Clementina* 2. *verb. Apoſtol. de Prebend.*, hac tamen ejus ſuprema poteſtate uti non ſolet citra neceſſitatem, & juſtam cauſam, ac præſertim citra Patro-

norum consensum veluti docet *Rigant. ad Regul.* 42. *Cancellariæ num.* 78., *& seqq.*, *& Rota coram Molin. decis.* 542. *num.* 4

Itemque reticuit, quòd Capitulum Patronatu potitur titulo oneroso, nominatque Cappellanos nunc in majori, nunc verò in minori numero juxta quantitatem reddituum in Missarum celebrationem erogandorum; Reticuitque pariter rem judicatam Tribunalis Sac. Rotæ decernentis in Cappellanum eligi non posse Canonicum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, nec non Testatorem pauperes Ophydanos Sacerdotes in assequutione Cappellaniarum exteris prætulisse, ut præscripta eleemosyna duorum juliorum pro qualibet Missa ea die succurrere possint eorum necessitatibus, prout etiam ipsum Canonicum Recchi pauperem non esse, sed fortunæ bonis ditatum, præter redditus sui Canonicatus, & alia plurima, quæ si narrata fuissent Summo Pontifici, vel gratiam absolutè denegasset, vel difficiliùs illam concessisset ad *Tex. in cap. super litteris de Rescript.*, ibique *Felin.*, *& Fagnan. num.* 38., *Rota decis.* 18. *num.* 3. *coram Merlin.*, *& dec.* 216. *n.* 17. *coram san. mem. Clemente XIII.*

Urget insuper Capitulum, quòd corruente primo Rescripto, corruere quoque debeant tamquam pedissequa alia Rescripta ab eodem Canonico obtenta à san. mem. Clemente XIV. celebrandi ubique locorum, ejus dumtaxàt onerata conscientia. Fortius quia à sæpedicto Canonico non exhibetur secundum facultativum Rescriptum ubique celebrandi, ut cognosci possit, an ipse Pontifici narraverit, hanc facultatem, ut ait Episcopus, ab eo fuisse petitam à Summis Pontificibus Benedicto XIV., & Clemente XIII., & ab eisdem æque denegatam fuisse.

Verumtamen etiamsi sustineantur hujusmodi Canonici Rescripta, contendit tamen Capitulum, eum esse tamquam indignum à Cappellaniæ commodo removendum, nedum quia, ut refert Episcopus, documentisque probatur = *& voce*, *& exemplo*, *& factis*, *vitam agat*, *quæ aliis scandalum*, *sibique ignominiam afferat* =, sed etiam quia abutitur Missarum eleemosyna, quæ pro pauperibus Presbyteris constituta fuit, & Missarum onus adimplet per alium contra voluntatem Testatoris præcipientis Cappellanum per se ipsum celebrare debere; & demum quia Celebranti tribuit elemosynam julii tantùm unius, alio pro se retento, id, quod Testator expressè prohibuit, subdens, quòd = *rispendosi*, *che di qual-*

cano

cuno si faceſſe, commando adeſſo per allora ſia incontinente rimoſſo, e tenuto in coſcienza alla reſtituzione, ne mai più per l'avvenire poſſa eſſer nominato, o eletto alla detta Cappellania amovibile, perchè lo reputo fatto come ſimoniaco.

Eadem inſubſiſtentia, ait Capitulum, laborare quoque Reſcripta, quæ ad exemplum Canonici Recchi obtinuerunt ab eodem Summo Pontifice Clemente XIV. Sacerdos Venantius Telli ſub die 15. Septembris 1773., nec non Sacerdos Elpidius Biccolini ſub die 13. Novembris ejuſdem anni, quoniam uterque Sacerdos in ejus precibus reticuerit id ipſum à Canonico Recchi reticitum, maximè cum à Sacerdote Telli non probetur, ejus Aſcendentes, ut expoſuit, eſſe Ophydanos, à Sacerdote verò Biccolini fuerit falsò Pontifici narratum, quòd *perdendo detta Cappellania non averebbe neppure Meſſa dà celebrare, eſſendone detta Terra priva* = quoties evincitur, ipſum Sacerdotem Biccolini duo poſſidere Beneficia, unum ſcilicet ſub titulo Beatæ Mariæ Virginis Lauretanæ, alterumque ſub titulo B. M. Virginis de Monte Carmelo cum onere quatuor Miſſarum celebrandarum in qualibet hebdomada, quæ pro eo celebrantur à Religioſis Conventus S. Franciſci Terræ Ophydæ, ipſumque curare, ut ab eiſdem Religioſis celebrentur quoque Sacra Cappellaniæ Rota vili tributa eleemoſyna pro qualibet Miſſa contra expreſſam Teſtatoris prohibitionem ſub pœna remotionis.

Hæc, & alia plurima legi poterunt in libello à Capitulo circumferendo. A Sacerdotibus Venantio Telli, & Elpidio Biccolini nihil hactenus habuimus. Duo ſunt Capita.

I. *An ſuſtineantur Reſcripta obtenta à Canonico Lucio Recchi, nec non à Sacerdotibus Venantio Telli, & Elpidio Biccolini in caſu &c.* = ; & quatenus affirmative.

II. *An iidem Canonicus Recchi, & Sacerdotes Telli, & Biccolini ſint à Cappellania removendi in caſu &c.*

Sess. 23. cap. 1. de Reorm.

PRÆNESTINA MISSÆ CONVENTUALIS. In Oppido Jenazzani Prænestinæ Diœcesis Parochialis adest Ecclesia S. Pauli, ubi sunt Archipresbyter cum cura Animarum, & quatuor Beneficiati quamdam Collegiatæ speciem constituentes; nam iidem omnibus diebus festis, & quibusdam etiam ferialibus statutis temporibus sese conveniunt ad persolvenda Divina Officia, celebrandasque Missas Conventuales. Anno 1735. clar. mem. Card. Thomas Ruffus tunc Episcopus Prænestinus in Sacra Visitatione præcepit, Missas Conventuales celebrari, & applicari pro Benefactoribus in genere. Id ipsum in Sacra Visitatione confirmavit anno 1741. clar. mem. Card. Petra tunc Prænestinus Antistes, illisque adjecit onus punctaturarum, mandavitque, ut anno quolibet unus ex Beneficiatis in Punctatorem eligeretur. Confirmavitque pariter in Sacra Visitatione anno 1754. clar. mem. Card. Spinelli Prænestinus Episcopus applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus à Card. Ruffo decretam anno 1735., *nisi infra sex menses obtinuerint declarationem in contrarium à Sacra Congregatione Concilii etiam pro præterito*.

Recursum hinc antedicti Archipresbyter, & Beneficiati habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, auditaque relatione præfati Cardinalis Spinelli asserentis casum Ecclesiæ S. Pauli eumdem esse ac illum Ecclesiæ S. Margaritæ Terræ Olibani similiter Prænestinæ Diœcesis, cujus Beneficiati ex Decreto hujus Sacræ Congregationis obstricti fuerant ad applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus, illorum instantia die 30. Julii 1759. rejecta fuit per Rescriptum = *Lectum*.

Anno 1762. clar. mem. Card. Lantes Episcopus Prænestinus in ejus Sacra Visitatione quoad Missam Conventualem in prædicta Ecclesia S. Pauli celebrandam hæc habuit *Hoc onus adimpletum fuit ab anno 1754. usque ad diem quintam mensis Aprilis currentis. Verum cum usque adhuc non appareat satisfactio pro Missis præteritis ad formam postremæ Visitationis, mandatur, ut infra terminum trium mensium Archipresbyter, & Beneficiati omnino recurrant ad Sacram Congregationem pro absolutione, quatenus &c. aliàs dicto termino elapso, omnino adimpleant juxta præfatum Decretum sub pœnis in eo contentis*.

Qua de re Archipresbyter, & Beneficiati preces porrexerunt huic Sacræ Congregationi, postulantes declarari, eos esse immunes, & exemptos ab applicatione Missæ Conventualis, & præsertim ut cognitio rei ablegaretur ad ho-

hodiernum Eminentiſſimum Prænestinum Epiſcopum, qui, perpenſis omnibus circumſtantiis Eccieſiæ S. Pauli longè diverſis ab illis Eccleſiæ S. Margaritæ Terræ Olebani, votum ſuum aperiret; hinc Reſcriptum prodiit = *Eminentiſſimo Epiſcopo, qui dignetur rem perpendere, & Sacram Congregationem inſtructam reddere ſuper novis precibus, & præcisè referat an Eccleſia S. Pauli Oppidi Jenazzani ſit revera Collegiata, non retardata interim applicatione Miſſæ Conventualis ad formam Decreti Sacræ Congregationis diei* 14. *Julii* 1759.

Eminentiſſimus Epiſcopus retulit tenorem ſuperius expoſitum Sacrarum Viſitationum, quæ à prædeceſſoribus Epiſcopis geſtæ fuerunt. Mox retulit his verbis = *Ex Viſitationibus ſuperius relatis, aliiſque pro tempore expletis compertum eſt, quod prædicta Eccleſia dicitur Parochialis, & Receptitia non quidem innumerata, ſed numerata, & ſpeciem Collegiatæ præſeferens. In ea enim conſtituti ſunt Archipresbyter cum quatuor Beneficiatis, quorum Beneficia conferuntur in titulum, habentque ſuas proprias Præbendas. Retinent Archivium Scripturarum, & per ſecreta ſuffragia eligunt ſingulis annis Adminiſtratorem Bonorum Eccleſiæ, quem vocant Sancteſium. Quotidie per Turnum celebratur ab Hebdomadario in Ara majori Miſſa lecta libera ab applicatione, & feſtis diebus cantatur Miſſa Conventualis. Cæterum nullum adeſt Indultum, ſeu legitimum documentum, ex quo conſtet de illius erectione in Collegiatam* = ab ejus tamen Voto ferendo ſe abſtinuit,

Nunc jura deducuntur ab Archipræsbytero, & Beneficiatis dictæ Parochialis Eccleſiæ S. Pauli, contenduntque, eorum Eccleſiam non eſſe Collegialem, ideoque Miſſam Conventualem non eſſe pro Benefactoribus applicandam. Suſtinent enim, duplicis eſſe generis Collegialitatis probationem, alteram ſcilicèt, quæ eruitur ex Bulla erectionis, vel ex Apoſtolico Privilegio, *ad Text. in cap. Porrò de Privileg.*, *L.* 3. *ff. de Colleg. illic.*, *Innocent. in cap. Poſtulaſti num.* 1. *de Jurepatr.*, *Maſcard. de probat. concluſ.* 583. *num.* 1., & *ſeqq.*, *Piton. diſcept. Eccleſ.* 8. *num.* 9., & *diſcept.* 116. *num.* 4., & alteram, quæ evincitur ex ſignis, conjecturis, & indiciis ſimul unitis Collegialitatem univocè concludentibus ex traditis per *Innocent.*, & *Maſcard. loc. cit. num.* 4. *Lotter. de re benef. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 54., *Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 5., & *Rot. cor. Molin. dec.* 1229. *n.* 3.

Urgent

Urgent igitur, neutrum ex dictis Requisitis in hypothesi concurrere: Non quidem Erectionis Bullam, vel Apostolicum Privilegium, quoniam idem met Eminentissimus Episcopus in ejus Informatione fatetur, quòd = *nullum adest Indultum, seu legitimum documentum, ex quo constet de illius erectione in Collegiatam* : = Non item Collegialitatis signa, quia Archipresbyter, & Beneficiati Capitulum non efformant, nec exercent Capitulares actus, nec ullum retinent Capitulare sigillum, nullam habent Massam communem, nullas distributiones quotidianas, nullum onus residentiæ, & similia Collegialitatem inducentia. Ea verò signa, quæ in hypothesi concurrunt, nimis incerta, æquivoca, & materialia sunt, aptanturque Personis in unum non uti Collegium, sed ad instar simplicis Congregationis convenientibus *Fagnan. in cap. Nullus num.* 29. *de Elect.*, *Lotter. de re. benefic. lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 56., *Card. Petr. ad Constitut. Apost. tom.*3. *ad Constit.*7. *Innoc. IV. Sect.*2. *n.* 21., *& Corrad. in prax. benefic. lib.*2. *cap.*9. *num.*17.

Quo posito, sustinent, Ecclesias quasi Collegiales, seu quamdam Collegialitatis speciem habentes non teneri ad applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, prout huic oneri subijciuntur Cathedrales, & Collegiatæ, de quibus unicè loquitur *Text. in Cap. cum Creatura de celebrat. Miss.*, nec non *san. mem. Benedictus XIV. in Tractat. de Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.*3. *n.*4., *& cap.* 8. *num.* 3., *& seqq.*, *& cap.* 9. *num.* 9.. Et revera hæc Sacra Congregatio, validioribus concurrentibus signis pro Collegialitate comprobanda, definivit, non esse locum applicationi Missæ Conventualis *in Montis Falisci Missæ Conventualis diei* 12. *Februarii* 1718., in qua proposito Dubio = *An Canonici nuncupati S. Mariæ Terræ Marthæ teneantur ad celebrationem Missæ Conventualis in casu &c.* = responsum fuit = *Negativè, & amplius*.

Quantùm verò termini Ecclesiæ S. Pauli Terræ Jenazzani distent ab illis Ecclesiæ S. Margaritæ Terræ Olebani, Eminentissimi Patres cognoscere poterunt in libello pro parte Archipresbyteri, & Beneficiatorum circumferendo simul, & definire.

An constet de Collegialitate Ecclesiæ S. Pauli Jenazzani, itaut sit celebranda Missa Conventualis pro Benefactoribus in genere in casu &c.

Die

Die Sabbathi 17. Aprilis 1779. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

REſumpto Folio *Congregationis* habitæ *die 6. præteriti menſis Martii*, dignabuntur EE. VV. quinque ſequentes Cauſas, quæ ibi deſcriptæ fuerunt, hodie definire.

TREVIREN. REDUCTIONIS ANNIVERSARIORUM, cujus Dubium eſt. *Seſs. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Eſſe locum reductioni Anniverſariorum; Quò verò ad modum arbitrio Emi Archiepiſcopi Treviren. cum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis.

FIRMANA TRANSLATIONIS CAPPELLANIÆ, in qua ambigitur. *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus translationi in caſu &c.

Affirmativè, juxta votum Vicarii Capitularis.

LEODIEN., cujus unum Caput eſt. *Seſs. 24. cap. 14. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

ASCU-

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

ASCULANA, cujus duo sunt Dubia:

I. *An sustineantur Rescripta obtenta à Canonico Lucio Recchi, nec non à Sacerdotibus Venantio Telli, & Elpidio Biccolini in casu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An iidem Canonicus Recchi, & Sacerdotes Telli, & Biccolini sint à Cappellania removendi in casu &c.*

Dilata, & proponatur in prima.

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

PRÆNESTINA MISSÆ CONVENTUALIS, in qua definiendum est.

An constet de Collegialitate Ecclesiæ S. Pauli Jenazzani ita ut sit celebranda Missa Conventualis pro Benefactoribus in genere.

Negativè, & amplius.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

MASSANEN. MATRIMONII. Tria Dubia totam hujus gravissimæ Matrimonialis Causæ Summam complectentia proposita fuerunt *in Congregatione* habita *die* 24. *Januarii superioris anni* 1778., quorum I. erat = *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* = & quatenus negative = II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato, & non consumato in casu &c.*, & quatenus affirmative = III. *An liceat Catharinæ Cipolli aliud contrahere Matrimonium in casu &c.* = & unicuique eorum *negativum* responsum datum fuit. Ast reproposita Causa *in Congregatione diei* 16. *nuper elapsi mensis Januarii* sub assueto Dubio = *An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.* = Eminentissimi Patres in sequenti *Congregatione* habita *die* 30. *ejusdem mensis Januarii*, re maturius perpensa, ponderatisque juribus ab utriusque Matrimonii Defensore propositis, non hæsitarunt ea, qua pollent, eximia Juris Canonici peritia, & docilitate respondere = *Consulendum Sanctissimo pro dispensatione Matrimonii rati, & non consumati. In reliquis satis provisum* =. In hac igitur responsorum varietate,

tate, nunc, resumptis Foliis dictarum *Congregationum* 24. *Januarii* 1778., & 16. *Januarii proxime præteriti* cognoscendum erit.

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.

In secundo loco decisis, & amplius.

SENOGALLIEN. Dedimus hanc Causam *in Folio Congregationis* habitæ *die* 5. *Septembris superioris anni*, in qua definiri non potuit. Duo erant Dubia: I. *An, & de quibus necessariis reparationibus Ecclesiæ Parochialis S. Mariæ Terræ Tumbæ, ejusque Domorum constet, & in qua summa in casu &c.* = & quatenus affirmative = II. *An & quæ reparationes explendæ sint ex pecuniis repertis in hæreditate Prioris q. Petri Bracci in casu &c.* =, eisque propositis in sequenti *Congregatione* habita *die* 19. *ejusdem mensis Septembris*, Eminentissimi Patres responderunt = *Negative ad utrumque* = Pugnam nunc iterum instaurat Sacerdos Dominicus Salvucci modernus Prior antedictæ Parochialis Ecclesiæ, qui succubuit in primo certamine, ita ut, resumpto *Folio dictæ Congregationis diei* 5. *Septembris* 1778., expediendum sit Dubium. *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

SENOGALLIEN. PRÆEMINENTIARUM. Speciem hujus Causæ repetere poterunt Amplissimi Patres *ex Folio Congregationis diei* 12. *Decembris elapsi anni* 1778. Quatuor erant ejus Controversiæ Capita. I. *An Ecclesia Abbatialis S. Mariæ de Platea sit Ecclesia Matrix, Major, & dignior altera Ecclesia Priorali S. Severi in casu &c.* = & quatenus affirmative = II. *An Crux Ecclesiæ Abbatialis S. Mariæ, ejusque Abbas debeant præcedere Cruci, & Priori dictæ Prioralis Ecclesiæ in omnibus Pro-* *Sess.* 21. *cap.* 4 *de Reformat.* & *Sess.* 25, *cap.* 13. *de Regul.*

ceſſionibus, & Funeribus etiam in iis, quæ initium habent ab Eccleſia S. Severi in caſu &c. = III. *An in Proceſſionibus, aliiſque Eccleſiaſticis Functionibus Crux Eccleſiæ S. Severi deferri debeat cum Pallio, ſeu velamine ad inſtar Regularium in caſu &c.* = IV. *An liceat Priori S. Severi in Proceſſionibus, & Funeribus, in quibus Functiones non agit, deferre Stolam à Collo pendentem, vel in brachio in caſu &c.* = His *in Congregatione* habita *die* 30. *Ianuarii proxime præteriti*, dilationem fruſtra petente Parocho S. Severi, reſpondit Sacrum Tribunal ad I. *Affirmative quoad actus præeminentiales tantum*: Ad II., & III *Affirmative*: Ad IV. *Negativè* =. Cum verò Parochus S. Severi adverſus hanc definitionem *audiri* poſtulaverit, decernendum nunc eſt.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

PLACENTINA NULLITATIS MATRIMONII. Jacobus Freſchi ex Villa Centoveræ Placentinæ Diæceſis die 31. Januarii 1763., ſervatis omnibus ſolemnitatibus à Sacroſancto Concilio Tridentino præſcriptis, Matrimonium per verba de præſenti contraxit cum Julia Ferrari è Villa S. Georgei ejuſdem Placentinæ Diæceſis. Ambo, qui pauperrimi ruſtici, & in ſubjecta validitatis, ſeu nullitatis Matrimonii materia prorſus ignari ſunt, in hoc Matrimonio bona fide ſteterunt ſpatio duodecim annorum, nimirum uſque ad annum 1775., quo tempore cum moniti fuiſſent à quodam Religioſo Viro de eorum Matrimonii nullitate, attenta Uxoris impotentia, res delata fuit ad Epiſcopalem Curiam Placentinam, à qua prius electis Phyſico, & in anatomica facultate Perito pro Uxoris corporis recognitione, habitaque ab iis relatione, Mulierem arctam eſſe, & ad Matrimonium prorsùs inhabilem, geminis non obſtantibus per eos interpolatè, ac inutiliter factis muliebris partis inciſionibus, ad quas Uxor libentèr ſeſe ſubjecerat, & quidem cum ejus vitæ periculo paſſo in ſecunda inciſione, proceſſum fuit ad eorumdem Conjugum ſeparationem quoad Torum.

Hinc

Hinc Jacobus Vir preces porrexit huic Sacræ Congregationi poſtulans, ut ejus Matrimonii nullitas declaretur, ad effectum aliud cum alia ſibi beneviſa Muliere contrahendi. Hujuſmodi preces, ut moris eſt, ablegatæ fuerunt ad Placentinum Antiſtitem pro informatione, & Voto, & pro confectione Proceſſus, ſervata forma notiſſimæ Conſtitutionis ſan. mem. Benedicti XIV., quæ incipit = *Dei miſeratione*.

Compilato Proceſſu, eoque ad hanc Sacram Congregationem tranſmiſſo cum relatione Epiſcopi ſuper concordia Conjugum hactenùs ſervata, eorumque bonis moribus, probataque docilitate in admittenda ſeparatione, cum addito Voto pro nullitate Matrimonii, Cauſa proponitur. Suſtinet enim Vir, nullum eſſe Matrimonium, illiuſque nullitatem uberrimè comprobari ex poſitionibus ab eo, & ab eadem admiſſis, & confeſſatis ſuper non ſequuta Matrimonii conſumatione, attenta perpetua ipſius Uxoris impotentia, geminis non obſtantibus Muliebris partis factis inciſionibus, nec non ex ſeptima Propinquorum manu, Peritorumque judicio, ut hæc omnia ſunt in antedicto compilato, tranſmiſſoque Proceſſu; quæ omnia contradicit Matrimonii Defenſor in ſuo Libello de more circumferendo.

Duo ſunt in Cauſa ponderanda, unum ſcilicet, quod reſpicit *formam* confecti Proceſſus, alterum circa Matrimonii *ſubſtantiam*. Ad *formam* enim quod attinet, animadvertendum eſt, nec Virum, nec Uxorem unquam fuiſſe *formiter examinatos à Matrimonii Defenſore datis Interrogatoriis*, imo petitum à Viro fuiſſe, ut ad recognoſcendam Uxoris impotentiam *extrajudicialiter* eligerentur Periti, quemadmodum Epiſcopalis Curia Viri votis adhærens, poſt quam decreverat, Peritos eſſe *extrajudicialiter* eligendos, in Peritos deputavit Joſephum Corneli, & Joannem Dominicum Peſatori utrumque Medicinæ, & Chirurgiæ Profeſſorem, nec non Antonium Bonora in anatomica facultate Peritum, qui eorum reſpectivam relationem, *quovis formali examine neglecto*, penes acta produxernnt. Videtur igitur, peccatum fuiſſe *in forma* compilati Proceſſus, cum in Benedictina Conſtitutione præſcriptum ſit, Cauſas diſſolutionem Matrimonii reſpicientes eſſe ſumma cum diligentia, & rigore pertractandas, nihilque omittendum, quod ad eruendam veritatem conducere, aut conferre poſſit, licet probationes requiſitæ ſuperabundare

videantur, ut docent *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 107. *sub num.* 1., & *Rota coram Coccin. decis.* 935. *num.* 10.

Quod verò pertinet ad *substantiam*, præ oculis habendum est Peritorum judicium, quorum primus fuit *Antonius Bonora*, qui fuit in sensu, esse = *la Donna incapace alla generazione* =

Idemque fuit sensus secundi Periti *Josephi Corneli*, qui post adnotata vitia corporis Juliæ, his verbis concludit = *Per le quali circostanze tutte . . . . . e della ò deficienza, ò estrema picciolezza, ò mala posizione dell'utero, e sopra tutto della totale clausura, non ostante tutte le incisioni fatte, giudico la sudetta Giulia Ferrari mancante dei requisiti essenziali al concepimento, ed alla generazione, e però incapace di Matrimonio.*

Id ipsum conclusum voluit tertius Peritus *Joannes Dominicus Pesatori*, dum retulit = *per tutto questo nostro sentimento è, che la più volte nominata Giulia, atteso questo vizio, che ci pare onninamente irremediabile nelle date presenti circostanze dell' arte, nostro sentimento, dissi, è, che sia affatto inabile ad un vero naturale Congresso Matrimoniale, e perciò anche impotente all' opera della generazione.*

Quibus positis, ponderandum videtur, aliam esse coeundi, & aliam generandi impotentiam; prima enim irritat Matrimonium, si perpetua est, nullisque mediis ordinariis vincenda ad *Text. in cap.* 1., & 2. *de Frigid.*, & *Malefic.*, *Pont. de Matrim. lib.* 7. *discept.* 107. *num.* 3., & *Bonaccin. eod. tractat. quæst.* 3. *punct.* 13. *num.* 9.; Quò verò ad secundum, quamvis Auctores, & Canonistæ clari nominis senserint, nullum esse Matrimonium, quando spes Sobolis saltem in habitu, & potentia omninò deficiat, quemadmodum etiam jure antiquo Civili ex Legibus *Julia*, & *Papia* Viris prohibitum fuerat Matrimonium contrahere post annum 60., Fœminis autem post 50.: Contraria tamen Sententia ex Ecclesiæ auctoritate recepta est, sterilitatem nempe Uxoris nihil obesse validitati Matrimonii: Non enim propter sterilitatem Ecclesia dissolvit Matrimonium, quinimò passim admittit Senes ad illud contrahendum. Et sanè duplex est Matrimonii finis, primarius scilicét prolis generatio, secundarius verò ut extinguatur concupiscentia. Sat enim est, quòd alteruter concurrat, ut consistat Matrimonium, & ita docet *Div. Thomas* 4.

dist.

dist. 34. *quæst. unic. art.* 2. , *&* 3. receptus fere ab omnibus Theologis , & Pontificii Juris Interpretibus in specie contrarios refellente *Petro Barbosa part.* 1. *leg.* 1. *num.*97. , *&* 98. *ff. soluto Matrim.* , *& Sanchez de Matrim. tom.*2. *lib.*7. *disput.*92. *num.*25. , *& seqq.*

At verò in casu, de quo agitur , videtur , secundum Matrimonii finem suum sortitum fuisse , vel saltem sortiri posse plenarium effectum . Quoniam longa per lapsum duodecim annorum Conjugum condormitio absque ulla facta judiciali , vel extrajudiciali reclamatione , seu querimonia cum Consanguineis , vel cum Vicinis , vel cum Amicis , validum præbet indicium , vel rationabile movet dubium sequutæ Matrimonii consumationis , *Cap. Litteris* 12. *vers. Consultationi* , *& Cap. Tertio loco* 13. *de Præsumpt.* , *Gloss. in Can. Si quis acceperit* 33. *quæst.* 1. *sub verb. tempore*, *Speculator. in §. Violenta de Præsumpt.*, *& Rot. cor. Falconer. de Sponsal. decis.* 3. *num.*13.

Rursus experimentum factum à Peritis Josepho Corneli , & Joanne Dominico Pesatori , intromissionis scilicet eorum digiti indicis in inferiorem partem Mulieris absque illius resistentia , & dolore non leve præstat argumentum Uxoris potentiæ ad Matrimonium consumandum . Et quamvis Periti retulerint , Mulierem arctam esse , & angustam , videtur tamen , Peritos id retulisse quoad interiores Verendorum ipsius partes tantum , quas ipsi recognoverunt absque prævio usu Balnei in recognitione corporis Mulieris necessariò adhibendi juxta cauthelam *Hostiensis in cap. Causam Matrimonii num.* 4. *de Probation.* , quam sequuntur *Abb. in cap. Fraternitatis num.*4. *de Frig.* , *& Malefic.* , *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *disput.*113. *num.*11., *Panimoll. decis.*51. *annot.*1. *num.*8., *Rot. decis.*10. , *&* 11. *post Card. de Luc. ad materiam de Matrim. tom.* 2. , *& decis.* 392. *sub num.* 16. *part.* 4. *recen.*

Videtur insuper , septimam manum Propinquorum deponentium *in genere* , Jacobum Freschi Virum esse bonis moribus imbutum , & à perjurio prorsùs alienum , nihil concludere , nisi Propinqui fuerint *specialiter* interrogati , prout interrogati non fuerunt , super jurata, & specifica Conjugum assertione , quod Matrimonium ab ipsis non fuerit consumatum propter Uxoris impotentiam. Cum septem ex Propinquis interposito juramento de credulitate , jurare debeant , se credere , Conjuges verum

rum juraſſe *Can. Requiſiſti cauſ.* 33. *quæſt.* 1. *cap. Laudabilem de Frig.*, *& Malefic.*, ibique *Reiffenſtuel. in juſ. Canon. lib.* 4. *decret. tit.* 15. *num.* 43., *Gonzal. in Decretal. num.* 3., *& Pirhing. in jus Canonic.* §. 3.

Sacra Congregatio hiſce ferè concurrentibus circumſtantiis pro validitate Matrimonii reſpondit, ut videre eſt *in Forolivien. Diſſolutionis Matrimonii* 8. *Auguſti* 1761., *& in Aſten. Matrimonii* propoſita *die* 2. *Martii* 1776., & reſoluta *die* 30. *ejuſdem menſis Martii* 1776., & 1. *Martii* 1777.. Pertinet nunc ad Eminentias Veſtras ſapientiſſimè reſpondere Dubio, quod proponitur.

An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 15. Maii 1779. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DEfinitio primæ, quam ſubjicimus, Cauſæ *in ultimæ* Ampliſſimi Ordinis *Congregatione* habita *die* 17. tranſacti *menſis Aprilis* dilata fuit *ad hanc Congregationem*: Aliæ verò tres, quæ ſequuntur, Cauſæ ob temporis anguſtiam proponi non potuerunt. Cum itaque nunc proponantur, poterunt Eminentiſſimi Patres ad eorum Dubia expedienda *Folium dictæ Congregationis* iterum conſulere.

ASCULANA, cujus duo ſunt Capita;

I. *An ſuſtineantur Reſcripta obtenta à Canonico Lucio Recchi, nec non à Sacerdotibus Venantio Telli, & Elpidio Biccolini in caſu &c.* = & quatenus affirmativè. *Seſs. 25. cap. 5. de Reform.*

II. *An iidem Canonicus Recchi, & Sacerdotes Telli, & Biccolini ſint à Cappellania removendi in caſu &c.*

Ad 1. Affirmativè; Ad 2. Negative.

SENOGALLIEN., in qua quæritur;

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c. *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

In Deciſis, & amplius.

SENO-

Sess.21. cap.4. de Reformat., & Sess.25.cap. 13. deRegular.

SENOGALLIEN. PRÆEMINENTIARUM, in qua disputatur.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata, & proponatur in prima.

Sess.24. cap.1. de Reformat. Matrim.

PLACENTINA NULLITATIS MATRIMONII, cujus est Dubium.
An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo, juxta instructionem.

Sess.22. cap.6. de Reformat.

CIVITATIS PLEBIS. Species, & rationes omnes hujus Causæ promotæ à Patronis Cappellaniæ, quam Canonicus Ludovicus Desidéri in executionem voluntatis Cleopatræ Trani ejus Auctricis erexerat ad Altare S. Annæ dicatum in Ecclesia S.Mariæ Novæ Ordinis Servorum ejusdem Beatæ MariæVirginis Perusinæ Civitatis, repetendæ sunt *ex Folio Congregationis* habitæ *die 7. Septembris anni* 1776., quod in lucem hominum editum fuit *Volum. XLV. Thesaur. Resolut. Sacr. Congregat. pag.* 117.: Ast Eminentissimi Patres *in sequenti Congregatione diei* 23. *Novembris ejusdem anni* rescribendum censuerunt = *Dilata, & scribatur Episcopo Perusino, qui doceat, qua in Ecclesia sepultum sit Cadaver Cleopatræ Trani.*

Datæ fuerunt litteræ Perusino Antistiti, qui in ejus prima responsione diei 8. Julii 1777. in voto fuit concedendi pe-

petitam Cappellaniæ translationem à dictaEcclesia S.Mariæ Novæ ad Presbyteralem Ecclesiam Terræ Panicalis, & asseruit,huic translationi libenter assentiri Priorem, & Patres præfati Conventus, & Ecclesiæ S. Mariæ Novæ. In secunda verò ejusdem Episcopi informatione diei 13. Septembris dicti anni retulit, Cadaver Cleopatræ Trani tumulatum esse in eadem Ecclesia S. Mariæ Novæ.

A' Patronis Cappellaniæ, sive ab Executoribus Testamentariis supradicti Canonici Ludovici Desideri nova circumferuntur jura, ac inter cætera sustinetur, nunc exhibito Testamento Cleopatræ Trani, fundationem Cappellaniæ non aliter ab eadem Cleopatra demandatam fuisse, nisi in executionem voluntatis Petri Trani ejus germani fratris per ipsum panditæ in ejus imperfecto Testamento, quod ab eodem Canonico Desideri detinebatur, ejusdemque Petri Cadaver, uti retulit Perusinus Episcopus in ejus postrema relatione, tumulatum fuisse in Ecclesia S. Dominici Perusinæ Civitatis.

Quibus perpensis, munus erit EE. VV. sapientissimè definire.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Cononici Ludovici Desideri in casu &c.

Negativè.

ABULEN. ANNIVERSARIORUM. Data fuit hæc Causa *in Folio Congregationis* habitæ *die* 16. *Maii* superioris *annì* 1778., sed proposita non fuit. Eam iterum dedimus *in Folio Congregationis* habitæ *die* 30. *ejusdem mensis Maii*, & instante Congregatione Presbyterorum Sæcularium sub invocatione S. Benedicti Civitatis Abulæ celebrandi in Ecclesia Hospitalis S. Joachim quinquaginta quatuor Anniversaria, quæ ab iisdem Presbyteris in plurbus ejusdem Civitatis Ecclesiis, maximo cum eorum incommodo, modicoque recepto stipendio celebrantur pro Defunctis, quorum nomina, Fundationes, & Bona ob temporis edacitatem, & Saracenorum vastationes penitus ignorantur, censuerunt Eminentissimi Patres, rem esse melius explorandam, & rescripserunt = *Dilata, & scribatur Episcopo, quòd* *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

quatenus provideri non possit per decretum Alexandri VII. . . . . , transmittat Tabellam Anniversariorum, & indicet Ecclesias, in quibus sunt celebranda, & significet, an illarum consensus adsit pro translatione Anniversariorum.

His omnibus satisfecit Abulensis Antistes, qui iterùm retulit, Oratorum petitioni per Decretum Alexandrinum provideri non posse, transmisitque Tabellam, in qua notatæ sunt Ecclesiæ, in quibus Anniversaria celebranda sunt, ac demùm de consensu pro facienda Anniversariorum translatione penes acta, præstito ab omnibus indicatarum Ecclesiarum Rectoribus testatur Notarius, cujus testimonium unà cum Ecclesiarum Tabella à Presbyteris Oratoribus cum novis eorum juribus circumfertur. His adimpletis, nunc supereſt, ut *resumpto Folio dictæ Congregationis diei* 16. *Maii* 1778. definiatur Dubium, quod proponitur.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmativè, exceptis tamen Anniversariis in Ecclesia Cathedrali celebrandis, & firma remanente celebratione Missarum lectarum in designatis Ecclesiis

Sess. 24. *cap.* 3. *& 5. de Reformat. Matrim.*

COLONIEN. DISPENSATIONIS. Petrus Benedictus Joseph de Baring die 19. Martii 1773. Matrimonium in faciem Ecclesiæ celebravit cum Margharita Gisberta de Breidenbach, qui ambo sunt Diœcesis Colonienſis. Vix sexto elapso mense à dicto celebrati Matrimonii, nimirum sub die 4. Octobris ejusdem anni 1773. Petrus Sponsus fato cessit. Contubernium, & familiaritas Margharitæ Viduæ cum Philippo Ignatio de Baring defuncti Petri Viri germano fratre in causa fuit, ut iidem mutuo amore devicti cupiant Matrimonii nexu sese jungere data vicissim Matrimonii fide sub spe obtinendæ Apostolicæ dispensationis. At ambo asserentes Matrimonium Margharitæ cum defuncto Petro fuisse ratum dumtaxat, non autem consumatum, preces idcirco porrexerunt *SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO fæliciter regnanti* pro obtinenda dispensatione ab impedimento publicæ honestatis justitiæ. Hujus-

Hujuſmodi preces à Dataria Apoſtolica ablegatæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem. Hinc, ut moris eſt, datæ fuerunt Litteræ Officiali Colonienſi nedùm pro informatione, & voto, ſed etiam pro confectione Proceſſus ſuper non conſumatione Matrimonii à dicta Margharita Gisberta contracti cum Petro Benedicto Joſepho Philippi Ignatii prædefuncto germano fratre; Eoque compilato, & ad hanc Sacram Congregationem tranſmiſſo, ex eo habetur jurata depoſitio Margharitæ Viduæ formiter examinatæ teſtantis, ejus Virum tam ante, quàm tempore conſtantis Matrimonii, & uſque ad obitum læthali morbo laboraſſe, ipſamque pluries habuiſſe quidem carnalem copulam, ſemper tamen imperfectam cum Petro Viro ſuo, & ipſum copulæ ejuſdem imperfectionem faſſum fuiſſe, & de ea quoque judicaſſe Margharitam. Idque confirmatur ex jurata depoſitione duorum Teſtium formitèr examinatorum, nimirum Doctoris Phyſici, & Parochi Amblavienſis.

His juribus freti Oratores ſuſtinent, ex imperfecta carnali copula Matrimonium conſumatum nunquam cenſeri ex Sententia *Divi Thomæ in* 4. *diſt.* 41. *quæſt. unic. art.* 1. *quæſtiunc.* 4. *ad* 2., præſcripſitque *Cap. Lex Divina* 18. *cauſ.* 27. *quæſt* 2., *cap. Extraordinaria pollutio* 11. *cauſ.* 35. *quæſt.* 10., *cap. Porro* 3. *cauſ.* 35. *quæſt.* 5., & *Sanchez de Matrim. diſput.* 64. *num.* 8., & ex Matrimonio non conſumato dumtaxat oriri impedimentum publicæ honeſtatis *Barboſ. ad Concil. Trident. Seſſ.* 4. *cap.* 3. *de Reform. num.* 2., *Sanchez de Matrim. dicta diſput.* 64. *num.* 25., *& Ferrar. Bibliot. Canon. verb. Impedimenta Matrimonii ſub num.* 20., pluresque congerunt legitimas cauſas concedendæ Diſpenſationis, nimirum diffamationem Margharitæ, ſcandala, jurgia, inimicitias, & alia plurima legenda in eorum circumferendo libello.

Officialis Colonienſis in ejus Informatione retulit, Matrimonium Margharitam inter, & Petrum de Baring Oratoris fratrem ex Teſtibus fide dignis, & ex jurata relatione Viduæ, ita ut major certitudo moraliter haberi non poſſit, conſumatum non fuiſſe, fuitque in voto concedendi diſpenſationem ſuper impedimento publicæ honeſtatis ex Matrimonio tàntum rato proveniente.

Ad rem faciunt jura relata in ſimili Cauſa, cui titulus *Uritana Diſpenſationis*, eaque legi poterunt *in illius Folio*

Congregationis habitæ *die 7. Junii 1777.*, quod publici Juris factum est *Volum. XLVI. Thesaur. Resol. Sacr. Congregat. pag.* 86. In ea enim licèt ageretur de Matrimonio contracto cum Homine morti proximo, qui revera biduo post celebratum Matrimonium decesserat, geminis tamen *ea die* propositis Dubiis I. *An constet de Matrimonio rato, & non consumato Antonii Adorante cum Francisca Xaveria Pulli in casu &c.* = & quatenus affirmative = *An sit consulendum Sanctissimo pro Dispensatione in casu &c.* = Eminentissimi Patres responderunt = *Non esse consulendum Sanctissimo pro dispensatione* = Dubium est.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 22. cap. 2. de Sacrif. Miss.

MEDIOLANEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Parochialis Ecclesia S. Mariæ Pedonæ nuncupatæ Mediolanensis anno 1627. ex redditibus Parochialibus, nec non ex fructibus binarum Cappellaniarum in Collegiatam erecta fuit à sa. mem. Urbano VIII, & in ea sex institutis Canonicatibus præter Præposituram, quæ Dignitas inibi principalis existeret, mandavit, quòd Præpositus, & Canonici singulis diebus horas Canonicas tam diurnas, quàm nocturnas ad Missam Majorem, seu Collegialem, aliaque Divina Officia collegialiter, servata Ecclesiastica Disciplina, decantare, psallere, & recitare, illisque interesse teneantur, assignata unicuique Canonico Præbenda vigintiquatuor Ducatorum auri de Camera, Præposito verò sexaginta.

Successivis inde temporibus præscriptum Chori servitium (ignoratur quomodo) redactum fuit ad dies festos tantùm. Hoc Divini cultus decrementum vindicare cupiens pius vir Christophorus Benzi Mediolanensis contractum iniit cum Capitulo, vi cujus idem Capitulum sese obligavit servitio Chori, & divinis officiis quotidie, & in perpetuum incumbere, nec non Missam cum cantu quolibet die pariter, & in perpetuum celebrare in expiationem Animæ Christophori, ejusque Defunctorum. In correspectivitatem hujus assumpti oneris Christophorus

pro-

promiſit anno quolibet Capitulo tradere libras Imperiales quatuor mille correſpondentes ſcutis 533. monetæ Romanæ, nimirum libras 2000: per ipſum Chriſtophorum ratatim quolibet Trimeſtri, & ab ejus hæredibus quolibet Semeſtri numerata pecunia ſolvendas in perpetuum; Reliquas verò libras 2000. percipiendas ex redditibus nonnullarum Domorum in proprietate Capitulo cedendarum, pluresque adjecit conditiones perpetuam ſervitii Chori, & cantatæ Miſſæ quotidianam obſervantiam, & celebrationem, nec non firmam, certamque pecuniarum erogationem in utriuſque oneris adimplementum reſpicientes, aliter aſſignati redditus librarum annuarum 4000. applicari deberent Hoſpitali Majori Mediolani cum onere celebrare faciendi quotidianum Sacrum, & quod ſupereſt in operibus piis ejuſdem Hoſpitalis erogandi.

Hujuſmodi perpetuæ Conventionis Inſtrumentum anno 1715., Ordinaria intercedente, auctoritate ſtipulatum fuit ſub reſervatione Beneplaciti Apoſtolici Capitulum inter, & Hæredes interim defuncti Chriſtophori Benzi, à quibus etiam ſolutæ fuerunt aliæ libræ 2232. pro ceſſarum Domorum reparationibus, quanti eas electi Periti æſtimaverant. Ex his autem libris 4000. Canonici tunc aſſignarunt libras 360. pro Miſſæ Conventualis celebratione, aliaſque libras 40. pro manutentione Sacrarii.

Verum cum de anno 1754. ſupervenerit Encyclica ſa. mem. Benedicti XIV., quæ incipit = *Cum ſemper* præſcribens celebrationem Miſſæ Conventualis cum applicatione pro Benefactoribus in genere, ſollicitum fuit Capitulum præſcriptam Conventualem Miſſam, præter alteram cum applicatione pro ſingulari Benefactore Chriſtophoro Benzi, celebrare pro Benefactoribus in genere diebus tàntum feſtis, quemadmodum reſidentia feſtivadumtaxat Capitulo incumbebat ante piam Chriſtophori Benzi diſpoſitionem. Nunc autem aucta in Civitate Mediolanenſi Miſſarum eleemoſyna, cum aſſignatæ libræ 360. impares ſint ad celebrationem duplicis Miſſæ Conventualis omnibus diebus feſtis cum applicatione quoad unam pro Bentio, & quoad alteram pro Benefactoribus in genere, ſupplicarunt idcirco Canonici Sacram hanc Congregationem pro illarum reductione ad unicam tantùm Miſſam ſingulis diebus feſtis de præcepto

pto celebrandam, applicandamque pro omnibus Benefactoribus in genere.

Canonicorum votis adhæsit Eminentissimus Archiepiscopus pro Informatione, & voto requisitus, additque, Capitulum modò constitui decem Canonicis unà cum Præposito, illudque = *ante piam dispositionem Bentiam diebus tàntum festis, ab inde in antea quotidiè Choro, & Divinis Officiis addictum est; redditus Canonicatuum hujusmodi non excedunt summam scutorum sexaginta monetæ Romanæ comprehenso augumento Dotis factæ à dicto Bentio Massæ Capitulari cum oneribus prædictis attingente scuta quinque centum similia* = His positis Capitulum instantiam reductionis renovat in suo circumferendo libello.

Plura in Causa ponderatione digna sunt. Primum, quòd detractioni annuarum librarum quadraginta pro manutentione Sacrarii factæ ex assignatis libris 4000. videtur obicem præbere voluntas, sive septima ex decem conditionibus, sub quibus eadem assignatio facta, receptaque fuit. Verba septimæ conditionis sunt sequentia = *che detta annua rendita non possa, ne debba in alcun tempo, ò per qualunque caso soggiacere ad alcun peso, e diminuzione per causa di manutenzione di cera, paramenti, o altro, e ne pure per alcun pagamento de Chierici, Organista, Musica, Custodi, o per qualunque altra spesa, che possa considerarsi di presente, & in futuro, niuna eccettuata, mà che detta annua rendita servi solo per la detta Officiatnra, e Messa quotidiana, come sopra.*

Item, quòd onus celebrandi Missam cum cantu diebus etiam festis in expiationem Animæ Christophori Benzi, præter assiduum Chori servitium, acceptum fuit à Capitulo per contractum, ideoque reductioni minimè subjectum ex constanti Sententia hujus Sacræ Congregationis, de qua præsertim *in Romana Reductionis Oneris Missarum diei* 18. *Aprilis* 1773.

Ac demum, quòd in Encyclica San. Mem. Benedicti XIV. *sub §. Hæc igitur* consideratur in specie casus, nimirum, quòd in aliqua Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia vigeat onus quotidiè celebrandi Missam Conventualem cum applicatione pro certo aliquo Ecclesiæ Benefactore, voluit tamen Pontifex, quòd etiam Missa Conventualis celebretur, ea adjecta ratione, quia hoc præscriptum onus = *non quidem respicit singulares aliquos Benefactores,*

res, ſed Benefactores in genere cujuslibet Eccleſiæ, cujus ſervitio addicti ſunt quicumque in eadem Dignitates, ſive Canonicatus, ſive Manſionariatus, ſive Beneficia Choralia obtinent, & Miſſam Conventualem ſuis reſpective vicibus celebrant.

An autem Canonici cum redditibus annuorum ſcutorum ſexaginta pro quolibet, comprehenſo etiam augumento Dotis Maſſæ Capitulari à Bentio facto, teneantur nec ne ad implendum onus celebrationis duplicis Miſſæ Conventualis diebus feſtis, unius ſcilicet pro Bentio, & alterius juxta Benedictinam Encyclicam proBenefactoribus in genere, ſeù potius debeant unicam tantùm celebrare Miſſam Conventualem cùm applicatione pro omnibus Benefactoribus in genere, juxta petitam reductionem, ipſi viderint Eminentiſſimi Patres, dum quæritur.

An Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ Pedonis Civitatis Mediolanenſis in diebus feſtis teneatur ad celebrationem duplicis Miſſæ Conventualis, ſeú potius ſit locus reductioni impoſiti Oneris, & celebrationi unius tàntum Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere in caſu &c.

TERRACINEN. Aderat in agro Terræ Somneni Diœceſis Terracinenſis parva ruralis Eccleſia Divo Nicolao Barenſi dicata per biſmille, & ultra paſſus à dicta Terra Somneni diſtans, ac pertinens ad Monaſterium, & Moniales Ordinis Ciſtercienſis S. Mariæ *delle Canne* nuncupatæ. Ad eam ex veteri, & immemorabili conſuetudine Clerus præfatæ Terræ feria ſecunda Pentecoſtes quotannis proceſſionaliter accedere, inibique tria Sacra, quorum unum cùm cantu, celebrare conſueverat, eidemque Clero ſcuta quinque numerato perſolvebantur à Monaſterio loco Prandii, ad quod præſtandum in ſpecie antiquitus tenebatur idem Monaſterium, cui etiam onus inerat celebrandi in prædicta rurali EccleſiaMiſſam unam lectam qualibet Feria ſexta menſis Martii cum eleemoſyna juliorum trium pro qualibet. *Seſs.25.cap.13. de Regular., & Monial.*

In Congregatione *diei* 14. *Aprilis* 1764. gemina propoſita fuerunt Dubia, quorum *primum* profanationem dictæ ru-

ruralis Ecclesiæ respiciens his verbis conceptum erat = *An sit locus profanationi Ecclesiæ ruralis S. Nicolai de Bario à Monialibus Cystercienſibus in Territorio Oppidi Somneni possessæ* in casu &c. & *secundum* quatenus esset admittenda Ecclesiæ profanatio, sequens erat = *An Sacræ Imagines, supellectilia, & onera quæcunque in eadem Ecclesia existentia transferri, & respective adimpleri valeant in Ecclesia propria dictarum Monialium in casu &c.* = quibus Sacrum hoc Tribunal *in Congregatione* habita *die 2. Junii ejusdem anni* 1764. dedit responsum = *Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi* = *Ad II. Affirmative, & quoad onera scribatur Episcopo juxta instructionem* = ut videre est *in Vol. XXXIII. Thesaur. Resolut. Sac. Congregat. pag.* 68., & 85.: Instructio verò Terracinensi Episcopo data hæc fuit = *Deveniat igitur Amplitudo tua ad profanationem Ecclesiæ, de qua igitur, secundum ea, quæ servari mandat Sacra Congregatio Concilii Sess. 21. cap. 7. de Reform.: Ad qualitatem verò transferendorum Onerum quod spectat, transmissa singulorum fundatione, distinctè referat super eorum qualitate, & de reducenda eleemosyna Missarum ad effectum augendi eorum numerum.*

Vigore hujus tributæ facultatis processit Episcopus ad profanationem antedictæ ruralis Ecclesiæ, servata forma à Sacrosancto Concilio Tridentino præscripta: Sacræ verò Imagines, supellectilia, & onera quæcunque, quæ erant in profanata rurali Ecclesia, translata fuerunt ad Ecclesiam Monasterii, proindeque ea Processio, sive supplicatio, quam Somneni Clerus facere consueverat à Collegiata Ecclesia ejusdem Oppidi ad sæpedictam ruralem Ecclesiam ante illius profanationem, duci cœptum est ad propriam Monialium Ecclesiam, quæ ab Oppido Somneni distat per mille passus, & eadem adimpleri onera nimirum ex parte Cleri inibi juxta solitum celebrandi Sacra, & ex parte Monialium solvendi Clero scuta quinque inter præsentes distribuenda.

Quia hujusmodi Processio, sive Cleri supplicatio nec Populo ædificationi, nec Divo Nicolao decori nunc esse videtur, exoptant ipsius Monasterii Abbatissa, & Moniales eam imposterum omittere. Verentes tamen, ne ea repetenda sit non à simplici usu, vel devotione, sed ab aliquo Legato, præsertim cujusdam Sebastiani Infan-

fancelli, qui duobus ab hinc Sæculis earum Monaſterium ſcripſerat hæredem, cujus tamen Tabulæ ſingulis adhibitis perquiſitionibus, & diligentiis non inveniuntur, ſupplicant idcircò EE. VV., ut, prætermiſſa publica, modoque minus decenti Supplicatione, mandent, ſcuta quinque Clero ſolvenda erogari in celebrationem unius Miſſæ cum cantu unà cum aliis quinquaginta Miſſis lectis in expiationem Animæ præfati Infancelli Beneſactoris anno quolibet, & in perpetuum.

Auditus Epiſcopus non ſolum prænarrata confirmat, ſed etiam refert, quòd = *ex copia relationis ipſius met Epiſcopi ſub datum 25. Julii dicti anni* 1764. *colligitur, ignorari prorſus talium Onerum fundationem, cum nulla in Libris Monaſterii reperiatur memoria, ſed veterem tantum de iis vigere conſuetudinem, ſeu traditionem; Et quoad eleemosynæ reductionem ex dicta pariter relatione colligitur, ipſum Epiſcopum fuiſſe in votis, quòd pro augendo numero Miſſarum in viciniori Eccleſia Monaſterii ex prædictis ſcutis quinque, quæ à Monaſterio loco prandii tradebantur Clero pro Proceſſione, ac unius Miſſæ cantatæ, & duarum lectarum celebratione Feria ſecunda Pentecoſtes, aliqua detraheretur ſumma ad arbitrium iſtius met Sacræ Congregationis in celebrationem Miſſarum eroganda ad eleemosynam obulorum quindecim pro qualibet, ad quam etiam rationem alia eleemosyna obulorum triginta pro Miſſis in ſingulis feriis ſextis Martii reducenda foret.*

Addit, de hac propoſita Eleemosynarum reductione nec in actis Curiæ Epiſcopalis, nec in Monaſterii Codicibus ullam adeſſe hujus Sacræ Congregationis reſolutionem.

Ad hodiernam Monialium petitionem quod attinet, refert, nullum ex repetitis modò diligentiis inveniri potuiſſe monumentum Fundationum dictorum onerum; auditiſque jam utroque Capitulo Canonicorum ſcilicet, & Beneficiatorum, aliiſque de Clero Terræ Somneni, qui tantummodo hac in re habere poſſunt intereſſe, unumquemque eorum præſtare conſenſum.

Concluditque = *Ego cenſerem, impertiri poſſe petitam gratiam ſupprimendi Proceſſionem, quæ ob aſperas, præruptaſque vias unius circiter milliarii parvo Cleri numero, ac minori Populi frequentia nimis indevotè celebratur, nullo ordine, nulloque ritu in ea ſervato: Summam autem dictorum ſcutorum quinque loco Prandii tributorum*

erogari in celebrationem Miſſæ unius cum cantu in honorem S. Nicolai Barenſis, aliarumque lectarum ad eleemosynam obulorum quindecim pro qualibet, & ad eamdem etiam rationem reduci eleemosynam obulorum triginta pro Miſſis in Feriis ſextis menſis Martii celebrandis, ad hoc ut earum numerus augeatur, prout habetur in præfatis litteris iſtius Sacræ Congregationis ſub die 2. Junii 1764.

Iterum etiam de mandato Sacræ Congregationis perquiſitis pulverulentis Monaſterii Codicibus pro inveniendis fundationibus Miſſarum, & Proceſſionis, quæ adfuiſſe aſſeruntur in profanata rurali Eccleſia, in irritum omnes ceſſerunt conatus, ut teſtimonium perhibet Abbatiſſa Monaſterii ſub datum diei 15. Junii ſuperioris anni 1778.

Quid igitur ſtatuendum ſit, pertinet ad EE. VV. definire ſub Dubio, quod ſequitur.

An, & quomodo Abbatiſſæ, & Monialium Oratricium precibus ſit annuendum in caſu &c.

Die Sabbathi 5. Junii 1779. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

PLaceat Eminentiſſimis Patribus Folium poſtremæ *Congregationis ſub diem* 15. *mox elapſi menſis Maii* habitæ reſumere, & quatuor Cauſas in eo deſcriptas, quarum diſcuſſio ad hanc diem dilata fuit, ſapienti, quo ſolent, Oraculo decidere.

SENOGALLIEN. PRÆEMINENTIARUM, cujus unum Caput eſt. *Seſſ. 21. cap. 4. de Reformat., & Seſſ. 25. cap. 13. de Regular.*

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

Ad I. in Deciſis, & amplius quoad Actus præeminentiales tantum. Ad II. in Deciſis, & amplius. Ad III. in Deciſis, & amplius. Ad IV. recedendum a Deciſis, & licere Parocho S. Severi deferre Stolam collo pendentem.

COLONIEN. DISPENSATIONIS, in qua reſpondendum eſt. *Seſſ. 24. cap. 3. & 5. de Reform. Matrim.*

An ſit conſulendum SSmo pro diſpenſatione in caſu &c.

Negative.

MEDIOLANEN. MISSÆ CONVENTUALIS, in qua diſquiritur. *Seſſ. 22. cap. 2. de Sacrif. Miſt.*

An Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ Pedonis Civitatis Mediolanenſis in diebus feſtis teneatur ad celebrationem duplicis Miſſæ Conventualis, ſeu potius ſit locus reductioni impoſiti oneris, & celebrationi unius tàntum Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere in caſu &c.

Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam.

Seſſ.25. cap.13. de Regular., & Monial.

TERRACINEN., cujus Dubium eſt.
An, & quomodo Abbatiſſæ, & Monialium Oratricium precibus ſit annuendum in caſu &c.

Negative, & ſcribatur Epiſcopo ne Scandala oriantur.

Seſſ.24. cap.14. de Reform.

LEODIEN. Hæc Cauſa, quæ definienda erat *in Congregatione diei 17. nuper elapſi menſis Aprilis*, nunc reproponitur, ut definiatur.
An ſit ſtandum vel recedendum à deciſis in caſu &c.

Reliquæ non propoſitæ.

Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

FERETRANA MATRIMONII. Jacobus Maſtini, & Livia Fucci Civitatis Pinnæ Billorum Feretranæ Diæceſis ſub die 30. Septembris 1777. ſociati à Liviæ Matre, & Amicis poſt meridiem acceſſerunt ad Prædium Canonici Manduchi Liviæ Parochi, qui ibidem erat, & eò perventi Jacobus, appræhenſo dictæ Liviæ brachio, ſe cum ea præſentavit coram Parocho, & his verbis conſenſum ſuum aperuit = *Signor Canonico queſta è la mia Spoſa* = viciſſim reſpondit Livia = *E queſto è il mio Spoſo* = dixitque Jacobus Joſepho Ripini, & Franciſco Mariæ Gambarini ibidem præſentibus = *E voi due ſervirete per Teſtimonj* =, ſubditque Parocho, ut inpoſterum publicas expleret Denunciationes, utque Matrimonium actum referret in Cancellaria; putans autem Parochus Sponſos ludere, eos objurgavit ajens = *ſiete matti, ſiete matti = ſono celie ! burlate* = At verò Sponſis diſcedentibus, ac à Parocho diſtantibus per undecim, vel duodecim paſſus, iidem Sponſi eorum ratihabuerunt conſenſum, dùm Jacobus Parocho diſtanti, ſed benè audienti, ac intelligenti denuò dixit = *queſta è la mia Spoſa* =, & Livia ſubdit = *dico dà vero* =: Parochus autem Sponſos iterum repræhendit = *non ſi dicono queſte burle, queſte Celie*.

Re delata ad Epiſcopalem Curiam, Livia collocata fuit in Monaſterio ejuſdem Civitatis Pinnæ, fuitque ſubinde translata in aliud Cœnobium extra Diæceſim, & Jacobus

ſeſe

seſe recepit in Conventum PP. Eremitarum Divi Auguſtini dictæ Civitatis. Dum Criminalis Proceſſus à Fiſco conficiebatur, Anna Hieronyma Fucci Sponſæ Amita tam nomine proprio, quàm etiam nomine Advocati Donati Fucci Sponſæ Patris civile judicium inſtaurarunt in Curia Eccleſiaſtica Pinnæ ſuper nullitate Matrimonii, formiterque examinatis Parocho, & Matrimonii Teſtibus, receptaque ab utroque Sponſo ratihabitione initi Matrimonii, adjecta declaratione illud renovandi, quatenus ambigua eſſet illius validitas, Judex tandem de mandato *hujus Sacræ Congregationis*, ad quam preces pro ſollicita Cauſæ definitione à Conjugibus porrectæ *à SSmo Domino Noſtro* ablegatæ fuerant, Sententiam pronunciavit pro nullitate Matrimonii, mandavitque ſimul per actum ſeparatum eſſe Conjugibus concedendas Publicationes pro celebrando eos inter ex integro Matrimonio juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Sponſi adverſus Sententiam nullitatem Matrimonii declarantem recurſum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem: Donatus verò Sponſæ Pater adverſus demandatam Publicationum conceſſionem appellavit ad A. C., eaque pariter delegata ad hanc Sacram Congregationem, auditus de more fuit Feretranus Antiſtes, qui tranſmiſſo Civili tantùm Proceſſu, præfixoque Annæ Fucci, ac Donato Fucci, & pro eo illius Procuratori termino ad deducendum jura ſua coram Sacra Congregatione, retulit, Liviam Sponſam adhuc perſiſtere *in voluntate ſe in Matrimonium conjungendi cum Jacobo Maſtini*, ac inſtare *pro hujus conſecutione*.

Cauſa nunc proponitur geminis compoſita Dubiis, quorum primo reſpicienti nullitatem clandeſtini Matrimonii contradicit Matrimonii Defenſor ſuſtinens illius validitatem, ſpreta Sententia, Actiſque geſtis in Curia Eccleſiaſtica Feretrana tamquam non ſervatis ſervandis, & neglecta deputatione Defenſoris Matrimonii contra formam præſcriptam in ſaluberrima Conſtitutione ſa. mem. Benedicti XIV., quæ incipit = *Dei Miſeratione* =: Verſatur alterum ſuper abſolutione à mulcta clandeſtinè Contrahentibus à Fiſco præſcripta in ſcutis quinquaginta, ſuper quo agit utriuſque Sponſi Defenſor.

Ad primum enim Dubium quod attinet, ponderandum occurrit, Matrimonia clandeſtina inita coram Parocho Sponſæ, geminiſque præſentibus Teſtibus deteſtari quidem, non autem irritari ab Eccleſia, & à Sacroſan-

cto Concilio Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.*, ibique *Barboſ. in Concil. Trident. per tot.*, & præſertim *num.* 28., ubi firmatur, Denunciationes non requiri pro Matrimonii ſubſtantia, aut forma, nec illarum omiſſionem irritum efficere Matrimonium. Sat enim eſt, quòd pro illius validitate interſit proprius Sponſæ Parochus, & coram eo, Teſtibuſque præſentibus reciprocus accedat Contrahentium aſſenſus per verba de præſenti, licèt Parochus diſſentiat *Gallemart. in addit. ad Sacr. Concilium Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. verſ. Congregatio Concilii*, *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *diſput.*39. *num.*9., *Guttier. eodem tractat. cap.*69. *num.*3., & in his terminis pluries pro validitate Matrimonii reſpondit hæc Sacra Congregatio, & in ſpecie *in Cæſenaten.*, *ſeù Forolivien. Matrimonii* 20. *Februarii* 1723., *in Firmana Matrimonii* 24. *Aprilis ejuſdem anni*, *in Neritonen. Matrimonii* 14. *Junii* 1738., *in Nicien. Matrimonii* 13. *Februarii* 1751., & *in Coſentina*, *ſeu Biſinianen. Matrimonii* 15. *Aprilis* 1752.

Porrò de reciproco Contrahentium conſenſu unanimiter teſtantur formiter examinati Teſtes Matrimonii: Et quamvis Parochus in ſuo examine aſſeruerit ipſum intellexiſſe conſenſum Sponſi, non autem illum Sponſæ, attamen Sacra Congregatio *in Sarzanaten. Matrimonii* 15. *Februarii* 1646. propoſito Dubio = *An Matrimonium contractum abſque Denunciationibus*, *& ſine licentia Ordinarii coram Teſtibus*, *& Parocho contradicente*, *qui audivit tantummodo verba conſenſus per Sponſum præſtiti*, *dum præmanibus habens Sponſam dixit* = queſta è mia Moglie = *& audivit*, *quòd Sponſa dixit nonnulla verba*, *quæ tamen non intellexit*, *an ſit de jure validum*, *& ſubſiſtat* = reſpondit = *Matrimonium ſuſtineri*, *etiamſi Parochus non intellexerit verba Sponſæ*, *dùm tamen de illius conſenſu ex aliis ſignis juxta juris communis diſpoſitionem legitime conſtet* = idemque firmavit etiam *Sacra Rota in Majoricen. Matrimonii* 8. *Julii* 1749. §. 6. *coram bo. me. Canilliac.*

An autem ſimultanea appropinquatio Jacobi, & Liviæ ad Parochum, ejuſdemque Liviæ non contradictio ſaltèm nutu facta verbis à Jacobo prolatis = *Signor Canonico queſta è la mia Spoſa* =, ejuſque verba à Parocho ſatis intellecta, quæ ipſa Livia parum ab eodem Parocho diſtans, dum Jacobus reiterando conſenſum ſuum dixerat = *queſta è la mia Spoſa* = immediate protulit = *dico*

dà

de vero = : nec non illius conſtantia, & perſeverantia in ſua voluntate pro valido habendi Matrimonium à ſe cum Jacobo clandeſtinè contractum, ut apparet ex geminis per ipſam obſignatis foliis, ubi etiam proteſtata fuit, velle iterum cum Jacobo rite, & valide contrahere Matrimonium, quatenus contractum eſſet nullum, ſigna externa, & univoca ſint indicantia internum animum, & conſenſum Liviæ, munus erit Eminentiarum Veſtrarum hæc omnia perpendere, ac definire.

Sacra Congregatio in caſu Matrimonii clandeſtinè contracti coram Parocho, qui conſenſum Sponſæ non audivit, duo Teſtes tamen adhibiti deponebant de verbis Sponſæ conſenſum ſuum exprimentibus, pro illius validitate reſpondit *in Patavina Matrimonii* 11. *Maii* 1669. ut *in lib. Decr.* 26. *fol.* 227. *tergo*, *in Venetiarum Matrimonii* 11. *Martii* 1673 *ut in lib. Decret.* 28. *fol.* 41., *in Taurinen. Matrimonii* 26. *Januarii* 1771., ac in terminis, in quibus nec Parochus, nec Teſtes audiverant Sponſæ conſenſum *in Romana Matrimonii* 28. *Jul.* 1730., in qua propoſito Dubio = *An conſtet de validitate Matrimonii in caſu &c.* = Reſponſum fuit = *Renovetur conſenſus ad cauthelam coram Parocho, & Teſtibus juxta formam Sacr. Concilii.*

Quod verò pertinet ad *Secundum* Dubium reſpiciens abſolutionem, quam cauſa tot paſſarum vexationum, & expenſarum poſtulat Jacobus a pecuniaria mulcta eidem impoſita a Criminali Curia Epiſcopali Feretrana in ſcutis quinquaginta, vel ſaltem ut illius quantitas imminuatur, Sacra Congregatio *in Firmana Matrimonii* 24. *Aprilis* 1723. *ad II. Dubium* his verbis conceptum = *An, & quæ pœna ſit imponenda Conjugibus in caſu &c.*, reſpondit = *Ad Secundum eſſe ſolvendam aliquam eleemoſynam Eccleſiæ Parochiali Montis Giberti arbitrio Eminentiſſimi Præfecti, & amplius, Eminentiſſimus Præfectus ſubinde decrevit, præfatam eleemoſynam eſſe ſolvendam in ſcutis decem* =, *& in Callien. Matrimonii* 7. *Septembris* 1776. *ad I. Dubium* = *An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.* = reſponſum datum fuit = *Ad Primum Negative, & ad mentem, & ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo quoad Mulctam* = & die 14. ejuſdem menſis Septembris *Sanctiſſimus, audita mea relatione, benignè annuit pro gratia abſolutionis à quacumque pœna.*

Jura circumferuntur à Defenſore Matrimonii, & à Iacobo pro abſolutione, ſeu diminutione Mulctæ. A Defenſore

fore Advocati Donati Fucci Sponſæ Patris etſi pluries, plurieſque monito, ac ad dilationem etiam eo poſtulante per me admiſſo nihil habuimus, ac nihil etiam habuit Matrimonii Defenſor. Dubia ſunt.

I. *An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.* = & quatenus negative.

II. *An ſit locus Mulctæ pecuniariæ, & in qua ſumma in caſu &c.*

Seſſ. 25. cap. 15. de Regular.

AVENIONEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

Anno 1770. ſub die 8. Aprilis Ioannes Antonius Guintrandy Habitum aſſumpſit Ordinis Canonicorum Regularium Sanctiſſimæ Trinitatis Redemetionis Captivorum, abſolutoque anni Tyrocinio, ſolemnem emiſit profeſſionem. Sexennio elapſo, querelas ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum detulit de nullitate dictæ ſuæ Profeſſionis tum ob vim, metumque gravem ſibi a Chriſtopharo Patre incuſſum, tum ob Novitiatum interruptum, petiitque propterea ſe in integrum reſtitui. Precibus ad hanc Sacram Congregationem remiſſis, confectoque Proceſſu ad formam notiſſimæ Conſtitutionis ſame. Benedicti XIV. incipien. = *Si datam* = nunc quæritur, an petita reſtitutio in integrum ſit concedenda.

Inquit Joannes Antonius, ſe non niſi gravi metu Patris ingreſſum fuiſſe religioſum Ordinem: Semper à religioſo ſtatu fuiſſe alienum: minis autem paternis debuiſſe Ordinem ingredi, ne fame periret: Vix Novitiatu incepto, illico ſe ſtatu Religioſo averſum declaraſſe: Pluries, eodem perdurante Novitiatu, à Monaſterio clàm noctu aufugiſſe: Sociis animum ſuum adverſum manifeſtaſſe: aſſiduo mærore oppreſſum fuiſſe: ſæpiuſque lacrymis averſionem ſuam oſtendiſſe: In præcedenti Profeſſionis die acriter reſtitiſſe: Patris tamen minis, ac iſtigationibus ad eam emittendam inductum fuiſſe: Non niſi verbo tenus Profeſſionis formulam emiſiſſe: eamque poſtmodum de nullitate declamaſſe: Pluries cogitaſſe, ac tentaſſe de nullitate deducenda, ſed Patris metu, ac concuſſionibus ſemper perterritum: Numquam demum

nec

nec Ordines, nec officia ſuſcipere voluiſſe . Hæc omnia conſtare ex Patris , Religioſorum , aliorumque Teſtium examine .

Arguit hinc omnem defuiſſe conſenſum , & quidem liberum , & Profeſſionem non niſi ex gravi metu à Patre ſibi incuſſo emiſſam fuiſſe . Nec obeſſe , quòd Pater primum negaverit omnem metum, omneſque minas ; Hunc enim ſemper infenſum fuiſſe cuivis nullitatis querelæ , ſed poſtea coactum Conſcientiæ ſtimulis incuſſum metum, allataſque minas confirmaſſe . Nec alios Teſtes velut in dicto ſingulares negligendos eſſe , nam in materia minarum etiam Teſtes ſingulares utpotè de re domeſtica deponentes ſolide probare : Cœterum eos omnes Teſtes in id unum tendere , ut metum , minaſque Patris demonſtrent , hinc unius dictum ab alterius dicto fulciri , & coadjuvari , fatiſque ex omnibus probari metum , & minas *Rot. deciſ.* 211. *num.* 15. *part.* 13 *Rec.*

Addit , adhuc durante probationis anno , ſe pluriès nocturno tempore , Religioſo Habitu dimiſſo , ac veſtibus ſæcularibus indutum è Conventu aufugiſſe, ſuumque animum Amicis aperuiſſe , ſe nolle profeſſionem emittere : Ex iis autem ſuſtinet , interuptum extitiſſe Novitiatum , inductamque propterea claram emiſſæ Profeſſionis nullitatem *Urſay. tom.* 3. *part.* 1. *diſc.* 8. *num.* 48. , *Rot. coram Arguell. deciſ.* 89. *num.* 19. Hinc perperam opponi , non conſtare de animo deſerendi Religionem: Hoc enim indubium reddi ex dimiſſione religioſi Habitus , & Sæcularium Veſtium aſſumptione *Rot. cor. Arguell. dict. deciſ.* 89. *num.* 1. : Inſuper in iis nocturnis diſceſſibus ſemper declaraſſe , ſe nolle in Religione perſeverare , ex quo certum reddi ejus animum Religionem deſerendi .

Contra verò Religionis Defenſor inquit , binos Teſtes deponentes de metu , vel minis Patris ante ingreſſum in Religionem eſſe mere extrajudiciales , & nonniſi poſt abſolutum Proceſſum in lucem veniſſe , eoſque inſuper nullam ſcientiæ cauſam reddere , nec minas , vel metum exprimere . Patrem verò in reſponſionibus ad articulos omnem metum , omnemque minas negaſſe , hancque Patris juridicam confeſſionem aliis poſterioribus anteponendam eſſe . Ulterius eumdem Patrem unicè de metu , & de minis deponere poſt jam expletam Profeſſionem ad impediendam nullitatis querelam : Hinc ſpernenda eſſe mæſtitiæ , mæroriſque ſigna, nec non lacrymas tempore Novitiatus . Hæc omnia nullam coactionem evin-

cere, ideoque inepta habenda esse ad Professionis nullitatem evincendam. Paternas item reprehensiones ante Professionem vix ab unico Teste probari.

Advertit nocturnos discessus a Conventu Probationis tempore per viles Testes probari. Addit, tria esse ostendenda, ut ex iis Probatio interrumpatur, nimirum dimissio Habitus, egressus à Monasterio, & deliberatus animus Religionem deserendi *Tambur. de jur. Abbat. disput. 4. quæst. 8. num. 4.* Uno enim ex his deficiente, Probationem non interrumpi docet *Schimier. in jus Canon. lib. 3. tract. 1. part. 1. cap. 3. Sect. 3. §. 1. de Novitiatu num. 126.* idcirco licèt verus sit discessus cùm dimissione religiosi Habitus, & assumptione Sæcularium Vestium, cum tamen defuerit animus deserendi Religionem, prout argui debet ex ultroneo semper reditu, non inde Novitiatum interruptum remansisse *Card. Petr. ad Constit. Apost. tom. 5. Constit. 9. Sixti IV. Sect. unic. num. 3.*, & *Passerin. de Stat. Homin. tom. 3. quæst. 89. num. 122.*

Archiepiscopus Avenionensis, toto perspecto Processu, concludit = *mi sembra, che l'EE. VV. possino essere disposte ad accordargli la grazia dal Religioso Guintrandy richiesta. Credo opportuno di aggiungerle, che il Supplicante è di pessimi costumi, libero nel proposito, e nel fatto. Ultimamente era partito dal Convento per rendersi in un Villagio del Contado, ove hà commesso eccessi di libertinaggio. Monsignor Vescovo di Vaison rendendomi avviso della di lui indegna condotta, fui obligato fargli un precetto di ritornare nel termine di 24. ore in Convento, e di ordinare al Superiore di non permettergli di sortire dallo stesso senza una precedente mia permissione, affine di evitare ogni scandalo nella Città.*

Vulgati juris est, Regularem Professionem penitus nullam, & irritam esse, si vel ob gravem metum emissa fuerit, vel non adhuc completo integro, ac continuo Probationis anno. Non autem omnis metus sufficit, sed requiritur gravis, & cadens in constantem Virum in ipso met Professionis tempore, *Rot. coram Cerro decis. 285. n. 3.*, & *cor. Molin. decis. 798. num. 59.* Annus verò Probationis non interrumpitur per simplicem egressum è Conventu etiam cùm dimissione Regularis Habitus, nisi simul concurrat animus Religionem deserendi *Tambur. de jur. Abbat. disput. 4. quæst. 8. num. 4.*, *Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 44. num. 122.*

An autem in casu satis probatus sit vel metus gravis à Patre in-

incuſſus, vel egreſſus à Conventu cùm animo Religionem deſerendi, dijudicent Eminentiſſimi Patres, dum quæritur.

An ſit locus reſtitutioni in integrum in caſu &c.

BAREN. IRREGULARITATIS. In Oppido Monteronis Barenſis Diœceſis ſuper contractis Sponſalibus ineundi Matrimonii inter Xaverium Scattaglia, & Conſtantiam Scattaglia rumor invaluit, cujus cauſa fuit Vitus Angiulo, ut Conſtantia tùm à Sponſalibus, tùm à Matrimonio ſe retraheret; hinc die 22. Aprilis 1770. in publica Platea eumdem Vitum conviciis vredarguit Subdiaconus Vitus Scattaglia Xaverii Sponſi frater, poſtque convicia ad manus devenerunt: In auxilium Subdiaconi ſupervenit idem Frater Xaverius, hiſque viciſſim manibus pugnantibus, Subdiaconus cum cultro vulgò *Bajonetta* ter ictum in humeros Viti Angiulo injecit. Statim putarunt adſtantes, eumdem Vitum ex tot receptis vulneribus citò moriturum, falſaque vox obitus dicti Viti ſtatim ad Catherinam ipſius Uxorem convolavit, quæ jam utero gravis duorum menſium maximo timore, & mærore perculſa fuit. Cum autem eadem Catharina duodecim poſt dies abortum paſſa fuerit, hujus culpa Subdiacono Vito fuit imputata. *Seſs. 14. cap. 7. de Reform.*

Querela delata ad Barenſem Curiam, compilatus fuit Proceſſus contra Subdiaconum Vitum. Fuit tamen recognitum ab examine Peritorum, Teſtium, & ipſius Viti Angiulo, trinos ictus in irritum ceſſiſſe, vixque Veſtem penetraſſe, nec ullum vel minimum vulnus corpori Angiuli attuliſſe: Probatum item fuit per Medicos, & Chirurgos abortum Catherinæ non unice ex dicto timore, ſed etiam aliis de cauſis obvenire potuiſſe præſertim poſt dies duodecim. Hoc autem nondum abſoluto Proceſſu, comparuit Subdiaconus Vitus, qui, Parte jam concordata, petiit admitti ad compoſitionem cum Fiſco,

ne ulteriori vexaretur inquisitione, prout revera Fiscus etiam concordatus fuit ope solutionis Ducatorum 18., ut constat ex criminali Processu.

Sic Parte, Fiscoque composito, omnique delata querela, hæc impedimento non fuit, quominus idem Subdiaconus Vitus ad Diaconatum subinde promoveretur. Ast dum actum est de ipso ad Præsbyteratum initiando, renovata est dictæ querelæ memoria, hinc exortum fuit dubium, an causa dicti abortus ullam irregularitatis notam contraxerit. Preces ideo porrexit Sacræ huic Congregationi pro cujusvis Irregularitatis exclusione declaranda. Nunc itaque inquirendum est, an Irregularitas fuerit vere contracta, vel saltem an dispensatio sit concedenda.

Putat Diaconus Vitus, se nec percussisse, nec unquam offendisse Catherinam Uxorem Viti Angiulo, nec eidem ullum timorem, vel minas intulisse, imo eamdem à loco rixæ cum ejus Viro penitus absentem fuisse: Se insuper penitus ignorasse illius prægnantiam, nullumque prævidere potuisse rixa secuta Catherinæ abortum; Rursus habita cum Vito jurgia nunquam ordinata esse potuisse ad ullum abortum in Uxore causandum, qui numquam prævideri, nec vereri poterat: Injuria igitur abortum sibi imputari, majorique injuria se sub illius prætextu, velut irregularem à Sacerdotio arceri *Cap. Exhibita de Homicid.*: Probatque demùm pluribus Testibus, Catherinam quatriduo ante abortum maximo timore perculsam fuisse, dùm, ea adstante, repente ab Equo cecidit quidam Sacerdos Petrus Colucci, quocirca concludit, eò magis excludi quamlibet Irregularitatis notam, vel saltem, deficiente proxima, ac prævia causa, ipsum benigne fore dispensandum.

Archiepiscopus Barensis, qui fuit pro Informatione, & Voto requisitus Acta Criminalia transmisit, ac post relatam Facti seriem superius expositam, rem omnem judicio EE. VV. definiendam proponit. Addit tamen = *censeo præfatum Vitum Scattaglia pietatem Ecclesiæ promereri, ideoque dispensari ab Irregularitate, si quam pro tali re incurrerit.*

Juxta Sacros Canones communis est distinctio, aut dans operam rei illicitæ prævidere potuit futurũ homicidium, causamque præbuit ad illud ordinatam, & tunc homicidium licet per accidens obventum eidem imputandum est, & irregularitas contrahitur, quia moraliter causa

fuit

fuit hujus homicidii ad *Text. in Cap. Continebatur*, & *Cap. Suscepimus de Homicid.*, *Cap. Is qui eod. tit. in 6.*: Aut dans operam rei illicitæ nec prævidere potuit homicidium, nec ullam causam proximam, vel ad illud ordinatam præbuit, & tunc licet per accidens obvenerit homicidium, non inde irregularitas incurritur, quia tunc effectus nullo modo est in tali causa voluntarius, *Cap. quæsitum de pœnit.*, & *remiss.* late *Fagnan. in Cap. Si constiterit num. 40. de Accusat.*

Hinc Honorius III. *in Cap. Exhibita 22. de Homicid.* hæc habet = *Exhibita Nobis Clerici confessio patefacit, quod cum in puerili constitutus esset ætate cum quibusdam coætaneis suis ludens, & insequens unum ex illis lapidem post eum non animo lædendi, sed timorem incutiendi projecit, qui licet ex projecto lapide percussus non fuerit, neque tactus, ad alium tamen lapidem corruens, & caput offendens, tum propter imperitiam Medicantis, tum propter Patris incuriam &c. expiravit. Quia verò dictus Clericus, ut mitigaretur dolor Patris defuncti, veniam super hoc postulavit ab ipso, Tu eum à Sacrorum Ordine susceptione repellis &c., mandamus, quatenus si Tibi constiterit ita esse, eum propter hoc à receptione Sacrorum Ordinum non repellas.*

Inquirendum ideo est, an cultri ictus directi in Vitum ullam causam attulerint ad abortum Catherinæ Uxoris, quæ à loco absens erat, quæque forsan ignorabatur prægnans, & cujus abortus à Subdiacono ne prævideri quidem poterat. Sacra Congregatio in una *Dubium Irregularitatis 22. Aprilis 1679.*, ubi habetur = *Clericus Palentinus Orator aliàs cum Conjugata deprehensus à Marito vulnere affectus fuit: Post longum temporis spatium in idem commercium reincidit, ex quo factum est, ut quadam nocte Marito superveniente Orator aufugerit, sed Maritus de fuga animadvertit, quare Uxorem interfecit; Propter hoc Ordinarius irregularitatis prætextu denegat Oratori ascensum ad Sacros Ordines, proindeque per libellum à SSmo remissum quæritur, an propter hoc incurrerit irregularitatem = Sacra Congregatio &c. respondit = Negative =* ut *in lib. 30. Decret. pag. 295.*

Itemque *Ulixbonen. 14. Aprilis 1696.* hæc habet= *Sacerdos Emanuel Cohelo quadam nocte anni 1677. permanens in Domo Ludovicæ non sine magna difficultate, & periculo ab illius manibus aufugit relicto gladio, cum quo Maritus infælicem Uxorem etiam prægnantem piuribus verberi-*

bus

bus unà cum fœtu miſere interfecit. Hac de cauſa Orator aliàs condemnatus in pœnam exilii, & pecuniariam; nunc concordata Parte, & Fiſco, ſupplicat pro abſolutione cum rehabilitatione ad Beneficia. Sacra Congregatio &c. audita relatione Nuntii Apoſtolici Ulliſſiponen., ac re maturè perpenſa, cenſuit, Oratorem non incurriſſe irregularitatem = ut legitur *in Lib.* 46. *Decret. pag.* 168. *tergo*.

Definiendum itaque proponitur.

I. *An Orator irregularitatem incurrerit in caſu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An ſit locus diſpenſationi in caſu &c.*

Seſſ. 22. in Decret. de Obſerv. & Evit. in celebr. Miſſ.

CORNETANA. Pius Vir Joannes Andreas Graſſi ſuo poſtremo elogio anni 1659. Legati titulo reliquit Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Cornetanæ ſummam ſcutorum 1200., *acciò li Signori Archidiacono, e Canonici faccino obligo per ſe ſteſſi, e per loro Succeſſori in eſſo Capitolo di celebrare in eſſa Chieſa Catedrale ſei Meſſe baſſe per ciaſcuna Settimana in perpetuo, cioè quattro de Morti, e due del Sabato corrente in ciaſcuna Settimana dà celebrarſi in perpetuo ogni mattina all' Alba per commodità de lavoratori, ed à tale effetto gli detti ſcudi* 1200. *ſi pongono à frutto* = Legatum hoc à Capitulo acceptatum fuit per verba = *Miſſæ Joannis Andreæ de Graſſis celebrandæ in Aurora abſque applicatione* = prout revera ad annum uſque 1693. in Aurora abſque applicatione celebratæ fuerunt.

Anno verò 1693. cenſuit Cardinalis Barbadicus tunc Cornetanus Antiſtes, eaſdem Miſſas juxta Teſtatoris voluntatem non ſolum in Aurora celebrandas, ſed etiam eſſe applicandas: Idque ipſum edixit hæc Sacra Congregatio *ſub die* 23. *Junii* 1725., nam propoſito Dubio = *An Miſſæ ſint applicandæ in caſu &c.* = reſponſum fuit = *Affirmative* = ut *in Theſaur. Reſol. Tom.* 3. *pag.* 181., *& ſeqq.*. Verùm anno 1726. Succeſſor Epiſcopus Bonaventura, perſpecta redditùum dicti Capitalis imminutione, in vim facultatis in Concilio Romano à ſa. me. Benedicto XIII. Epiſcopis elargitæ applicationem dictarum Miſſarum re-

du-

duxit ad annuas Missas 242., firma tamen manente illarum celebratione in Aurora pro Agricolarum commodo. At deperdita nunc etiam rata Capitalis in summa scutorum 50., imminutisque pariter ad annua scuta 46. fructibus residui Capitalis scutorum 1150. in Censibus investiti, cum ex his sufficiens desit eleemosyna pro eo onere implendo, Capitulum, & Canonici supplices sunt, ut, firma manente celebratione Missarum in Aurora, applicationis onus reducatur.

Vicarius Generalis Cornetanus auditus refert, fructus dicti Capitalis scutorum 1150. in tot Censibus investiti vix reddere annua scuta 46.: Adeo gravem esse Sacerdotum Sæcularium in ea Civitate penuriam, ut difficile reperiatur qui Missas in Aurora velit celebrare. Nullos Descendentes à Testatore, vel de ejus Familia interesse habentes adesse. Concluditque demum = *ex præmissis deducere mihi liceat, expedire summopere petitam, & congruam Missarum reductionem absque applicatione, ut facilius inveniri possit, qui majori cum lucro tantum onus velit sustinere; eo vel maxime quia aliæ expensæ pro inserviente, & utensilibus perpendendæ sunt.*

Atque hinc animadvertendum est, Legatum incipere à Dote, & fundo, deindeque onus injunctum fuisse; Legatum ideo taxativum esse: Porro Legati redditus modò vix ascendere ad annua scuta 46., Missam verò in Aurora præsertim ob Sacerdotum inopiam impleri non posse videtur, nisi cum eleemosyna obulorum 20. pro qualibet: Solum igitur onus celebrandi Missam in Aurora exposcere summam longe majorem illa hodierni redditus annuam non excedentis summam scutorum 46. Nihil ergo æquius videri, quàm ut vel Missarum numerus reducatur, vel imminuatur saltem onus applicationis: Maximè quia nec Testator applicationem expressit, nec eadem applicatio umquam facta fuit tempore Fundationis proximo, ab anno scilicet 1659. ad annum 1693.

Et quamvis Capitulum, & Canonici præscriptum onus juxta Testatoris præceptum acceptaverint, & ad illius implementum se obstrinxerint, videtur tamen hoc onus acceptatum fuisse quoad Missarum celebrationem in Aurora absque ulla applicatione; Unde eamdem acceptationem ampliari non posse ad Missarum applicationem. Cæterum cum manifesta nunc exurgat læsio, cumque nullus Præsbyter adeo tenui eleemosyna velit onus illud imple-

implere, ſemper hoc ad juſtitiam, & æqualitatem eſſe reducendum, ut *in Bergomen. Reductionis Miſſarum* 19. *Junii* 1728., *& in Valleſoletana Reductionis Anniverſariorum* 8. *Auguſti* 1761.

E contra verò ambigi nequit de onere applicationis Miſſarum à Joanne Graſſi Fundatore præſcriptarum, cum idem jam præſcriptum fuerit ab hac Sacra Congregatione *ſub die* 23. *Junii* 1725., ut in *Theſ. Reſol. tom.* 3. *pag.* 184.

Unica modò inſpectio eſt de ejuſdem reductione, attenta reddituum Legati tenuitate ad onus implendum. Notiſſima ſunt Juris Canonici principia, de quibus *in Fanen. Reductionis Miſſarum* 27. *Aprilis* 1718., *in Bergomen. Reductionis Miſſarum* 19. *Julii* 1728., *& in Valliſoletana Reductionis Anniverſariorum* 8. *Auguſti* 1761.. Perpendendum inſuper eſt, an Teſtatoris voluntati magis conſonum ſit potius onus applicationis, quàm celebrationis in Aurora reduci. Teſtator enim expreſsè dixit, eaſdem Miſſas celebrari *in ogni Settimana all' Alba per commodo de Lavoratori, e à tale effetto gli detti ſc.* 1200. *ſi ponghino à frutto*.

Decernant itaque Eminentiſſimi Patres.

An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 26. Junii 1779. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

ROgantur Eminentiſſimi Patres, ut pro definiendis Dubiis quinque Cauſarum, quæ priori loco ſubiiciuntur, *Folium anteactæ Congregationis* habitæ *die* 5. *hujuſmet labentis Menſis* iterum conſulant.

LEODIEN., in qua quæritur. *Seſſ.24.cap.14. de Reform.*
An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

Prævio receſſu a Deciſis. Ad I. Affirmative, ad II. negative.

FERETRANA MATRIMONII, cujus duo ſunt Capita. *Seſſ.24. cap.1. de Reform.Matrim.*
I. *An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.* = & quatenus negative.
II. *An ſit locus Mulctæ pecuniariæ, & in qua ſumma in caſu &c.*

Ad I. negative, & amplius; Ad II. eſſe locum Mulctæ pecuniariæ in ſcutis viginti, & amplius.

AVENIONEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM, cujus unum Caput eſt. *Seſſ.25.cap.15. de Regular.*
An ſit locus reſtitutioni in integrum in caſu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes, juxta Inſtructionem.

Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.

BAREN. IRREGULARITATIS, cujus duo Dubia ſunt.

I. *An Orator irregularitatem incurrerit in caſu &c.* =, & quatenus affirmative.

II. *An ſit locus diſpenſationi in caſu &c.*

Reliquæ non propoſitæ.

Seſſ. 22. in Decr. de Obſerv., & Evit. in celebr. Miſſ.

CORNETANA, in qua ambigitur. *An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.*

Seſſ. 25. cap. 11. de Reform.

FIRMANA EMPHYTEUSIS. Simplex Beneficium ſub titulo S. Laurentii erectum in Caſtro Montis Urani Firmanæ Diæceſis poſſidet Sacerdos Antonius Coſimi plurimo ære alieno gravatus. Cum autem ab illius Creditoribus ejuſdem Beneficii Bona eſſent in Emphyteuſim ad tertiam generationem concedenda, mandatum idcirco fuit ab hac Sacra Congregatione, ut affigerentur Edicta pro Emphyteuſi ad tertiam generationem Maſculinam tàntum. Plures fuerunt allecti Licitatores, qui eorum oblationis ſchedulam exhibuerunt. Cæteris tamen melior comperta fuit illa exhibita à Petro Mannucci ipſius Beneficii Bonorum Adminiſtratore: Quare, citatis aliis Licitatoribus, propoſita fuit Cauſa *in folio Congregationis* habitæ *die* 5. *Septembris ſuperioris anni* ſub dubio = *An cui, & pro qua ſumma ſit concedenda Emphyteuſis in caſu &c.* = cui in ſubſequenti *Congregatione diei* 19. *ejuſdem menſis Septembris*, ſilentibus aliis utcumque monitis Licitatoribus, ſequens datum fuit Reſponſum = *Emphyteuſim concedendam eſſe Petro Mannucci ad tertiam generationem Maſculinam ab ipſo incipiendam pro annuo canone ſcutorum ſexaginta trium, & cum obligatione attergandi quinque Loca Montium S. Petri non vacabilium, plantandi arbores, & ædificandi Domum ruralem ad formam in omnibus alterius oblationis ab ipſo factæ die* 11. *Novembris* 1777.

Hac edita reſolutione, ſe deceptum ab æmulantibus Licitatoribus vocavit Mannuccius, ſimulque ſe ſummoperè gravatum ab eadem reſolutione, quam accepto ferre re-

recuſavit. Se deceptum enim vocavit ab illis de Diomedibus, quia nec eorum oblationis ſchedulam obſignaverant, nec comparuerunt unquam coram hac Sacra Congregatione pro ipſorum oblatione tuenda, conſequendaque Emphyteuſi: Rursùs editam reſolutionem tamquam ab ejus Oblatione difformem acceptare recuſavit, quia in ea fuit definitum, generationem maſculinam eſſe ab ipſo, qui ætate gravis erat, & morti proximus, prout nuperrimè deceſſit, non autem ab ejus filiis, ut in oblatione expoſuerat, incipiendam; & quia decretum in ea fuit, annuum eſſe ſolvendum Canonem in annuis ſcutis ſexaginta tribus, præter alia onera unà cum obligatione attergandi quinque Loca Montium S. Petri non vacabilia, quæ non aliter idem Mannuccius exhibuerat, niſi ad æquandam, ſuperandamque licitationem illorum de Diomedibus, quam non fictam, & illegalem, ſed veram, & juridicam eſſe putavit. Qua de re ad amputandas quæſtiones novam Mannuccius amicabiliter obtulit licitationem, nimirum annuum ſolvendi Canonem in ſcutis quinquaginta octo ab omnibus oneribus liberis, attergandique gemina tàntum Loca Montium, firma inſuper manente obligatione plantandi Arbores, & ruralem Domum ædificandi. Novam hanc licitationem Creditores Coſimi collegialiter coadunati utpotè tam pro ipſis, quàm pro hodierno Titulari Beneficii, ejuſque Succeſſoribus æquam, juſtam, ac utiliſſimam laudarunt, & approbarunt, poſtulantque propterea, ut ad effugiendas lites cum hæredibus Mannucci, præcedenti temperata reſolutione, illa coerceatur ad terminos novæ Oblationis, ejuſque approbationis actus diei 17. præteriti Menſis Decembris confirmetur, qui unà cum libello à Creditoribus circumfertur. Poterunt igitur Eminentiſſimi Patres hæc omnia eorum, qua pollent, ſapientia perpendere, & repetita lectione *Folii dictæ Congregationis diei* 5. *Septembris ſuperioris anni* 1778., quid juris, & æquitatis ſibi videbitur definire.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

Sess.21. cap.7. & Sess.2.cap. 13. de Reform.

FIRMANA TRANSLATIONIS, ET UNIONIS. Sacerdos Franciscus Discreti Parochus Ecclesiæ S. Mariæ de Puteo sitæ in Oppido Montis S. Martini Firmanæ Diœcesis postulat, ac sustinet, ejus Parochialem Ecclesiam transferendam esse ad Ecclesiam S. Joannis ejusdem Oppidi in Solo Lateranensi fundatam, erectamque in titulum Beneficii perpetui ex Testamento cujusdam Sanctis quondam Franciſci usque ab anno 1491. de Jurepatronatus, ut asseritur, Communitatis dicti Oppidi unà simul cum Sodalitio Sanctissimi Sacramenti in eadem Ecclesia S. Joannis existente, postulatque pariter, hujusmodi Beneficium post obitum moderni illius Rectoris uniendum esse Parochiæ, illiusque redditus esse Parocho pro tempore existenti ad congruam illius sustentationem adjicie ndos.

Ait enim, Parochialem Ecclesiam S. Mariæ de Puteo deformem esse, attritam, collabentem, nec ullam vel minimam reparationem admittere: Hanc transactionem Ecclesiæ, & unionem Beneficii Firmanum Archiepiscopum anno 1765. in actu Sacræ Visitationis dictis de causis fieri decrevisse, reservato Patronatu tàm favore Communitatis, quàm antedicti Sodalitii, eorumque jure nominandi in qualibet futura vacatione tres idoneos Sacerdotes, ut eorum unus in Concursu ab eodem Firmano Archiepiscopo approbaretur, & præeligeretur, qui aptior, & dignior fuerit ad Animarum curæ exercitium. Addit, huic petitæ translationi, & unioni assentiri dictam Communitatem, præfatumque Sodalitium uti Patronos Ecclesiæ S. Joannis, ad quam est Parochialis Ecclesia transferenda, tum etiam assentiri Capitulum Lateranense, demumque accedere Eminentissimi Cardinalis ejusdem Capituli Archipresbyteri Votum ab hac Sacra Congregatione requisitum, maxime quia idem Parochus S. Mariæ de Puteo usque & ab anno 1597. propter incapacitatem ejus Ecclesiæ pro Animarum curæ exercitio retinuerit, prout adhuc retinet in Ecclesia S. Joannis Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, Sacrumque Oleum Infirmorum; Idcirco his, aliisque juribus, quæ ab ipso circumferuntur, perpensis, sustinet, esse petitam translationem Parochialis Ecclesiæ, ac unionem Beneficii concedendam.

At è converso propugnat Sacerdos Achilles Urbani, docetque ope depositionis Sacerdotum, Fabrorum Muratiorum, aliorumque Testium, Parochialem Ecclesiam S. Mariæ de Puteo æqualem esse Ecclesiæ S. Joannis, uno

tàn-

tàntum execepto palmo longitudinis, & latitudinis, illamque nec indecentem esse, nec deformem, nec collabentem, quinimo stabilem, firmamque a Peritis in arte fuisse recognitam, illamque Parochianis commodam, incommodam verò esse alteram Ecclesiam S. Joannis, docetque pariter, Archiepiscopum Borgia in sacris suis Visitationibus Parochialem Ecclesiam numquam minantem ruinam, imo nec reparationibus indigentem agnovisse, nec descripsisse: Itemque docet, eumdem Eminentissimum Firmanum Archiepiscopum à decretis in sacra Visitatione justissimis de causis sibi prius ignotis recessisse, & quousque vixit, nec Parochum, nec Communitatem, nec Sodalitium hanc translationis, & unionis instantiam unquam promovisse.

Contendit itidem Urbanus, nullam justam, necessariam, & urgentem transferendi, & uniendi causam concurrere: Nulliusque ponderis esse consensus præstitos ab interesse habentibus ex geminis Facti circumstantiis; *primò*, quia suppositum fuit, Parochialem Ecclesiam labentem esse, quod prorsùs excluditur, & *secundò*, quia illi præstiti fuerunt in executionem Decreti Eminentissimi Archiepiscopi, reticita ejusdem Decreti facta ab eodem Archiepiscopo revocatione, ne Parochialis Ecclesia, quæ libera est, tùm Patronorum, tùm etiam Lateranensis Capituli subdita efficeretur: Nullamque probationem constituere retentionem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, & Olei Sacri ab anno 1597. in Ecclesia S. Joannis, quia id agit indebite Parochus pro sui tàntum commoditate, non autem propter incapacitatem Ecclesiæ S. Mariæ de Puteo ruinam minantis, quoniam si hæc vera essent, dicta Ecclesia ab anno 1597. usque ad hodierna tempora jam corruisset. His igitur, & aliis perpensis, quæ ab ipso tàm in Facto, quàm in Jure proponuntur in ejus circumferendo Libello, propugnat idem Urbanus, instantiam translationis, & unionis, de quibus agitur, esse penitus rejiciendam.

Auditus Vicarius Capitularis Firmanæ Diœcesis sentit pro executione Decreti à defuncto Eminentissimo Archiepiscopo lati in Sacra Visitatione, nulla tamen facta mentione de illius recessu, multoque minus de insubsistentia causarum, ob quas mandavit idem Archiepiscopus, alia media esse proponenda ad occurrendum Ecclesiæ necessitatibus; posthabita illius translatione, & unione Beneficii tamquam libertati Parochialis Ecclesiæ, ejusque, & Ordinarii juribus apprime contraria.

Mul-

Multoties Tranſactionis Eccleſiarum, & unionis Beneficiorum Cauſas diſceptari contigit in hac Sacra Congregatione. Pluries enim eas admiſit, juſta tamen, & neceſſaria concurrente cauſa, & accedente ſimul vel Patronorum, vel omnium intereſſe habentium conſenſu, ut videre eſt *in Melevitana Seminarii* 29. *Julii* 1725., *in Paſſen. Confraternitatis* 5. *Junii* 1734., *in Caſſanen.* 26. *Novembris* 1763., *& in Comen. Translationis Miſſarum* 24. *Novembris* 1764., & æquè pluries eam negavit, iis Requiſitis, vel eorum aliquo, deficientibus, maxime ſi per translationem, & unionem Tertio præjudicium inferatur, ut quoad translationem definivit *in Ariminen. Translationis Cappellaniæ* 20. *Decembris* 1732., *in Neapolitana Commutationis Voluntatis* 7. *Februarii* 1733., *in Panormitana Translationis Oneris Miſſarum* 26. *Septembris* 1739., *in Vicen. Translationis Oneris Miſſarum* 19. *Aprilis* 1766., & quoad unionem *in Legionen. Unionis* 24. *Aprilis* 1723., *in Friſingen. Permutationis, ſeu Unionis* 18. *Junii* 1735., *& in Sabinen. Unionis* 18. *Septembris* 1745.

Verumtamen plura ſunt in Cauſa ponderanda; *primum*, quòd contenditur Parochialem Eccleſiam S. Mariæ de Puteo perpetuò transferri, & uniri Eccleſiæ S. Joannis ſimplicis Beneficii fundati à Sancte quondam Franciſci; Videtur enim hæc unio expreſſe vetita à Sacroſancta Tridentina Synodo in conſultiſſimo Decreto edito ſub *Seſſ.* 24 *cap.* 13. *de Reform.*, cujus hæc ſunt verba = *In unionibus verò quibuslibet ex ſupradictis, ſeu aliis cauſis faciendis, Eccleſiæ Parochiales Monaſteriis quibuſcumque, ut Abbatiis, ſeu Dignitatibus, ſive Præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſive aliis Beneficiis ſimplicibus, aut Hoſpitalibus, Militiiſque non uniantur.*

Secundum, quòd in una eademque Eccleſia S. Joannis duo ſunt Parochi, qui ſua reſpectivè exercent Parochialia munia, & eorum quilibet Sacramenta ſubminiſtrat propriis Parochianis, Parochus ſcilicet Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ de Puteo, & Parochus alterius Parochialis Eccleſiæ S. Auguſtini. Non enim videtur, duos Parochos diverſæ Paræciæ in una Eccleſia ſtare poſſe etiam quoad unicum Animarum curæ exercitium, ideoque in caſu faciendæ translationis Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ de Puteo ad Eccleſiam S. Joannis, audiri, citarique deberet Parochus S. Auguſtini, cujus intereſt; ignoratur tamen quo jure, quo titulo, quave conſuetudine, Sacramenta Parochianis ſuis in eadem Eccleſia miniſtrandi, quemadmodum Sacra Congregatio omnes

jus

jus, & intereſſe habentes audiri, citari, & aſſentiri mandavit *in Aſculana Reductionis Onerum* 14. *Februarii ſuperioris anni* 1778., *& in Abulen. Anniverſariorum* 30. *Maii ejuſdem anni* 1778.

Tertium denique, quòd tam conſenſus petitæ translationi; & unioni præſtitus à Vicario Capitulari in ſua Informatione, & voto, quàm alii præſtiti à Capitulo Lateranenſi, & à Communitate Montis S. Martini, conditionales ſunt, adjectis conditionibus inter ſe directè pugnantibus, ideoque diſſenſus potius, quàm conſenſus vocari poſſe videntur. Fuit enim aſſentitus Vicarius Capitularis, hoc tamen adjecto = *che accordandoſi dallo ſteſſo Capitolo* (nimirum Lateranenſi) *ſimil conſenſo, non ſia tale, che in veruna maniera poſſa pregiudicare alli diritti di queſto Arciveſcovado, nè riguardo alla libera ſcelta del Paroco nelle riſpettive vacanze, nè al libero eſercizio della Cura delle Anime, nè finalmente à quella indipendenza, e à tutti quegli atti, che nelle Chieſe Parochiali di pieno dominio dell'Ordinario à queſto ſpettano privativamente, e liberamente eſercitare.*

Lateranenſe verò Capitulum non aliter conſenſum præſtitit, quàm excepta tàntum juriſdictione ab Archiepiſcopo exercenda in iis omnibus, quæ ad curam Animarum, & Parochialia jura pertinent, quòd novus Parochus ad Communitatis, & Sodalitii SSmi Sacramenti nominationem, & præſentationem electus petere, & obtinere teneatur Inſtitutionis Litteras à Capitulo pro Beneficio, poſt tamen obitum hodierni illius Rectoris uniendo, nec non eidem Capitulo annuum ſolvere Canonem, & cum reſervatione juris favore ejuſdem Capituli *viſitandi jure Ordinario per Vicarium Lateranenſem Eccleſiam S. Joannis, Sacraſque Suppellectiles, cum obligatione Parocho pro tempore reddendi rationem eidem Viſitatori Lateranenſi ſatisfactionis onerum ſupradicto Beneficio impoſitorum.*

Communitas autem in Comitiis habitis menſe Junii 1770. ſuum præſtitit aſſenſum = *per preſervare il Juſpadronato à queſta Comunità, che preſentemente, e da un pezzo, che più non nomina, per averci poſte le mani la Dataria Apoſtolica, ed eſſendo queſta l'apertura di poterlo ricuperare, concedendo in avvenire Sua Eminenza à queſto Pubblico, ed alla Compagnia del SSmo Sagramento il jus di potere nominare il Curato in perpetuo* = An igitur hujuſmodi conſenſus inter ſe conveniant, ſeu potius lædant ordinariam, liberamque juriſdictionem Archiepiſcopi,

& an

& an illi esse possint dissidiorum, & litium origo Archiepiscopum inter, Capitulum Lateranense, & Communitatem Montis S. Martini, ipsi viderint Eminentissimi PP., dum quæritur.

I. *An sit locus translationi Parochiæ S. Mariæ de Puteo ad Ecclesiam S. Joannis Terræ Montis S. Martini in casu &c.* =, & quatenus affirmativè.

II. *An sit locus unioni Beneficii erecti in dicta Ecclesia Sancti Joannis sub invocatione S. Mariæ, S. Joannis, & omnium Sanctorum redditibus ejusdem Parochiæ.*

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA SUBSIDII DOTALIS. In Testamentariis Tabulis, quas anno 1710. condidit Franciscus Stanchi in Urbe Advocatus, hæredem universalem instituit Uxorem suam Margaritam Piani, ea vero defuncta, jussit, ut à suis Executoribus testamentariis distribui deberet = *una dote di 60. scudi ogn' anno in perpetuo il giorno di S. Francesco d' Assisi mio particolare Avvocato ad una Zittella per monacarsi, o maritarsi: Con che sempre sia preferita quella à me più congiunta di sangue, o parentela, compresa dopo con la medesima prelazione ogn' altra Zittella tenuta da me, o dalla mia Consorte à Battesimo, o Cresima; ma quando vi sia, e comparisca alcuna mia Pronipote, sotto il di cui nome dichiaro compresa la figliuola della Signora Agnese Capecci nata dalla quondam Teresa Stanchi mia Cugina, allora voglio, che per cinque e anni continui si dia detta dote di scudi 60. alla stessa mia Pronipote; E per fondo, e capitale assegno adesso per allora venti Luoghi di Monte Camerali non Vacabili, e mancati che saranno li miei Signori Esecutori testamentarj, voglio, che la collazione di tal dote ricada, e spetti al Padre Priore pro tempore della Madonna della Vittoria, à cui concedo la facoltà di darla ancora à qualche Donna di cattiva vita per monacarsi, o maritarsi.*

Sub hac dispositione decessit Testator, decessitque pariter Margarita hæres. Quamobrem Executores Testamentarii Defuncti voluntatem exequentes plurima contulerunt Subsidia dotalia Puellis sanguine cum Testatore conjunctis, quas inter fuit Anna Milli ex Theresia ejusdem Testatoris Consobrina proneptis, quæ post tot assequuta ab Executoribus Testamentariis Subsidia dotalia usque ad summam scutorum 300., obtinuit etiam virtute Rescripti

pti ſa. me. Benedicti XIII. tot alia Subſidia dotalia uſque ad ſummam aliorum ſcutorum 600. ad effectum Monaſticum Habitum in Monaſterio S. Urſulæ Urbis aſſumendi.

Hanc Pontificiam gratiam nullam eſſe tamquam vitio ſubreptionis, & obreptionis infectam authumavit Eliſabeth Capecci filia Agnetis a Teſtatore literaliter, & expreſſe contemplata, petiitque propterea, ut antedicta ſcuta 600., quæ vi dicti Reſcripti Clemens Milli Annæ Pater, & Renunciatarius exegerat, per ipſum reſtituerentur, ad effectum illa partiendi eam inter, ejuſque filias Caſimiram, & Iſabellam. Hæc quæſtio ad ſapientiſſimum Eminentiſſimorum Patrum judicium ablegata propoſita fuit *in Congregatione* habita *die* 23. *Novembris* 1737. geminis compoſita Dubiis I. *An conſtet de ſubreptione, & obreptione gratiæ per Annam Milli obtentæ pro conſecutione Subſidii dotalis Stanchi die* 8. *Jun.* 1726. = & quatenus affirmative. II. *An, & quis teneatur ad reſtitutionem ejuſdem Subſidii, & cujus favore dictum Subſidium ſit diſtribuendum in caſu &c.* = reſcriptum ea die fuit = *Dilata, & coadjuventur probationes ſuper exactione Subſidiorum dotalium, & credito dotis* = ut videre eſt *in Theſ. Reſol. Sac. Congreg. Tom.* VIII. *pag.* 183. *& ſeqq.*: repropoſitaque Cauſa ſub iiſdem Dubiis *in Congregatione diei* 29. *Martii* 1738., reſolutio prodit = *Ad* I. *Affirmative. Ad* II. *Teneri Patrem ad effectum deponendi, & deinde diſtribuendi cui de jure* =, eaque *ſub die* 27. *Septembris ejuſdem anni* confirmata fuit, *reſervato jure favore Clementis Milli ſuper Bonis renunciatis* = ut habetur *ex Theſ. Reſol. Sac. Gongreg. eod. Tom.* VIII. *pag.* 53., & *pag.* 163., & *ſeq.*

Reſtituta à Clemente, depoſitaque in Sacro Monte Pietatis Urbis ſumma ſcutorum 300., reportata tamen ab Emo Pro-Auditore S. M. Clementis XII. dilatione pro reſidua deponenda ſumma aliorum ſcutorum 300., plurimiſque Teſtatoris Conſanguineis, & Cognatis ad Cauſam admiſſis, atque contendentibus de pecuniarum facienda conſignatione, hæc etiam quæſtio propoſita fuit *in Congregatione diei* 24. *Septembris* 1740. ſub Dubio = *An, cui, & in qua ſumma ſit facienda conſignatio pecuniarum, de quibus agitur in caſu &c.* = fuitque ea die reſcriptum = *Ad Eminentiſſimum Præfectum cum facultatibus Sacræ Congregationis* = ut habetur pariter *ex dicto Theſaur. Reſol. Tom. IX. pag.* 29.

Qui Eminentiſſimus Præfectus ejus edito Decreto ſub die 7. Januarii 1741. = *utendo facultatibus ſibi à Sacra Congre-*

gatione impertitis die 24. Septembris 1740. declaravit, dotes, de quibus agitur, distribuendas esse primo loco, & pro quinque annualitatibus Casimiræ, Isabellæ, aliisque filiabus Elisabeth Capecci Placidi, nec non Angelæ filiæ Honuphrii Capecci Abneptibus Testatoris, servato ordine majoritatis ætatis. Secundo loco pro una tàntum annualitate filiabus Decii Genga, & Constantiæ Ferretti consanguinearum Testatoris servato ordine ætatis. Tertio tandem loco pro una annualitate tàntum Annæ Lucretiæ Savelli Cognatæ Spirituali ejusdem Testatoris, & ulterius decrevit, & mandavit pecunias usque tunc depositatas per Clementem Milli in Sacro Monte Pietatis in summa scutorum 300. juxta cedulas in actis productas tunc remanentium in scut. 215. solven. de ordine Sac. Congregationis transferri in favorem, & creditum subsidii dotalis Stanchi, illasque persolvi dd. Puellis, & modo prædicto mediantibus sòlum ordinibus subscribendis a P. Priore pro tempore Conventus B. Mariæ de Victoria Carmelitarum excalceatorum post sequuta Matrimonia, seu Monacationes earum Puellarum; alias verò imposterum solvendas per Clementem Milli mandavit deponi in d. Sacro Monte Pietatis in creditum ejusdem subsidii pariter consignandas ejsdemPuellis ut supra, & cum Ordinibus prædictis.

Exemplo Hyeronimæ Capecci Placidi dictæ Elisabeth Capecci filiæ,quæ vi præfati Decreti in actu Matrimonii per ipsam Contracti cum Augustino Sani Dotem habuit scutorum 300. pro quinque scilicet annualitatibus, modò instant quatuor ejusdem Hieronymæ filiæ *Camilla*, & *Maria Catharina*, quæ jam Religioni nomen dederunt ære alieno à Patre contracto, nec non *Elisabeth*, & *Hieronyma* innuptæ, contenduntque, & ipsis quoque tamquam sanguine cum Testatore conjunctis, & ab ipso prælatis cæteris Puellis extraneis, adjecta dictione *semper* debitas esse dotes pro quinque annualitatibus, ut Hieronyma earum Mater fuit assequuta.

Precibus à Sa. Me. Clemente XIV., cui fuerant porrectæ, ad hanc Sacram Congregationem remissis, auditus de more fuit Eminentissimus Cardinalis Urbis Vicarius, cui licèt postulatio Sororum de Sanis exorbitans visa fuerit, quia Testator in assequendis dotibus prælationem dumtaxat attribuerit Pronepotibus suis, quas inter comprehensam tàntum voluerit filiam Agnetis Capecci, & modò = *prælationem non petit aliqua Testatoris Proneptis, non filia aliqua Agnetis Capecci, sed petunt quatuor Proneptes ipsius Agnetis, nempè filiæ qu. Hieronymæ natæ ex*

Eli-

Eliſabetha, quæ filia fuiſſe creditur Agnetis præmemoratæ; uno verbo, hanc prælationem non petunt Proneptes, ut erat ſcriptum, ſed Abneptes, vel Trineptes ipſius Teſtatoris.

Attamen è conſpectu Reſolutionis hujus Sacræ Congregationis anni 1740., & Decreti ab Eminentiſſimo Præfecto lati anno 1741., & pleniſſime exequuti, refert his verbis = *Si ergo per rem iſtam jamdiu judicatam ſemel definitum ſit verbis illis* mia Pronipote *non fuiſſe à Teſtatore deſignatum certum Conſanguinitatis gradum, quem tranſilire non liceret; profectò qua olim ratione à Pronepotibus excurſum fuit ad Abneptes, eadem ratione auderi nunc poſſet tranſitus ab Abneptibus ad Atneptes.*

Ad Moniales Oratrices quod attinet, ſic proſequitur prælaudati Eminentiſſimi Vicarii relatio = *Nec ſane alia deeſt cauſa, cur exorbitans habeatur petitio duarum ſaltem ſaltem ſupplicantium Sororum. Hæ enim duæ, Camilla ſcilicet, & Catharina, Monaſticam diu vitam fuerunt profeſſæ ſine iſtis dotalibus, quæ nunc ſerò videntur peti, ſubſidiis. Quanquam non abſurde forſitan contendi poſſit, ſubſidia iſthæc, ſi modo dicenda ſint iiſdem Supplicantibus Teſtamento relicta, cenſeri debita jure actionis, ideoque poſſe peti, obtinerique etiam poſt Matrimonium, vel Profeſſionem Religioſam, exemplo alimentorum ſimili jure debitorum, quæ utiliter petuntur etiam pro tempore præterito. Auditus Superior Conventus S. Mariæ de Victoria, cui jus eſt nominandi ad eadem ſubſidia, & ipſe ſe refert ad ea, quæ hactenus expoſui, mecumque cenſet non poſſe ita de plano rem iſtam expediri.*

Hæc facto ſunt, & hæc habentur in relatione Eminentiſſimi Cardinalis Urbis Vicarii. Quæ verò ſint jura Sororum de Sanis ſupplicantium, legi poterunt in earum circumferendo Libello, ut quid eiſdem conveniat, definiatur. Dubium eſt.

An, & pro quibus annualitatibus ſit locus præſtationi ſubſidii dotalis in caſu &c.

NOVARIEN. MISSÆ CONVENTUALIS. In Oppido Intri ad Verbanum Lacum Diœceſis Novarienſis adeſt Collegiata Eccleſia ſub invocatione S. Victoris: In ea ſunt duodecim Canonici, quorum ſex Præbendam habent diſtinctam cùm Animarum Curæ exercitio nimirum quoad eorum tres in Oppido tantùm, quoad alios verò *Seſs. 23. cap. 1. de Reform.*

verò tres extra Oppidum in ſeparatis, & circumſcriptis Montibus, Vallibuſque; in quibus non exiguus Parochianorum numerus inhabitat, & in quibus ſunt Eccleſiæ filiales Collegiatæ, in Parochiales erectæ. Cœteri verò ſex Canonici honorarii tantùm nuncupantur, qui licet adjutores ſint in Animarum Cura, & Choro interſint, nullam tamen poſſident Præbendam, nec locum habent, nec vocem in Capitulo.

His præcepit Antiſtes Novarienſis, ut Miſſa Conventualis, quæ in eadem Collegiata Eccleſia quotidiè canitur, applicaretur pro Benefactoribus in genere juxta *Encyclicam San. Mem. Benedicti XIV.*, quæ incipit = *Cum ſemper* = Ab hoc præcepto gravatum ſe ſentiens Capitulum, humiliter exorat pro exemptione ab hujuſmodi indicto applicationis onere nedum quia ab erectione Collegiatæ reperitur exemptum, ſed etiam quia ſex illi Præbendati Canonici incumbere debent Animarum Curæ exercitio, & Miſſam pro Populo ſingulis diebus feſtivis applicare tenentur, ſeù potius pro indicti oneris reductione ad dies tantùm feſtivos de præcepto, attenta redditum tenuitate.

Epiſcopus, qui de more fuit auditus, prædicta confirmat, ejuſque Votum addit precibus Capituli, ut latius patet ex illius Informatione, quæ unà cùm juribus à Capitulo circumfertur.

Sæpiſſime Sacra Congregatio in ſimilibus propoſitis reductionum Caulis, quoties verificentur Præbendarum reditus ad onera ferenda prorſus impares, petitam reductionem applicationis Miſſæ Conventualis ad dies tantùm feſtos de præcepto conceſſit, ut *in Spalaten. Miſſæ Conventualis ad I. & II. Dubium* 23. *Julii* 1729., *in Amerina Miſſæ Conventuulis* 12. *Martii* 1746., *in Ariminen. Miſſæ Conventualis ad III. Dubium* 18. *Septembris* 1751., *in Alexandrina Miſſæ Conventaalis* 23. *Novembris* 1776., *in Placentina Miſſæ Conventualis* 1. *Martii* 1777., & *in Theleſina Miſſæ Conventualis* 19. *Julii ejuſdem anni* 1777. Proponitur igitur definiendum.

An ſit locus exemptioni ab applicatione Miſſæ Conventualis, ſeú potius illius reductioni ad ſolos dies feſtos de præcepto in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 17. Julii 1779. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX Folio præcedentis *Congregationis* habitæ *die 26 nuper elapſi menſis Junii* ſex reſolvendæ Cauſæ ſuperfuerunt. Eæ ſunt, quæ ſequuntur. Dignabuntur itaque EE. VV. prædictum Folium reaſſumere, & ſequentibus Dubiis ſapientiſſimè de more reſpondere.

BAREN. IRREGULARITATIS, in qua diſquiritur. *Seſs. 14. cap. 7. de Reform.*

I. *An Orator irregularitatem incurrerit in caſu &c.* = & quatenus affirmative.

II. *An ſit locus diſpenſationi in caſu &c.*

Ad I. Negative: Ad II. proviſum in primo, & amplius.

CORNETANA, cujus Dubium eſt.

An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.

Firma remanente applicatione, & hora celebrationis Miſſarum, eſſe locum reductioni arbitrio Epiſcopi, cui ſcribatur, juxta Inſtructionem, nempe, quòd Epiſcopus præfigat quantum fieri poterit mitiorem Taxam perpetuò ſervandam. *Seſs. 22. in Dec. de Obſerv., & Evit. in celebr. Miſs.*

FIRMANA EMPHYTEUSIS, in qua diſputatur; *Seſs. 25. cap. 11 de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

In deciſis, juxta modum, nempe Emphyteuſim eſſe concedendam, juxta reſolutionem Creditorum diei 17. Decembris 1778.

FIR-

Sess. 21. cap. 7. & Sess. 24. cap. 13. de Reform.

FIRMANA TRANSLATIONIS, ET UNIONIS, cujus duo Dubia sunt.

I. *An sit locus translationi Parochiæ S. Mariæ de Puteo ad Ecclesiam S. Joannis Terræ Montis Sancti Martini in casu &c.* = & quatenus affimative.

II. *An sit locus unioni Beneficii erecti in dicta Ecclesia S. Joannis sub invocatione S. Mariæ, S. Joannis, & omnium Sanctorum redditibus ejusdem Parochiæ in casu &c.*

Negativè ad utrumque, & ad D. Secretarium ad mentem, & mens est, quòd Vicarius Capitularis curet restaurationem Ecclesiæ ad formam Conc. Trid. Sess. 21. Cap. 7. de Reform., & subinde, ut in eadem Parochiali Ecclesia S. M. de Puteo reponatur SS. Eucharistiæ Sacramentum, & Oleum Sanctum, ita ut in eadem Parochus Sacramenta ministrare possit.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA SUBSIDII DOTALIS, in qua respondendum est.

An, & pro quibus annualitatibus sit locus præstationi Subsidii Dotalis in casu &c.

Non proposita cum seqq.

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

NOVARIEN. MISSÆ CONVENTUALIS, in qua quæritur.

An sit locus exemptioni ab applicatione Missæ Conventualis, seù potius illius reductioni ad solos dies festos de præcepto in casu &c.

Sess. 22. cap. 4. de Reform.

TERRACINEN. In Ecclesia S. Joannis Civitatis Terracinæ anno 1698. illius Episcopus virtute facultatum ei concessarum ab hac Sacra Congregatione ex fructibus, & redditibus quatuor Confraternitatum, nimirum S. Joannis, Sanctissimi Rosarii, S. Leonardi, & S. Luciæ ejusdem Civitatis octo erexit Cappellanos, seù Beneficiatos, qui = *teneatur adimplere omnia, & singula onera præfatis Societatibus injuncta* = nec non teneantur =

ad

ad modum Collegiatæ in dicta Ecclesia S. Joannis Choro inservire, canendo Officium, & Missam Conventualem omnibus diebus festivis, & tempore Adventus, & Quadragesimæ, Nobis, nostrisque Successoribus Pontificalia exercentibus assistere, ac exercitia spiritualia, & Pietatis arbitrio Præfecti spiritualis pertractare.

Unum ex dictis Beneficiis, sive Cappellaniis nuper obtinuit Clericus Angelus Maceroni ætatis suæ, ut asserit, annorum 19., & in minoribus dumtaxat Ordinibus constitutus. Authumantibus autem Beneficiatis, Clericum Maceroni noviter admissum in eorum Comitiis suffragium ferre non posse utpotè nondùm Sacris Ordinibus initiatum, juxtà præscripta in Conciliari Sanctione *cap.* 4. *Sess.* 22 *de Reformat.*, e re sua proinde putavit Maceronus preces exhibere huic Sacræ Congregationi, ut definiatur, eidem de jure competere jus ferendi controversum suffragium, sin minus, ut ad illud ferendum habilitetur, donec, & quousque fuerit in Sacris constitutus.

Auditus fuit *E*piscopus, fueruntque pariter auditi Beneficiati: Episcopus verò sentit esse exaudiendam Maceroni petitionem quia Ecclesiæ utilem, neminique præjudicialem. Non item Beneficiati, qui semel, & bis collegialiter congregati censuerunt, uno tàntum præponderante suffragio, Maceronii petitionem esse reiiciendam: Cum autem alter ex Beneficiatis, qui per æquivocum suffragium tulerat Macerono contrarium in scriptis declarasset unà cùm tribus aliis Conbeneficiatis, se libenter assentiri petitioni Maceroni, mandatum idcircò fuit ab hac Sacra Congregatione, ut hujusmodi consensus collegialiter, & per secreta suffragia præstaretur.

Fuit igitur noviter coadunatum Beneficiatorum Collegium: Duo ex illis suffragium ferre litteraliter, & expresse negarunt. Cœteri verò eorum præstiterunt consensum Maceroni petitioni.

Causa proponitur. Sustinet enim Maceronus, exhibita Beneficiatorum erectionis Bulla, nullam adesse in ea legem prohibentem Beneficiatis nondùm in Sacris Ordinibus constitutis suffragium ferendi: Concilium verò *T*ridentinum *Sess.* 22. *cap.* 4. *de Reform.* præscribens, quòd nemo Cathedralium, vel Collegiatarum Ecclesiarum servitio addictus vocem in Capitulo habere possit, nisi fuerit Sacris Ordinibus initiatus, unice loqui de veris Cathedralibus, verisque Collegiatis, non autem de Ecclesiis, quarum Præsbyteri vel ad instar Collegiatarum se ge-

gerunt, vel impropriæ Collegialitatis n
Pignatel. Consult. 87. *num.* 13. *tom.*10., *
decis. 1229. *num.* 14. *vers. Procedendo* . c
Parochialis 1. *Julii* 1757. §. 10. *cor. clar. m*
Urget insuper, in Erectionis Bulla nec etia
gialitatis indicia; nam in ea nunquam pr
Beneficiatos congregandos esse ad libitu
tis, seù principalis Beneficiati, eosque co
re ad sonum Campanæ; ipsos item onu
residentiæ, nec unquam in ea pro intere
tidianas distributiones, & pro absentib
constitutas fuisse, & similia, quæ simul
Collegialitatis signa sunt, indicia, & con
verò signa, quæ vel ex eadem Bulla eruunt
dem Beneficiatis arrogantur, præterquam
secluſa Collegialitate, Præsbyteris in unu
legium, sed ad instar simplicis Congregat
convenire, *Fagnan. in cap. Nullus num.*
*Card. Petr. ad Constit. Apost. to.*3. *ad Const*
*Sect.*2. *n.*21., & *Corrad. in prax. benef. lib.*
nec effectus veræ Collegialitatis produc
Maceronus, ut definivit Sacra Congregatio
lisci Missæ Conventualis 12. *Februarii* 1718
mè in exclusionem Collegialitatis definitu
nestina Missæ Conventualis 17. *Aprilis prox*
nullius tamen esse ponderis, sive ea potiss
sive incerta cum potissimis conjuncta, quot
curritque Erectionis Bulla, qua tantùm
Collegialitatis signa, & indicia confugitu
per *Barbos. de Jur. Eccles. lib.*2. *cap.*6. *de*
*giata num.*5., *Rot. coram Merlin. dec.*87. *n*
*Molin. decis.*1229. *num.*17.
Addit Maceronus, quòd etiamsi res esset d
gialitate, ei tamen esset concedenda gratia
ad suffragium ferendum, quoties adest Ec

A dictis geminis contradicentibus Beneficiatis prec
rectæ fuerunt huic Sacræ Congregationi, poſtu
ut mandaretur, Cauſam contra Maceronum agi
ſumptibus communibus, & ex communi Maſſa
hendis. Atque hinc duo ſunt animadvertenda,
ſcilicet, quòd cæteri Beneficiati in eadem met
poſtrema Congregatione diei 27. Maii proxime
riti contra geminos contradicentes Beneficiatos
ſe declararunt = *che una tal lite eſſendo ingiuſta
pricciosa, e preordinata à fini privati, ſi proteſt
ſolo di non volere, che ſi proceda in Cauſa col nome
neficiati in genere, e neppure à ſpeſe della Maſſ
mune.*

Et *alterum*, quòd hìc agitur de Cauſa privata inter
neficiatos, non autem de communi Cauſa vel ut
Eccleſiæ, vel communium Bonorum defenſion
ſpiciente, & in his terminis habetur reſolutio hu
cræ Congregationis *in Lauretana Jubilationis diei
cembris* 1775., in qua cum Prępoſitus Collegiat
Parochialis Eccleſiæ S. Stephani Oppidi Caſtri
Lauretanæ Diæceſis poſtulaſſet Jubilationem, omn
Capitulo contradicentibus, propoſito III. Dubio
verba concepto = *An expenſæ Litis, de qua agitu
debeant à Capitulo ex pecuniis Maſſæ communis
ſu &c.* = reſponſum fuit = *Negative, & amplius.*

Dignabuntur itaque EE. VV. geminis, quæ ſeq u
Dubiis ſapientiſſime de more reſpondere.

I. *An Clerico Beneficiato Angelo Maceroni competat
fragii in actibus Capitularibus in caſu &c.* = &
nus negative.

II. *An ſit locus habilitationi ejuſdem pro habendo vo
Capitulo Beneficiatorum in caſu &c.*

gnationem, vel aliter quomodocumque jus nominandi, & præsentandi spectet, & spectare debeat ad dictam, & infrascriptam ejus hæredem universalem semper, & in perpetuum, & successive ad ejus filios legitimos, & naturales, & de legitimo Matrimonio, eosque filios, ac hæredes in infinitum, semper, & in perpetuum.

Subindeque pro hujus Cappellaniæ dote reliquit, assignavitque = *Molendinum situm, & jacens in Territorio Mositii cum Prato adnexo modiorum decem in circa sub suis Cohærentiis, & quod de præsenti possidet, & habet præfatus D. Testator cum dicto Prato, cum onere tamen solvendi D. Comiti Plato libras centum sexaginta Imperiales annuas comprehensis Appenditiis, quæ solent solvi dicto D. Comiti, nec non, & Beneficiato Beneficii S. Blasii erect. in Ecclesia S. Petri Novariæ Sacchum unum tritici, nec non, & onera cum Civitate Novariæ incumbentia d. Molendino, & Prato.*

Demumque hæredem suam universalem instituit Camillam ejus unicam filiam in pupillari tamen ætate constitutam, eidemque, si filios haberet, eos substituit in infinitum, prohibuitque detractionem Trebellianicæ, vel alterius portionis de jure debitæ, & in Tutores, & Curatores præfatæ Camillæ filiæ, nominavit Joannem Brusatum, istiusque Matrem Annam Caccia Brusati, iisque deficientibus, elegit Franciscum Galleratum.

Sub hac dispositione decessit Testator sequenti anno 1674. Detrectantibus autem scriptis Tutoribus, & Curatoribus tutelam, & curam assumere, fuit idcirco in tutorem, & curatorem à Judice Camillæ datus Gaudentius Tettoni, qui confecto prius Inventario Bonorum hæreditariorum, nullo tamen Mobilibus, vel immobilibus constituto pretio, nullaque facta mentione de ære alieno, quo plurimo gravabatur hæreditas, multoque minus de erigenda Cappellania ad formam Testamenti, se immiscuit in hæreditatem non confecto vel per ipsum, vel per ejus in Tutela, & Cura successores tutelari vel administratorio Codice.

Anno 1682. Camilla nupsit Joanni Mariæ Trevi. Hic enim ex domesticis hæreditariis scripturis animadvertens, hæreditatem defuncti Defendentis esse plurimo ære alieno gravatam, Cappellaniam non erectam, Missas non celebratas, ac Fundos à Testatore pro illius dote præscriptos ad onus ferendum prorsus impares, ideoque Conscientiæ stimulis vexatus consilii cæpit, rerum se-

rie

rie fideliter expoſita, conſulere Theologum, qui reſpondit, Camillam non teneri ad onus erigendæ Cappellaniæ, ea ratione, quia aliter Camillæ legitima eidem de jure debita ſuper paternis Bonis omnino defeciſſet, ipſa tamen monuit = *nunquam fore ſatis immunem ab officiis ſaltem pietatis erga Parentem defunctum, præſertim ſi quid ipſius legitimæ ſuperfluum ſit pro rata ſtatus ſui, ac conditionis. Una ſiquidem, & conſtans omnium Doctorum vox eſt, quòd qui non poteſt facere totum eo modo, quo jubetur, teneatur facere partem eo modo, quo poteſt.*

Conſilium Theologi ſequutus fuit antedictus Joannes Maria Vir Camillæ, derelictaque erectione Cappellaniæ, ad voluntariam, & arbitrariam Miſſarum proceſſit celebrationem, eamque poſt illius obitum, quæ evenit anno 1729., proſecutus eſt Joannes Petrus ejus filius uſque ad annum 1750., quo tempore is unà cum Camilla Matre pro ejus Conſcientiæ tranquillitate curavit, cum Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Novariæ Contractum inire, vi cujus ei ceſſit nedùm Molendinum cum adnexo Prato, quod Teſtator aſſignaverat pro dote Cappellaniæ, ſed etiam quaſdam Domunculas, & quædam Terrarum petia annui reddikus relativè ad omnia ceſſa Bona, demptis omnibus oneribus, librarum Imperialium 360., ex quibus Capitulum promiſit annuatim ſolvere Joanni Petro, ejus tantùm vita naturali durante, libras centum, & pro reliqua ſumma celebrare Miſſas annuas 260.. Joanne Petro verò defuncto, totidem celebrare Miſſas, quot ſunt redditus annuarum librarum 360., quemadmodum ab anno 1764., quo obiit Joannes Petrus, dictæ Miſſæ 360. à Capitulo celebratæ fuerunt, & annuatim celebrantur.

Quæ Theologus conſuluit Joanni Mariæ, & quæ Joannes Petrus egit in exonerationem tam ſui, quàm ſuarum Domus, & Familiæ, ea omnia ſubſiſtere poſſe vehementer dubitans Defendens Maria Trevi moxdicti Joannis Petri filius, & Collegiatæ Eccleſiæ S. Gaudentii Novariæ Canonicus religioſæ Conſcientiæ, dum ipſe pluribus confectis calculis, putat, hæreditatem Defendentis Bruſati, ſoluto ære alieno, demptaque pariter legitima Camillæ filiæ debita, parem eſſe ad ſubeundum onus erigendæ Cappellaniæ in deſignata Eccleſia Monialium S. Auguſtini, humilitèr hinc ſupplex eſt huic Sac. Congregationi, ut ab ipſa definiatur, quod juſtum, & æquum eſſe putaverit.

Auditus fuit Epiſcopus, qui Capitulum Cathedralis tàntum audivit. Is autem retulit, quæ ſupra fuerunt, retulitque pariter jura Capituli negantis ſubſiſtentiam calculi à Canonico confecti ſuper idoneitate hæreditatis Defendentis Bruſati, ipſumque dicit Canonicum impugnare poſſe Contractum cum eodem Capitulo Cathedralis Eccleſiæ initum à Joanne Petro ejus Patre, & Auctore.

Ne autem præſens Folium in volumen excreſcat, rogantur Eminentiſſimi Patres perlegere jura à Canonico circumferenda, cum quibus etiam per extenſum dantur, & Teſtamentum Defendentis Bruſati, & preces ejuſdem Canonici, & Epiſcopi relatio. Novem ſunt ipſius Canonici poſtulationes, totidemque ſunt Dubia, quæ definienda proponuntur.

I. *An Miſſa quotidiana à Teſtatore ordinata celebranda ſit pro illius Anima, ſive juxta quamcumque illius intentionem, ſeu potius arbitrio Sacerdotis celebrantis cum perceptione etiam eleemosynæ* = & quatenus negativè.

II. *An hæredes Teſtatoris teneantur reſtituere fructus perceptos à Fundis prò Cappellaniæ erectione aſſignatis detractis expenſis, & cujus favore, & in quos uſus ſint illi erogandi* = & quatenus affirmativè ad primam partem.

III. *An Molendinum cum Prato adnexo aſſignatum ſit Cappellaniæ* taxativè, *ſeu potius* demonſtrativè = & quatenus taxativè.

IV. *An Miſſarum numerus relativè ad tempus præteritum regulari debeat juxta redditus Molendini, & Prati dumtaxat, ſeu potius juxta redditus aliorum etiam Bonorum Teſtatoris Moſitii poſitorum in caſu &c.*

V. *An, & quæ Miſſæ in præteritum celebratæ ſint in adimplementum oneris Cappellaniæ in caſu &c.*

VI. *An, & in qua Eccleſia celebrandæ ſint reliquæ Miſſæ in præteritum non celebratæ, & intra quod temporis ſpatium in caſu &c.*

VII *An Miſſæ in futurum celebrandæ ſint in Eccleſia Monialium S. Auguſtini Novariæ, etiamſi Canonici illius Eccleſiæ Cathedralis conceſſa eis Bona retrocedere detrectarent in caſu &c.* = & quatenus aſſignatio Molendini, & Prati pro dote Cappellaniæ ſtet demonſtrativè.

VIII. *An in caſu, quòd detractis melioramentis à Canonicis Cathedralis Novariæ in Bonis illis ceſſis fact., illiſque rependendis, ſatis non ſint redditus ipſorum Bonorum ad celebrationem Miſſæ quotidianæ, ſupplendum ſit cum aliis Bonis hæreditariis Teſtatoris in præjudicium legitimæ Camillæ debitæ in caſu &c.* IX. *An*

IX. *An denegantibus Canonicis Cathedralis reſtitutionem Bonorum ipſis ceſſorum, & in caſu, quòd applicandæ ſint Miſſæ celebrandæ, adimpleta ſatis remaneat mens Teſtatoris per applicationem faciendam in Eccleſia dictæ Cathedralis, & celebrationem Miſſæ quotidianæ in Eccleſia Monialium S. Auguſtini in caſu &c.*

BENEVENTANA DISPENSATIONIS. Pia Mulier Caſſandra Janſito de Martino Beneventana Teſtamentum condidit anno 1743., quo juſſit, geminas erigendas eſſe Cappellanias cum onere Miſſæ quotidianæ ad Altare Montis Mortuorum ſitum in Eccleſia Jeſus, ad quarum primam, quam eſſe voluit annui redditus ducatorum nonaginta, in Cappellanum nominavit Sacerdotem Ignatium Pallante, eoque defuncto = *quel Sacerdote, che vi ſarà della Famiglia di detto Signor Don Ignazio, e del Signor Bernardo ſuo Fratello, e quando non ve ne foſſe, debbano nominare altro i Governatori di detto Monte, mà ritornando ad eſſervi Sacerdote, debbano ſempre queſti preferirſi, perchè così l' iſtituiſco, e fondo.* *Seſſ. 23. cap. 6. de Reform.*

Anno 1775. deceſſit Ignatius primus Cappellanus, per cujus obitum cum vacaverit Cappellania, nec ad eam aſſequendam ullus eſſet idoneus de Familia Bernardi fratris, quam in omnibus futuris vacationibus expreſsè præferri mandaverat ipſa Teſtatrix, hinc ad illam idem Bernardus nominavit Nicolaum ejus filium ſexennem ſub ſpe obtinendæ diſpenſationis à Sancta Sede ſuper defectu tam ætatis, quàm Clericatus, ſubindeque pro his aſſequendis preces porrexit Summo Noſtro Pontifici, à quo etiam poſtulavit facultatem adimplendi Miſſarum onera per alium Sacerdotem, ſoluta eleemoſyna manuali, ut reliqui Cappellaniæ redditus erogarentur in manutentionem ſuæ Familiæ, attenta maxima, qua ipſe premitur, pauperate.

Remiſſis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus de more fuit Eminentiſſimus Beneventanus Archiepiſcopus, qui retulit in ejus Archiepiſcopali Curia comparuiſſe Canonicum Antonium, & Felicem fratres de Pallante judicialiter contendentes, ſpectare Cappellaniam ad Sacerdotes ipſorum Familiæ, nulla habita ratione filii dicti Bernardi, quia cum Fundatrix vocaverit Sacer-

cerdotem , admittendum non esse , qui actu Sacerdos non reperitur , ideoque ipsi Canonico Antonio , & Sacerdoti Francisco moxdicti Felicis filio tamquam de familia contentiva supradictorum Ignatii , & Bernardi debitam esse Cappellaniam ; Suum tamen votum idem Archiepiscopus non aperuit .

Jura pro Nicolao filio modò deducit Bernardus Pallante Pater . Is enim probat , Nicolaum filium nuperrimè fuisse ad primam Clericalem Tonsuram promotum , & ordinatum ; Probat , Sententiam definitivam latam fuisse in Archiepiscopali Curia Beneventana , in qua decisum fuit , *Cappellaniam prædictam à quondam Cassandra Jansito fundatam spectavisse , & spectare ad solos Sacerdotes dependentes ex dicto D. Bernardo Pallante , exclusis Sacerdotibus aliarum* Linearum ejusdem Familiæ Pallante : Probat ejus inopiam testimonio Decurionum Beneventanæ Civitatis , & proprii Parochi : Probatque demum , unum ex Administratoribus Montis Mortuorum consensum suum petitæ gratiæ præstitisse , posthabito dissensu alterius Administratoris Felicis Pallante veluti Contradictoris in Causa Bernardi Patris , & Nicolai filii .

Res itidem est de concedenda dispensatione , quæ facilè conceditur à Dataria Agostolica , ubi agitur de passive vocato,& unico ex contemplata Familia *Corrad.in Prax. Dispens. lib. 4. cap. 2. num. 8.* , *Piton. discept. Eccles.13. num. 42.* , prout nec etiam Sacra Congregatio solet his in terminis postulatam dispensationem denegare , præsertim concurrente paupertate , & interesse habentium consensu , quemadmodum plurimæ sunt Resolutiones hujus Sacræ Congregationis relatæ tùm in Causa *Cornetana* proposita *die* 6. *Maii* 1775. , & in *Cremonen. Dispensationis* proposita *die* 2. *Decembris ejusdem anni* , & in utraque conformi disceptato Dubio = *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.* = conforme pariter prodiit responsum *in Cornetana die* 17. *Junii dicti anni* 1775. , & in *Cremonen. Dispensationis die* 20. *Januarii* 1776. nimirum = *Affirmative usque dum ad legitimam pervenerit ætatem, adimpletis oneribus* .

A Canonico Antonio , & Felice Fratribus Pallante nihil habuimus . Simillimum Dubium nunc proponitur ab EE. VV. , perpensis juribus à Bernardo circumferendis, sapientissime definiendum .

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Die

Die Sabbathi 7. Auguſti 1779. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

DIgnabuntur EE. VV. reaſſumere *Folium poſtremæ Congregationis* habitæ *die 7. nuper elapſi menſis Julii*, & quinque priori loco ſubiiciendas Cauſas, quæ in ea diſcuti non potuerunt, nunc eximia, qua pollent, ſapientia, definire.

ROMANA SUBSIDII DOTALIS, cujus eſt Caput. *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & pro quibus annualitatibus ſit locus præſtationi Subſidii dotalis in caſu &c.

Quoad Moniales negative, quò verò ad Eliſabetham, & Hieronymam, attentis peculiaribus facti circumſtantiis, affirmativè pro quinque annualitatibus pro qualibet.

NOVARIEN. MISSÆ CONVENTUALIS, in qua ambigitur. *Seſs. 23. cap. 1. de Reform.*

An ſit locus exemptioni ab applicatione Miſſæ Conventualis, ſeú potius illius reductioni ad ſolos dieseſtos de præcepto in caſu &c.

Negativè ad primam partem, affirmativè ad ſecundam, & ſcribatur Epiſcopo, juxta mentem, nempe ut cogat tres Canonicos, qui regunt Eccleſias filiales ſuburbicarias ad ſatisfaciendum diebus feſtis, qui in eorum hebdomadam incidunt per Vice-Parochos, aut alios Sacerdotes oneri Miſſæ pro Populo in prædictis Eccleſiis filialibus.

TER-

Sess. 22. cap. 4. de Reform.

TERRACINEN., cujus duo sunt Capita.

I. *An Clerico Beneficiato Angelo Maceroni competat jus suffragii in actibus Capitularibus in casu &c.* = & quatenus negativè.

II. *An sit locus habilitationi ejusdem pro habendo votum in Capitulo Beneficiatorum in casu &c.*

Ad utrumque affirmativè, & amplius.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

NOVARIEN. cujus IX. Capita sunt.

I. *An Missa quotidiana à Testatore ordinata celebranda sit pro illius Anima, sive juxta quamcumque illius intentionem, seù potius arbitrio Sacerdotis celebrantis cum perceptione etiam eleemosynæ* = & quatenus negativè.

II. *An hæredes Testatoris teneantur restituere fructus perceptos à Fundis pro Cappellaniæ erectione assignatis detractis expensis, & cujus favore, & in quos usus sint illi erogandi in casu &c.* = & quatenus affirmativè ad primam partem.

III. *An Molendinum cum Prato adnexo assignatum sit Cappellaniæ* taxativè, *seù potius* demonstrativè *in casu &c.* & quatenus taxativè.

IV. *An Missarum numerus relativè ad tempus præteritum regulari debeat juxta redditus Molendini, & Prati dumtaxat, seù potius juxta redditus aliorum etiam Bonorum Testatoris Mositii positorum in casu &c.*

V. *An, & quæ Missæ in præteritum celebratæ imputandæ sint in adimplementum oneris Cappellaniæ in casu &c.*

VI. *An, & in qua Ecclesia celebrandæ sint reliquæ Missæ in præteritum non celebratæ, & intra quod temporis spatium in casu &c.*

VII. *An Missæ in futurum celebrandæ sint in Ecclesia Monialium S. Augustini Novariæ, etiamsi Canonici illius Ecclesiæ Cathedralis concessa eis Bona retrocedere detrectarent in casu &c.* = & quatenus assignatio Molendini, & Prati pro dote Cappellaniæ stet demonstrative.

VIII. *An*

VIII. *An in casu, quòd detractis melioramentis à Canonicis Cathedralis Novariæ in Bonis illis cessis factis, illisque rependendis, satis non sint redditus ipsorum Bonorum ad celebrationem Missæ quotidianæ, supplendum sit cum aliis Bonis hæreditariis Testatoris in præjudicium legitimæ Camillæ debitæ in casu &c.*

IX. *An denegantibus Canonicis Cathedralis restitutionem Bonorum ipsis cessorum, & in casu, quòd applicandæ sint Missæ celebrandæ, adimpleta satis remaneat mens Testatoris per applicationem faciendam in Ecclesia dictæ Cathedralis, & celebrationem Missæ quotidianæ in Ecclesia Monialium S. Augustini in casu &c;*

Quoad præteritum in omnlbus ad D. Secretarium cum SSmo; Quò verò ad futurum ad D. Secretarium cum SSmo pro observatione Contractus initi annis 1750., & 1751., & Orator acquiescat.

BENEVENTANA DISPENSATIONIS, in qua petitur. *Sess. 23. cap. 6. de Reform.*

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Dilata ad sequentem, & proponatur omnino in prima.

LEODIEN. Hujus cognitissimæ Causæ species, & rationum momenta repetenda sunt tùm ex *folio Congregationis* habitæ *die* 2. *Decembris* 1775., quod impressum fuit *vol.* 44. *Thesaur. Resol. Sac. Cong. pag.* 98., qua die geminis propositis Dubiis I. *An Statutum, seu Decretum Capitulare diei* 21. *Januarii* 1628. *sustineatur in casu &c.* = II. *An Canonico Carolo Theodoro de Diffuii debeatur portio fructuum provenientium ex Vino Vinearum locatarum, seu, ut ajunt, Stutorum, & ex venditione Arborum, Lignorum, & Glandium pro duobus an-* *Sess. 24. cap. 14. de Reform.*

nis primæ residentiæ in casu &c. = Rescriptum fuit in sequenti *Congregatione diei* 20. *Januarii* 1776. *vol.* 45. *ejusdem Thesaur. Resol. pag.* 1. attenta Suffragiorum paritate = *Iterum proponatur* = illisque repropositis *in Congregatione diei* 10. *Maii* 1777., ut *ex vol.* 46. *dicti Thesaur. pag.* 76. responsum fuit = *ad I. Negativè, ad II. Affirmativè* = subindè confirmatum *in Congregatione habita die* 14. *Februarii* 1778. edito responso = *In Decisis, & amplius*, tum etiam ex alio *folio Congregationis diei* 6. *Martii currentis anni*, qua die cum iterum quæreretur = *An esset standum, vel recedendum à decisis in casu &c.* = responsum *in Congregatione diei* 26. *præteriti mensis Junii* datum fuit = *prævio recessu à decisis, ad I. Affirmativè, ad II. Negativè*.

Nunc itaque cum ad Judicium amplissimi hujus Ordinis iterum Causa veniat, rogamus Eminentissimos Patres, ut, *præfatis Foliis resumptis*, iisque perpensis, quæ nunc proponuntur, decernant.

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu &c.

Reliquæ non propositæ.

Sess. 21. *cap.* 7. *de Reform.*

BALNEOREGIEN. ECCLESIÆ CATHEDRALIS. Data fuit hæc Causa *in Folio Congregationis diei* 22. *Junii* 1776., quod in lucem hominum venit *Vol. XLV. Thesaur. Resolut. Sac. Congreg. pag.* 80., à quo species ejus repeti debet, sed Causa ea die proponi non potuit: In sequenti verò *Congregatione diei* 13. *Julii ejusdem anni* illius resolutio fuit *dilata ad sequentem* Congregationem, quæ habita fuit *die* 17. *Augusti dicti anni*, geminisque tunc propositis Dubiis = I. *An, & quæ restaurationes, & reparationes necessariæ fuerint in Ecclesia Cathedrali in casu &c.* = II. *An, & ad quem illarum onus pertineat in casu &c.* = responderunt Amplissimi Patres = *Ad I. Affirmativè ad formam Peritiæ* = *Ad II. spectare ad Episcopum Baldassini, dempto eo, quod exactum fuit ex gratia Sanctissimi, juxta liquidationem faciendam coram D. Secretario* = veluti patet *ex eodem Vol.* 45. *dicti Thesaur. Resol. pag.* 84., & 95. Facta igi-

igitur utrique Parti reclamanti potestate iterum jura sua deducendi in Sacra Congregatione, respondendum nunc est.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

ROMANA ALIMENTORUM. Causæ hujus speciei expressa fuit *in Folio Congregationis* habitæ *die* 19. *Aprilis* 1777., quod impressum est *Vol. XLVI. Thesaur. Resol. Sac. Congreg. pag.* 68., à quo repeti poterit, sed die illa Causa proposita non fuit, quod factum est *die* 10. *Maii ejusdem anni*, ut cognosci potest *eod. Volum.* 46. *Thesaur. Resol. pag.* 75.. Cum enim redditus pii Relicti à Paulo Paganini essent erogandi in tot Subsidiis dotalibus ad collationem pro medietate eorumdem reddituum à Ven. Archiconfraternitate Beatæ Mariæ Virginis ab Angelo Annuntiatæ de Urbe, & pro medietate altera ad nominationem Hæredum, & successorum Magdalenæ Paganini Testatoris proneptis, & Uxoris Theodosii de Rubeis, hinc Julius de Rubeis à Theodosio defeendens obtinuit ab hac Sacra Congregatione anno 1767., ut ex medietate eorumdem reddituum ad Familiam suam pertinente assignarentur Annę filiæ suæ mensualia scuta quinque pro ejus alimentis, nec non scuta 700 pro ejus Dote in casu Matrimonii, in casu verò Monacationis scuta 745. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Exemplo Annæ filiæ idem Julius eamdem promovit instantiam pro alimentis constituendis geminis aliis filiabus suis *Mariæ*, *& Victoriæ*; & cum redditum fere medietas pertinens ad Familiam de Rubeis absumpta esset à pluribus gestis assignamentis, quæ inter etiam numerantur Annæ alimenta in mensualibus scutis quinque; itaut, iis demptis, supereressent dumtaxàt annua scuta 84., quæ à dicta Ven. Archiconfraternitate cumulantur anno quolibet pro dote Annæ ad summam usque scutorum 700., vel 745. in executionem Resolutionis hujus Sacræ Congregationis, idcirco idem Julius

lius tunc sibi suasit, quòd alimenta pro suis filiabus Maria, & Victoria detrahi deberent ex altera sæpedictorum reddituum medietate à dicta Archiconfraternitate eroganda in tot Subsidiis Dotalibus, juxta Testatoris præceptum. propositoque *dicta die* 10. *Maii* 1777. Dubio = *An deficientibus fructibus medietatis Capitalis pii Relicti Paganini, qui distribuuntur in tot Subsidia Dotalia ab hæredibus quondam Magdalenæ Paganini, & Theodosii de Rubeis, præstanda sint alimenta ex fructibus alterius medietatis dicti Capitalis, qui distribuuntur in alia Subsidia Dotalia à Ven. Archiconfraternitate SSmæ Annunciatæ Urbis, & in qua summa, & à quo tempore in casu &c.* = responderunt Amplissimi Patres = *Negativè, & amplius*.

Nunc idem Julius Pater, hac derelicta provincia petendi alimenta pro suis filiabus ex medietate reddituum Archiconfraternitatis, confugit ad alteram illorum medietatem ad propriam familiam, & Descendentiam Magdalenæ Paganini, & Theodosii De Rubeis Conjugum pertinentem. Porrectis itaque precibus Summo nostro Pontifici, eisque ablegatis ad hanc Sacram Congregationem, modò postulat, ut ex supradictis annuis scutis 84, quæ ex propria medietate, demptis alimentis pro Anna, aliisque de Familia constitutis, supersunt, ut supra relatum est, multiplicanda pro Dote Annæ, congrua detrahantur alimenta pro suis filiabus Maria, & Victoria, probans, se, ejusque filias esse pauperes, & fortunæ Bonis carere, Annam verò suum pro petita Alimentorum constitutione, & detractione præst re consensum, ea tamen adjecta lege, ut = *quel di più del fruttato sudetto debba restare sempre fermo, ed andare à moltiplico per la consecuzione della sudetta enunciata dote di essa Signora Esponente* = ad formam prænarratæ Resolutionis hujus Sacræ Congregationis, quam firmam, illesamque velle solemniter protestata est.

Audito Eminentissimo Cardinali Protectore dictæ Archiconfraternitatis Bonorum pii Relicti Paganini Administratricis, is, pluribus Deputatorum rationibus motus petitionem Julii reijciendam putat.

Ab Archiconfraternitate nihil habuimus. A Julio verò jura circumferuntur; datis in Summario supplici ejus libello SSmo D. Nostro porrecto Relatione Eminentissimi Protectoris unà cum animadversionibus Deputatorum, Depositionibus Testium, & Parochi super illius pau-

paupertate ; ac demum Instrumento consensus ab Anna filia præstiti , ut , omnibus perpensis , definiant EE. PP.

An , & pro qua summa , & à quo tempore ex residualibus scutis octoginta quatuor monetæ provenien. ex fructibus medietatis pii Relicti Paganini de Rubeis sit locus præstationi Alimentorum favore Mariæ , & Victoriæ Sororum de Rubeis in casu &c.

SPOLETANA , ET REATINA JUBILATIONIS. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Fabritius Ettorre Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Populo Terræ Leonissæ , quæ promiscuæ subest jurisdictioni Episcoporum Spoletani , & Reatini , post exactum quadragenarium , & ultra tempus servitii præstiti dictæ Collegiatæ Ecclesiæ , ejusque præsertim attenta ingravescente ætate annorum sexaginta sex , utpote natus anno 1713. , vacationem à Choro , seu , ut ajunt, *Jubilationem* postulat cum integra fructuum , & quotidianarum distributionum perceptione.

Fuit uterque Episcopus , Spoletanus scilicet , & Reatinus super precibus à dicto Canonico porrectis interrogatus , audito Capitulo , quod dubitavit , utrum jubilatio ei competere posset ex rationibus infra referendis.

Ratio dubitandi in eo stetit , quòd = *essendo la nostra Collegiata composta di due masse distinte , che fanno numero di dodici Canonici , forma per conseguenza due Camerlenghi , i quali in alcuni tempi secondo il bisogno essendo obligati ad assistere agl'interessi della Chiesa privaltresì di Beneficiati , e Cappellani , e godendo quattro la vacanza di dieci giorni per mese , venendosi alla giubilazione di alcuno di essi , e mancando altri o per infermità , o per affari proprj , che non intervengono , per non lasciare il Coro inofficiato , non sò , se in tali circostanze possa godere il beneficio della giubilazione.*

Rursus , quòd = *ogniqualvolta se gli accordi una tal giubilazione non sembrarebbe giusto , che il medesimo percepisse gli incerti , i quali competerebbero à quei , che intervengono al Coro , come pure , che à suo carico restasse l'obbligo di sodisfare à tutti i pesi consistenti nell'Eddomada di cantar le Messe insieme colla celebrazione delle Messe pro Benefactoribus in genere.*

Uter-

Uterque Episcopus in ejus respectiva relatione reprobans, atque respondens objectionibus Capituli sensit, postulatam vacationem à Choro concedendam, ut patet ex eorum relationibus, quæ unà cum juribus à Canonico circumferuntur.

Non ambigitur, Canonicum præstitisse continuum, & laudabile Chori, & Ecclesiæ servitium per annos ultra quadraginta; nam illud non impugnatur à Capitulo, & laude prosequitur ab Episcopis; Quo concurrente, videtur, locum esse concessioni petiti Indulti vacandi à Choro, quibuscumque posthabitis contradictionibus Capituli, juxta constantissimam Sacræ Congregationis Sententiam, de qua testantur plurimæ illius Resolutiones, & præsertim in Causa *Aversana* 20. *Martii* 1720., *in Calaguritana Jubilationis quoad II. Dubium* 2. *Maii* 1733., *in Civitatis Castellanæ* 29. *Novembris* 1766., *in Eugubina Jubilationis* 9. *Septembris* 1775., & *in Lauretana Jubilationis* 2. *Decembris ejusdem anni quoad I. Dubium*.

Videtur insuper, Canonicum vi hujus Jubilationis Indulti nedum integros percipere posse suæ Præbendæ fructus, sed etiam lucri facere debere quotidianas Distributiones, fallentias, cœteraque emolumenta inter præsentes distribuenda, perinde ac si ipse quoque præsens esset in Choro ex firmatis per *San. Mem. Benedictum XIV. de Synod. Diœces. lib.* 3. *cap.* 4. §. 6., & *lib.* 13. *cap.* 9. §. 15., *Pignatell. tom.* 3. *consult.* 19., *Monacell. tom.* 2. *tit.* 13. *form.* 2. *num.* 76., consonantque Responsa Sacræ Congregationis edita *in Romana Jubilationis* 29. *Januarii*, & 5. *Martii* 1678. *lib.* 30. *Decr. pag.* 16. & 36., *in Perusina* 17. *Julii* 1688. *lib.* 38. *Decr. pag.* 326., & *in dicta Lauretana Jubilationis* 2 *Decembris* 1775. *quoad II. Dubium*. Ad differentiam illarum Distributionum, quæ ex Testatorum voluntate, vel ex peculiari Ecclesiæ Statuto sunt inter Canonicos dumtaxàt Choro præsentes distribuendæ, quibus non fruitur Canonicus Jubilatus, ut sæpissimè definivit hæc Sacra Congregatio, & in specie *in Mantuana Distributionum* 11. *Julii* 1694., *ut in lib.* 44. *Decr. pag.* 357., *in Aquipendien. Jubilationis ad III. Dubium* 28. *Martii* 1697., *ut in Lib.* 47. *Decr. pag.* 45., & 111., & *in Romana Jubilationis* 24. *Martii* 1703. *lib.* 53. *Decr. pag.* 74., & 113.

Hæc, & alia sunt in Libello circumferendo à Canonico. Munus nunc erit EE. VV. definire.

An sit concedendum Indultum Jubilationis in casu &c.

Die

Die Sabbati 28. Auguſti 1779. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUinque Cauſas priori loco ſubiicimus, quarum prima *dilationem* obtinuit *ad hanc Congregationem*, reliquæ verò propoſitæ non fuerunt *in poſtrema Congregatione* habita *die 7. labentis menſis Auguſti*; Rogamus itaque Eminentiſſimos Patres, ut ad eas definiendas *Folium ejuſdem Congregationis* iterum conſulant.

BENEVENTANA DISPENSATIONIS, cujus Dubium eſt. *Seſſ. 23. cap. 6. de Reform.*

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione in caſu &c.

Affirmative uſquequo Orator ad legitimam ætatem pervenerit pro ſuſcipiendo Sacerdotio, adimpletis oneribus.

LEODIEN., in qua reſpondendum eſt. *Seſſ. 24. cap. 14. de Reform.*

An ſit ſtandum in primo, & ſecundo, vel tertio loco deciſis in caſu &c.

In ultimo loco deciſis, & amplius.

BALNEOREGIEN. ECCLESIÆ CATHEDRALIS, cujus Dubium eſt. *Seſſ. 21. cap. 7. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

In deciſis ad utrumque, & amplius.

RO-

Sess.22. cap. 6. de Reform.

ROMANA ALIMENTORUM, in qua disputatur. *An, & pro qua summa, & à quo tempore ex residualibus scutis octoginta quatuor monetæ provenien. ex fructibus medietatis pii Relicti Paganini de Rubeis sit locus præstationi Alimentorum favore Mariæ, & Victoriæ Sororum de Rubeis in casu &c.*

Dilata, & ad mentem, & mens est, quòd Oratrices instent postquam cessaverit aliqua alimentaria præstatio ex dicta medietate hæreditatis.

Sess.24.cap.12. de Reform.

SPOLETANA, ET REATINA JUBILATIONIS, in qua quæritur.

An sit concedendum Indultum Jubilationis in casu &c.

Affirmative cum solitis Clausulis.

Sess.24.cap.18. de Reform.

HORTANA STIPENDII, ET LIBERATIONIS A' MOLESTIIS. Data fuit hæc Causa *in Folio Congregationis habitæ die* 29. *Julii* 1775., quod publici Juris factum est *Vol. XLIV. Thesaur. Resol. Sacr. Congreg. pag.*66., sed ea die proponi non potuit. Iterum data *in Folio Congregationis diei* 19. *Augusti ejusdem anni*, rescriptum fuit = *Dilata, & ad mentem, & mens est, ut doceatur, si quid, & in qua summa receptum fuerit à Parocho Raganoni, & utrum applicaverit Missam pro Populo Paræciæ S. Mariæ Lauretanæ Balneoli* =. Tertio repetita *in Folio Congregationis diei* 17. *Augusti* 1776., ut habetur *ex Vol. XLV. Thesaur. Resol. pag.*106., sine resolutione recessit, eam tamen accepit in sequenti *Congregatione* habita *die* 7. *Septembris dicti anni* 1776.; nam geminis in ea propositis Dubiis, quorum primum erat = *An, & à quo tempore, & in qua summa debeatur stipendium in casu &c.* = & II. *An sit locus liberationi à molestiis in casu &c.* = responderunt Eminentissimi Patres = *Ad I. pro annuis scutis duodecim deberi à die deputationis, pro majori verò summa iterum proponatur* = *Ad II. Affirmative, & amplius*.

Adversus hanc definitionem Roscii succumbentes postularunt audiri, & voti compotes à me facti fuerunt quoad

pri-

primum Dubium tantùm. Verumtamen iis authumantibus, non esse locum solutioni ullius stipendii favore Sacerdotis Antonii Raganoni Parochi SS. Josephi, & Marci, quia Paræcia Castri Balneoli, deficiente Populo, de anno 1763. fuerat ab Episcopo in Sacra Visitatione suppressa, & unica tàntum, quæ in eo Castro, seu Latifundio supererat, Familia unà cum omnibus aliis, quæ in eodem Castro ad habitandum, vel colendum accesserint, subjecti fuerunt, ut antea erant, eidem Parocho SS. Josephi, & Marci, idcirco facta eisdem Comitibus de Roscis *per Decretum Eminentissimi D. Cardinalis Pro-Præfecti* potestate adeundi Sacram Congregationem pro obtinenda nova Audientia contra resolutionem etiam secundi Dubii, eorumque juribus propositis *per Summaria Precum in Congregatione* habita *die* 17. *nuper elapsi mensis Julii*, contradicente Monasterio S. Silvestri de Capite Urbis, rescriptum fuit = *Audiatur, & ad mentem, & mens est, quòd proponantur insimul duo Dubia aliàs proposita sub dubio = An sit standum, vel recedendum à decisis =, & quartum tantùm dubium ex quatuor subscriptis*.

Obsequentes igitur imperio EE. VV. hìc damus præscripta Dubia, altero addito à Parocho requisito super majori quantitate stipendii ea scutorum duodecim, quæ fuerat in anteacta resolutione præfinita, pro qua mandatum tunc fuerat, quòd Causa *iterum proponeretur*. Ex juribus itaque circumferendis ab eisdem Partibus, nec non à Promothore Fiscali Ecclesiasticæ Curiæ Hortanæ ad Causam vocato, Amplissimi Patres, *repetita lectione Folii supradictæ Congregationis diei* 29. *Julii* 1775., respondere poterunt.

I. *An sit standum, vel recedendum à decisis sub die* 7. *Septembris* 1776. *quoad I., & II. Dubium in casu &c.* = & quatenus in decisis quoad primum.

II. *An, & in qua summa majori supra scuta duodecim debeatur stipendium in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit providendum manutentioni Rectoris in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

TERMULARUM DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Die 4. Decembris 1768. Sacerdos Joannes de Alexandro Primicerius Ecclesiæ Cathedralis Termularum unà cum Notario Constantino Quici ejus Leviro, & cum Operariis accessit ad suas frumentarias foveas ad effectum frumentum ex iisdem foveis extrahendi, & alibi transvehendi: Verbalis contentio, cui facta successerunt, exorta fuit inter Nicolaum Bevilacqua unum ex Operariis, & Notarium Quici, qui lignea virga, quam præmanibus habebat, eum graviter verberavit; Superaccedente verò Primicerio, & è manibus alterius ex Operariis arrepto instrumento ligneo nuncupato *Pala*, is etiam Nicolaum verberibus affecit, quorum unum, & in actu illius vibrationis se incurvescente Nicolao, caput ejus percussit, & vulneravit. E loco discessit Nicolaus, suamque Domum repetiit, ac per ipsum exposita in Curia Laicali Termularum querela contra Notarium Quici, jure sibi reservato eam pariter exponendi contra Primicerium in Ecclesiastica Curia Termularum, paucas post horas decessit.

Audita à Primicerio Nicolai morte, spontè sese constituit sequenti die 5. Decembris, & ea die in Curia Capitulari Termularum, dùm Sedes Episcopalis adhuc erat vacans, comparuit Vidua defuncti Nicolai, exposuitque homicidii querelam adversus Primicerium, hinc Processus contra illum fuit compilatus à Vicario Capitulari; Interim verò Termularum Ecclesia provisa Pastore suo, hic hujusmodi Causam ob defectum idonei Officialis renuncians unà cum efformato Processu à Vicario Capitulari ablegavit definiendam in prima instantia ad Metropolitanam Curiam Beneventi, à qua tandem, & sub die 17. Mensis Augusti 1770 lata fuit Sententia declarans = *supradictum Primicerium Dominum Joannem de Alexandro tamquam de præmisso homicidio in personam præfati Nicolai Bevilacqua repertum culpabilem, & de jure punibilem declarandum fore, & esse incursum in irregularitatem, prout irregularis declaratur; Nec non attenta remissione Partis querelantis, attentis mandatis pœnalibus tùm in dicta Curia spatio penè biennii per ipsum passis, & attenta adversa valetudine juxta Medicorum attestationem condemnandum fore, & esse, prout præsenti Decreto condemnatur in pœnam detensionis per septennium continuum in Ven. Conventu RR. Patrum Minorum Reformatorum S. Francisci Civitatis Termularum ejus Patriæ, vel in alio Monasterio,*

sterio, sive Domo Religiosa, prout Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Episcopo Termularum in quacumque parte septennii prædicti melius expedire videbitur.

Ab hac Sententia Primicerius appellavit ad Sanctam Sedem Apostolicam. Vèrùm idem Primicerius spontè se obtulit, & obtinuit detrudi in Conventu Patrum Minorum Reformatorum S. Francisci pro subeunda præscripta pœna sine tamen præjudicio prosequendi Causam in gradu interpositæ appellationis. Elapso septennio, idem pro dispensatione ab irregularitate Sanctissimo supplicavit: Precibusque remissis ad hanc Sacram Congreg., in Contradictorem Primicerius invenit Archidiaconum Nicolaum Carbone tunc Vicarium Capitularem, & processantem.

Eminentissimus Archiepiscopus Beneventanus, & Termularum Antistes pro Informatione, & voto, ac super satisfactione Partis, & Fisci requisiti, auditique fuerunt. Termularum Episcopus exposita solummodò confirmavit, & in reliquis se abstinuit, quia ipse tempore patrati homicidii, & inchoati Processus nondùm erat Termularum Episcopus, Causam verò non ipse, sed Metropolitanus examini subjecit, & absolvit. Ast Eminentissimus Beneventanus Archiepiscopus relata pariter confirmans concludit, quòd = *toto detrusionis tempore, quæ à Religiosis Monasterii exercitia pietatis fieri solebant, ea ipsa Primicerius cum animi devotione, & aliorum ædificatione jugiter peragebat. Ex hac igitur facti serie si æquitati locus dari velit, quamvis Primicerius non integrè, & perfectè Fisco satisfecerit, sufficienter tamen satisfeciisse dicendum videtur, propterea que gratiam, de qua in precibus, quas hìc adjunctas remitto, Primicerium promereri posse crediderim* = Precibus igitur *inter Summaria Precum* propositis *in Congregatione* habita *die* 30. *Maii* 1778. rescripserunt Eminentissimi Patres = *Lectum, & preces amplius non recipiantur.*

Prolixioribus precibus rem fideliter iterum exposuit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, qui Oratoris instantiam semel ab hac Sacra Congregatione rejectam ad eamdem ablegavit.

Quod autem in Causa certum videtur, illud est, defunctum Nicolaum non à solo Primicerio, sed etiam à Notario Quici verberatum fuisse. Is enim ipse querelans Notariùm ore proprio sic exposuit = *stava io riposando, quando ecco, che se ne è venuto detto Notaro Costantino*

Quici verso di me lagnandosi, che io riposava allora, che non vi era tempo dà perdere, à motivo, che il Mare s'ingrossava, e doveva finirsi il carico, e che se non si sfossava il grano, à me frà gl' altri non voleva pagarmi; Ed avendo io risposto, che aveva bisogno delle pietre della sua Casa, perchè aveva crepato dalla mattina fino à quell' ora in cacciar grano dalle sue fosse, alzato ave la Sagliocca, che aveva nelle mani, mi hà dato più colpi dietro li reni, e certe puntonate per la vita, dalle quali mi sento addolorato, e tutto travagliato. Poco dopo battuto dal Notaro Quici è sopragiunto Don Giovanni Primicerio di Alessandro suo Cognato, ave preso dà terra una pala di legno, e mi hà dato una botta nella spalla, ed un altra botta, perchè mi era curvato, mi hà ferito in capo, e stò così insanguinato, come V. S.mi vede.

Est igitur examinandum, an repentina mors Nicolai ex verberibus à Primicerio, seù potius à Notario datis evenerit, ut tutò affirmari possit, Primicerium interfeciſſe Nicolaum. Metropolitana Curia fortasse non fidens Peritorum relationibus acceptis à Vicario Capitulari Termularum, ut probatur, inimico Primicerii, contra quem litem modò sustinet, alios Medicos in Peritiores elegit, qui formiter examinati retulerunt, vulnus in capite Nicolai à Primicerio datum periculi plenum quidem esse, non autem lethale, præsertim cum cerebrum fuerit repertum incolume, nec causam esse potuisse repentinæ mortis Nicolai, quam eveniſſe fassi sunt ex massa sanguinis crumosi in abdomine, & ex contusione in Liene repertis, in quibus plures ictus, ut occisus retulit, punctim dederat Notarius.

Rursus animadvertendum est, probationes pro declarando Primicerio Homicidii reo, ut in ejus Informatione dixit Eminentiſſimus Beneventanus Archiepiscopus, incertas esse, ambiguas, & contradictorias, & id ipsum post latam Sententiam notum feciſſe Termularum Antistiti per Epistolam, quæ extat *in Processu Criminali fol.* 218. *a tergo*, cujus verba sequentia sunt = *Per quello spetta alla pena della detrusione, siccome hò stimato doversi al Primicerio soltanto una pena straordinaria, sì perchè il delitto non puol riputarsi indubitato per essere debilitate le prove, e le deposizioni de sudetti Testimonj per le divisate loro contrarietà sebbene in altro Giudizio, si anche perchè supponendole per verissime, non vi è la premeditazione, o*

altra

altra qualità aggravante, anzi si và à conoscere non esservi stato un vero animo di uccidere, così hò dovuto restringermi ad una pena straordinaria propria ad un Ecclesiastico costituito in dignità quemadmodùm in simili casu incertitudinis lethalium vulnerum ab uno, vel ab altero datorum utrumque ab Homicdii pœna liberandum esse firmavit *Farinac. quæst* 96. *num.*31., & *Raynald. Observ. Criminal. tom.* 3. *cap.* 33. §.4. *sub num.*21. *vers. Tertium, & seq. pag.* 231.

Ponderandum insuper est, Capitulum, detecta veritate Facti, & Primicerii integritate, Procuratorem constituisse = *a rivocare qualunque atto si facesse in forza di altre Procure da quì sottoscritti firmate per agire contro D. Giovanni Primicerio d'Alessandro per la Causa dell'Omicidio* =; Communitatem verò, Populumque Termularum Primicerium summoperè laudare, ac humiliter instare, ut Primicerius absolveretur ab irregularitate = *affinchè quel Publico ne risenta quel vantaggio, di cui per tanto tempo si è veduto privo, e riacquisti il Direttore delle loro Anime* = Archiepiscopus tandem Beneventanus retulit, quòd *toto detrusionis tempore, quæ à Religiosis Monasterii exercitia pietatis fieri solebant, & ipsa Primicerius cùm animi devotione, & aliorum ædificatione jugiter peragebat.*

Præ oculis similiter habendum est, vulnus in capite Nicolai non per industriam, nec ex proposito, & voluntate Primicerii, sed casuale fuisse = *perchè* (ut idem Nicolaus exposuit) *mi era curvato*: Itemque effluxum jam esse tempus undecim annorum à die obitus Nicolai, hoc est à die 4. Decembris 1768., ita ut memoria Facti ferme fuerit obliterata: Rem itidem esse, non de Clerico ad Sacros Ordines promovendo, de quo loquitur Sacrum Concilium Tridentinum *citat. Sess.* 14. *cap.*7. *de Reform.*, sed rem esse quidem de Clerico jam promoto, qui sub illius censura non comprehenditur, quemadmodum in durioribus terminis, homicidii scilicet voluntarii definivit *hæc Sacra Congregatio* sexdecim interessentibus S. R. E. Cardinalibus habita *coram Sanctissimo die* 2. *Septembris* 1613., cujus definitio fuit ab eodem Summo Pontifice approbata, teste *Fagnan- in lib.* 5. *Decretal. cap. Henricus de Cleric. pugn. in duel. num.* 23. *cum duob. seqq.*, *& Fargn. de Jurepatr. part.* 1. *can.* 5. *cap.* 11. *num.* 68., nec ad alium finem hæc disputatio tunc proposita fuit, nisi ut appareret, quòd hic casus in Decreto Concilii non

inclu-

includitur, veluti prosequitur idem *Fagnan. loc. cit. n.* 26., quemadmodum & hujus generis dispensationem sæpe sæpius à Sancta Sede Apostolica concedi Clericis jam promotis, utcumque homicidium publicum sit, & ad Forum contentiosum deductum, testatur dictus *Fagnan. ibidem num.* 34.

Si hæc itaque procedunt in homicidio voluntario favore Clerici jam promoti, quanto potiori jure procedere deberent in homicidio incerto, vel casuali à Primicerio jam promoto patrato, quatenus etiam dicendum esset, mortem Nicolai propter vulnus ejus capitis evenisse, unde dispensationem obtineat, prout eam esse Primicerio jam promoto concedendam tuentur *Fagnan. loc. cit. num.* 24., *Fargn. de Jurep. part.* 1. *can.* 5. *cap.* 11. *n.* 68., qui optimam allegant rationem, nimirum, *quia alias promotus nescitur, quid ageret, cum nec ministrare possit, nec retrocedere liceat.* Hanc dispensationem humiliter postulat Primicerius, & ad propositi Dubii definitionem, præter jura ab ipso circumferenda, conferre possunt Resolutiones hujus Sacræ Congregationis in terminis Clerici jam promoti, qui dispensationem ab irregularitate reportaverat, ut *in Aprutina Irregularitatis* 15. *Decembris* 1708., *& in Novarien. Irregularitatis* 16. *Julii* 1712. per extensum relatæ *à Fargn. loc. cit. num.* 49. *&* 55., nec non *in Cassanen. Irregularitatis* 14. *Decembris* 1748., *in Ostunen. proposita per Summaria Precum die* 1. *Martii* 1749.; *in Bracharen. Irregularitatis* 3. *Aprilis* 1756., *& in Virdinen. Dispensationis ab Irregularitate* 2. *Augusti* 1760.

Ab Archidiacono Nicolao Carbone nihil habuimus. Quæritur.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

FERE-

FERETRANA. Sacerdos Joannes Baptiſta Mordini è Civitate Pinnæ Feretranæ Diœceſis, & Archipræsbyter Plebanæ Eccleſiæ Caſtri Illicis ejuſdem Diœceſis die 19. Octobris 1761. coram Notario, & quinque Teſtibus ſuam ultimam titulo Codicilli pandidit voluntatem poſt ejus obitum omnino obſervandam, & exequendam; Scripſit enim Archipræsbyter plura Legata pia, & prophana; In exequutores ſuæ voluntatis elegit Hieronymum Maſtini, Joſephum Mordini Fratrem ſuum, & Franciſcum Berardi; Uſumfructum ſuorum Bonorum reliquit donec vixerit Joannæ Baptiſtæ Bernarducci ejuſdem Archipræsbyteri famulæ, eaque defuncta, mandavit, = *tutto quel tanto poi, che ſarà in eſſere di eſſo Codicillante dopo la morte della medeſima Giovanna Battiſta, ſia venduto, o in altro modo &c., e la metà del Capitale conſiſtente in Cenſi, Mobili, e Maſſarizie ſia impiegato in ſodisfazione di tante Meſſe per l'Anima di eſſo Sig. Arciprete, e ſecondo la di lui intenzione, ove però parerà, e piacerà agli infraſcritti ſuoi Eſecutori; e l'altra metà ſia impiegata in tante limoſine da farſi, e diſtribuirſi à poveri biſognoſi di queſto luogo, e di queſta Parochia, e come ſi giudicarà meglio circa dette Limoſine da detti Eſecutori, e circa detti Mobili, qualora ſi contentaſſe eſſa Giovanna Battiſta, ſi poſſino da medeſimi vendere, ed impiegare poi la metà del valore di eſſi in ſodisfazione di tante Meſſe, e l'altra metà venga diſtribuita à Poveri di queſta Parocchia.* *Seſs. 22. cap. 6. de Reform., & Seſs. 25. cap. 9. de Reform.*

Et quamvis Archipræsbyter omnes pro ejus exequenda voluntate tam vivente, quàm defuncta Famula uſufructuaria, tribuiſſet facultates ſuis Exequutoribus, eas tamen non aliter tribuit, niſi adjecta conditione; *purchè ſia adempita la pia volontà nel modo &c., e tutto quanto viene ordinato nel preſente Codicillo perchè così &c.*

Sub hac diſpoſitione die 19. Martii 1763. deceſſit Archipræsbyter. Franciſcus Berardi alter ex electis Executoribus commiſſo muneri renunciavit. Alii verò duo Executores voluntatis defuncti Maſtinus ſcilicet, & Mordinus ex condicto cùm Famula uſufructuaria triduo poſt obitum Archipræsbyteri nimirum die 22. dicti menſis Martii, tumultuarie confecerunt Inventarium Bonorum hæreditariorum Defuncti; & propriorum Famulæ, eademque die publicum ſtipularunt Inſtrumentum, in quo Cappellaniam meram laicalem ex tunc, & ſequuto obitu ipſo-

ipſorum Contrahentium habituram effectum erexerunt ad Altare B. M. Virginis de Monte Carmelo ſitum in Cathedrali Eccleſia Civitatis Pinnæ, aſſignatis pro illius dote omnibus Bonis defuncti Archipræsbyteri, & Famulæ, onere Cappellano adjecto tot celebrandi Miſſas, quot eſſent Bonorum redditus ad rationem obulorum triginta pro qualibet Miſſa; Juſpatronatum verò tàm activum, quàm paſſivum reſervatum primò voluerunt Hieronymo Maſtini ejuſque filiis, & Deſcendentibus, iiſque defectis, ſecundo loco favore Joſephi Mordini, ac tertio loco favore ipſius Notarii ſtipulantis.

Sequenti anno 1764. alterum ſtipulatum fuit Inſtrumentum Maſtinum inter, & Mordinum, in quo idem Mordinus in augumentum Dotis Cappellaniæ ceſſit poſt ejus obitum omnia Bona ſua uſque ad valorem ſcutorum ſexcentorum.

Pœnitens nunc Mordinus de geſtis contra voluntatem defuncti Fratris, & de ſuorum Bonorum facta ceſſione maximum in præjudicium ſibi poſt hanc ceſſionem adnati filii Maſculi, ſupplicavit *SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM*, ut derogando fundationi Juriſpatronatus, eum, ejuſque filium ab implemento cujuſvis oneris abſolveret.

Remiſſis precibus ad hanc Sacram Congregationem, fuit pro Informatione, & voto requiſitus Feretranus Antiſtes, qui ea, quæ ſupra dicta ſunt, retulit, confirmavitque, ſubdens, fraudatam fuiſſe voluntatem defuncti Archipræsbyteri, doloſum fuiſſe confectum Bonorum Inventarium, deceptum Mordinum, nullamque fuiſſe fundationem Cappellaniæ, utpote factam contra voluntatem Defuncti, & abſque Beneplacito Apoſtolico: Adminiſtrationem verò Bonorum omnium hæreditariorum ſtetiſſe penes Maſtinum, ipſumque unà cum alio Executore nondum legitimam de Bonis in Inventario deſcriptis rationem reddidiſſe, ideoque concludit = *Dall'ingenua ſerie del fatto ſin quì eſpoſto pare, che ſia luogo à dichiarar nulli li riferiti due Iſtromenti d'erezzione del Juſpadronato, come fatti contro la chiariſſima diſpoſizione dell'Arciprete Mordini, ed ordinarſi, che ſodisfattì prima i pii Legati deſcritti nel Codicillo ſia eſeguita la dì lui volontà con venderſi i di lui Beni, ed applicarſene il ritratto per la metà in elemoſina à poveri di Caſteldelci, e*

per

per l'altra metà nella celebrazione di tante Messe, secondo la riferita disposizione Codicillare.

Ulterius in voto fuit, quòd = *dichiarandosi poi nulli li detti due Istromenti, potrebbe per clemenza di Nostro Signore scioglierssi anche l'Oratore dall'osservanza di essi, attesa la sua povertà, e tal quale presunzione di non aver egli capito come Persona idiota l'obbligo, che contraeva, non potendosi presumere, che un Vomo, che hà Moglie, e Figli, e che campa in buona parte di sudori, e fatiche, abbia voluto fondare un Juspadronato anche à favore del Mastini, e del Notaro rogato, e spogliare di pochi Beni proprii la sua Discendenza: Qual pensiere ben inteso poscia dà lui, gli reca tanta afflizzione, che hò io notizia, non riposare neppure la notte.*

Prosequiturque, compellendos esse Executores ad interponendum juramentum super realitate Inventariorum, ac super pertinentia Bonorum descriptorum ad hæreditatem Archipræsbyteri, & ad Patrimonium ejus Famulæ, cujus hæreditas ad tramites juris redacta = *potrebbe rispetto à questa aver luogo l' erezzione del Padronato, giacchè la Donna medema è già defonta coi detti due Istromenti, mà il Capitale della di lei Eredità consistendo in poca Mobilia lacera, e consunta, e detratte le spese del Funere, e gli Alimenti prestati per più anni dall' Oratore dopo la morte dell' Arciprete, si ridurrà si tenue, che sarà un Padronato di pochi scudi.*

Causa proponitur. Præcipit enim Sancta Synodus, Defunctorum voluntates non commutandas esse, sed religiosissimè observandas, & exequendas *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*. Defunctus quippe jussit, quòd venderentur ejus hæreditaria Bona, eorumque pretium esset pro medietate erogandum in tot Missarum celebratione, & pro alia medietate inter Pauperes distribuendum. Non igitur licitum esse potuisse videtur Executoribus, commutata proprio arbitratu, & sine justa, & urgenti causa voluntate Archipræsbyteri, illam convertere in erectionem Jurispatronatus, quod Testator nullo modo voluit. Hoc itaque revocandum esse, restituendumque Patronis id, quod ab eis datum fuit, sancivit Sacrosanctum Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 9. *in fine de Reformat.*, & *Card. de Luc. de Testam. disc.* 68. *n.* 4., & 7. A' Josepho Mordini jura latissime circumferuntur. A' Ma-

ſtino nihil habuimus. Gemina ſunt quæſtionis Capita ab EE. VV. definienda.

I. *An, & quomodo ſit exequenda pia diſpoſitio Archipræsbyteri Mordini in caſu &c.*

II. *An ſuſtineatur erectio Juriſpatronatus facta virtute Inſtrumentorum 22. Martii 1763., & 1. Junii 1764. in caſu &c.*

Seſſ. 22. cap. 8. de Reform.

SUTRINA TRANSLATIONIS. Confraternitas Suffragii Animarum Purgantium Terræ Tulpharum Sutrinæ Diæceſis uſque ab anno 1758. canonicè erecta reperitur in Eccleſia dicata Beatæ Mariæ Virgini Miſericordiæ de Jurepatronatus Familiæ, & Canonicatus Andreani. Anno 1774. duplex per ſecreta ſuffragia facta fuit reſolutio, quarum prima diei 9. Junii conſtituit, ut anno quolibet in Feſto Sancti Antonii Abbatis à Confraternitate tradi deberet Canonico Andreani Eccleſiæ Patrono libra una Ceræ in recognitionem ejus tituli patronalis, altera verò ſub die 11. ejuſdem Menſis Junii reſolutum fuit, ut ſumptibus Confraternitatis tùm Eccleſia, tùm Sacra Supellectilia manuteneri deberent.

Pro harum Reſolutionum approbatione Sodales à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium obtinuerunt Beneplacitum Apoſtolicum, quo tamen nondùm exequuto, alia Comitia fuerunt inita die 1. Junii 1777., & in eis, nonnullis Confratribus contradicentibus, capta fuit reſolutio Sodalitium à dicta Eccleſia Miſericordiæ transferendi ad Eccleſiam S. Antonii Patavini Patronis iſtius aſſentientibus. Pro facultate hujus peragendæ translationis datæ fuerunt preces eidem Sacræ Congregationi Epiſcoporum, & Regularium, ſubindeque mutato conſilio, eædem preces porrectæ fuerunt Summo noſtro Pontifici, qui eas ablegavit ad hanc Sacram Congregationem.

Auditus de more fuit Sutrinus Antiſtes, qui petitam translationem approbavit, fuitque in Voto, Confratres eſſe exaudiendos, *ſervatis tamen in omnibus de jure ſervandis*, atten-

attentis pluribus conditionibus à conſentientibus Patronis Eccleſiæ S. Antonii Patavini adjectis, quas cenſuit nec approbandas eſſe, nec à Confratribus acceptandas.

Pro translatione nunc urgen Confratres, preceſque ſuas effundit Populus Terræ Tulpharum. Ajunt ipſi, juſtam, & rationabilem concurrere transferendi cauſam, quia Eccleſia B. M. Miſericordiæ tamquam à Terra Tulpharum diſtans adeò Confratribus, & Populo incommoda eſt, ut illius Campanæ ſonitus in eadem Terra non audiatur, ideoque eorum functiones, & Officia negliguntur, nec à Populo frequentantur, quia in eadem Eccleſia nullo modo conſervari poteſt Sacra Supellex; Rurſus quia Eccleſia S. Antonii Patavini, ad quam Sodalitium eſt transferendum, uti in medio Terræ ſita commodior, & aptior eſt pro ſacris peragendis functionibus, & Officiis, utilior verò pro Populo ad eam accedente.

Inquiunt inſuper, Sodalitium nullam obligationem cum Eccleſia Beatæ Mariæ Miſericordiæ, ejuſque Patrono contraxiſſe vel virtute Reſolutionum anni 1774. vel vi obtenti Beneplaciti Apoſtolici, quia utrumque nullam habuit executionem, & res adhuc manet in integro ſtatu. Quemadmodum enim liberum eſt Eccleſiæ Confraternitatem dimittendi, ita quoque facultas eſſe debet Confraternitati ab Eccleſia divertendi *Monacell. formul. for. Eccleſ. tit. 6. form.* 11., *Lanfred. in Romana Oblationum num.* 16.; *Tondut. quæſt. Benef. cap.* 43. *num.* 3. & 8., *Baſs. de Sodalit. ad quæſt.* 9.

Quo poſito, ſuſtinent, effectum eſſe legitimæ translationis, ut omnia ſecum deferat, quæ alibi erant *Gratian. diſcept. forenſ.* 291. *num.* 1., *Franceſ. de Eccleſ. Cathedr. cap.* 7. *num.* 19., & Sacra Congregatio *in Æſina Tranſlationis Parochialis Eccleſiæ* 17. *Decembris* 1709., nec Sodalitium teneri ad manutentionem Eccleſiæ, à qua diſcedere poſtulat, juxta captas Reſolutiones anni 1774., quia ejus obligatio intelligi debeat correſpectiva circumſtantiæ, ac tempori quandiu nempe ipſa in eadem Eccleſia perſeveraret, ideoque translato Sodalitio, ceſſare videatur omnis ejus erga Eccleſiam, à qua diſcedit, obligatio, juxta naturam, & indolem correſpectivarum obligationum, in quibus uno deficiente extremo, alterum quoque deficere neceſſe eſt, ex traditis per *Barboſ. in L. Sicut dotem in princ. num.* 51. *ff. ſolut. Matrim.*, *No-*

gueſol. alleg. 23. *num.* 159. , & *Rot. deciſ.* 90. *num.* 20. *part.* 19. *Recent.*

Hæc , & alia proponuntur à Confraternitate in ſuo circumferendo libello ; A Confratribus , & à Patrono Eccleſiæ Miſericordiæ, qui in Cauſa ſunt , nihil habuimus. Tria ſunt Dubia , quæ proponuntur .

I. *An ſit locus translationi Confraternitatis Suffragii Animarum Purgantium ab Eccleſia Beatiſſimæ Virginis Miſericordiæ ad Eccleſiam S. Antonii Patavini in caſu &c.* , & quatenus affirmative .

II. *An transferendi etiam ſint redditus , & onera à dicta Confraternitate implenda in dicta Eccleſia B. Mariæ Virginis Miſericordiæ in caſu &c.*

III. *An iidem Confratres teneantur implere obligationes per ipſos aſſumptas pro manutentione dictæ Eccleſiæ , & Sacrarum Supellectilium , aliorumque in caſu &c.*

Die Sabbati 18. *Septembris* 1779. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

QUatuor ſequentes Cauſæ propter temporis anguſtiam proponi non potuerunt in proximè prætcrita Congregatione *diei* 28. *ſuper elapſi menſis Auguſti*; ideoque dignabuntur EE. VV. ejuſdem *poſtremæ Congregationis* Folium reſumere, & ſequentibus Dubiis reſpondere.

HORTANA STIPENDII, ET LIBERATIONIS A MOLESTIIS, cujus tria ſunt Capita. *Seſſ.24.cap.13. de Reform.*

I. *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die 7. Septembris 1776. quoad I., & II. Dubium in caſu &c.* = & quatenus in deciſis quoad primum,

II. *An, & in qua ſumma majori ſupra ſcuta duodecim debeatur ſtipendium in caſu &c.*

III. *An, & quomodo ſit providendum manutentioni Rectoris in caſu &c.*

Ad I. in Deciſis, & amplius; Ad II. Negative, & amplius; Ad III. eſſe locum reintegrationi Parochiæ cum Congrua in Erectione præfinita, reſervato jure Monaſterio agendi pro relevatione contra Comitem de Roſcis, prout de jure, & quatenus de jure,

TERMULARUM DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE, in qua quæritur. *Seſſ. 14. cap.7. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

Dilata, & ſcribatur Eminentiſſimo Archiepiſcopo Beneventano, juxta mentem,

FE-

Sess.22. cap. 6. de Reform. , & Sess.25. cap. 9. de Reform.

FERETRANA, cujus duo sunt Dubia.

I. *An, & quomodo sit exequenda pia dispositio Archipresbyteri Mordini in casu &c.*

II. *An sustineatur erectio Jurispatronatus facta virtute Instrumentorum 22. Martii 1763. , & 1. Junii 1764. in casu &c.*

Ad I. ad formam Codicilli, & amplius: Ad II. Negative, & ad mentem, & amplius, & mens est, quòd Episcopus exigat redditionem rationis ab Executoribus, separet Bona tam mulieris, quàm Archipresbyteri,& deinde unicuique Patrimonio assignet respectiva bona ad effectum exequendi voluntatem ad formam Codicilli.

Sess.22. cap. 8. de Reform.

SUTRINA TRANSLATIONIS, in qua tria disputantur Dubia.

I. *An sit locus translationi Confraternitatis Suffragii Animarum Purgantium ab Ecclesia Beatissimæ Virginis Misericordiæ ad Ecclesiam S. Antonii Patavini* =,& quatenus affirmative.

II. *An transferendi etiam sint redditus, & onera à dicta Confraternitate implenda in dicta Ecclesia B. Mariæ Virginis Misericordiæ in casu &c.*

III. *An iidem Confratres teneantur implere obligationes per ipsos assumptas pro manutentione dictæ Ecclesiæ, & Sacrarum Supellectilium, aliorumque in casu &c.*

Reliquæ non propositæ.

Sess.21. cap. 7. de Reform.

CAMERINEN. RESTAURATIONIS ECCLESIÆ. Hujus Causæ species latissimè data fuit *in Folio Congregationis* habitæ *die* 30. *Januarii currentis anni*. Agitur enim de intermittenda Missarum celebratione facienda in Patronali Ecclesia sita in Villa *di Seano*, quæ proximam minatur ruinam, ut cum fructibus nonnullorum Locorum Montium assignatorum pro dicta Missarum celebratione provideri possit Ecclesiæ necessitati. Dubio autem, quod in ea Congregatione proponi non po-

potuit, reſcriptum *in ſequenti Congregatione diei 6. Martii proxime præteriti* fuit = *Dilata, & proponatur, citato Patrono*.

Patronus igitur ad Cauſam vocatus ſua jura modò deducit, ſuſtinetque teſtificatione Epiſcopi, ac Teſtium fide dignorum, ſe pauperem eſſe, & hac de cauſa prorsùs imparem ad ferendum onus reparandi fatiſcentem Eccleſiam. Eo enim ipſo modo, quo Eccleſia pauper non tenetur alere Patronum pauperem, ita é converſo nec etiam Patronus pauper adigi poteſt, ut Eccleſiam reſtauret, vel reædificet, juxta quoque ſenſum Sacri Concilii Tridentini *Seſſ. 21. cap. 7. de Reform.* Fortius quia Fundator ipſe primariò voluit, atque mandavit, quòd Loca Montium aſſignata = *pro dote, & Fundo* = ſtare quoque deberent = *pro perpetua manutentione ejuſdem Eccleſiæ, & Cappellæ*.

Quibus perpenſis, *reſumptoque Folio dictæ Congregationis diei* 30. *Januarii proxime præteriti*, nunc erit reſpondendum.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

ARIMINEN. TRANSLATIONIS ONERIS MISSARUM. Joannes Baptiſta Ravizza Rector, dum vixit, Parochialis Eccleſiæ S. Laurentii *in Corregiano* Ariminenſis Diœceſis in ejus poſtremo, ſub quo deceſſit, Codicillo condito die 25. Auguſti 1722. gemina perpetua in eadem Parochiali Eccleſia fundavit erigenda Beneficia, quorum unum ad Altare Beatæ Mariæ Virginis ab Angelo Annunciatæ, & alterum ad Altare S. Laurentii: Onus celebrationis Miſſæ quotidianæ vel per ſe, vel per alium adjecit utrique Cappellano, ſeu Beneficiato, juſſitque, ut Beneficiatus primi Beneficii SSmæ Annunciationis, quot ſunt cujuslibet hebdomadæ dies, tot diverſas in celebrando Miſſæ Sacrificio faceret illius applicationes, & præſertim voluit, quòd Beneficiatus die Dominico Sacrum applicaret pro ejus Anima, feria verò ſecunda = *per il Popolo mio vivo, e defonto di S. Lorenzo in Corregiano* =, utque Beneficiatus ſecundi Beneficii S. Laurentii Miſſam, juxta ſuam voluntatem, dietim applicaret. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Jus autem utrumque Beneficiatum nominandi toties quoties

ties unum, vel alterum Beneficium vacare contigerit, reliquit ſuis pro tempore Succeſſoribus in munere Rectoratus S. Laurentii in Corregiano, hoc addito= *che debba ſempre nominare uno della diſcendenza di Caſa Ravizza in primo luogo di linea Maſcolina, & in ſecondo luogo di linea feminina.*

Teſtator obiit die 23. Maii 1723., tumulatumque fuit illius Cadaver in ſua Parochiali Eccleſia S. Laurentii. Primum Beneficium ſub titulo SSmæ Annunciationis erectum fuit in eadem Eccleſia, juxta voluntatem Defuncti, conſtituta tamen ex Decreto hujus Sacræ Congregationis Miſſarum eleemoſyna in obulis viginti pro qualibet Miſſa, & ſic in annuis ſcutis 72. percipiendis ex fructibus activi Cenſus in ſorte ſcutorum 1500., qui pro Dote hujus Beneficii pro dicta rata fructuum fuit aſſignatus.

Hoc Beneficium modò poſſidet Sacerdos Bartholomæus Ravizza Defuncti Pronepos. Is autem tamquam Archipræsbyter Parochialis Eccleſiæ S. Joannis *in Gallilea* ejuſdem Diæceſis Ariminenſis cum accedere non poſſit ad Eccleſiam S. Laurentii *in Corregiano* pro implendo per ſe ipſum onere ſui Beneficii, preces proinde porrexit *SUMMO NOSTRO PONTIFICI* pro translatione facienda quotidianæ Miſſæ à dicta Parochiali Eccleſia S. Laurentii, quæ ea non indiget, ad ſuam Parochialem Eccleſiam S. Joannis, ut iſtius Parochiani fruantur commodo tertiæ Miſſæ; utque Orator hanc Miſſam per ſe ipſum celebrans, exceptis tamen diebus, in quibus tenetur Sacrum applicare pro Populo, levamen ſentiat in ſuis neceſſitatibus, dum gravatur onere alendi Matrem ſuam, quinque Sorores, geminoſque Fratres.

Remiſſis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus de more fuit Vicarius Capitularis Ariminenſis, tunc Sede Epiſcopali vacante. Quæ narravit in precibus, & quæ petiit Orator, confirmavit, approbavitque Vicarius Capitularis, ſe tamen abſtinuit à ſuo voto ferendo.

Nunc ſua jura deducit Bartholomæus Orator, contradicente tamem Patrono qui ſimul eſt & Rector Parochialis Eccleſiæ S. Laurentii *in Coregiano*, in qua fuit Beneficium à Teſtatore fundatum.

Et revera duæ ſunt potiſſimæ cauſæ, per quas à Chriſtifidelibus ut plurimum relinquuntur Miſſarum Legata, vel Cappellaniæ, vel Beneficia fundantur, nimirum propriæ

priæ Animæ ſuffragium, aut erga Sanctum præcipua devotio, vel erga aliquam Eccleſiam affectio *Urſaya diſcept. Eccleſ. tom.* 1. *diſcept.* 5. *num.* 12.: Quoties enim Teſtator reſpexerit Animæ propriæ ſuffragium, tunc facilius Miſſarum translatio conceditur ex traditis per *Gratian. diſcept. forenſ.* 73. *num.* 1., ea urgente ratione, quia Miſſæ Sacrificium in quacumque celebretur Eccleſia, ſemper prodeſt Defunctis, ut firmat *Paſqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæſt.* 1148. *num.* 9.: Secus autem ſi Miſſarum celebratio fuerit demandata ex affectione, aut ex peculiari erga Sanctum devotione, vel pro decore alicujus Eccleſiæ; tunc enim ne Fundatorum menti injuria fiat, ac ne cultus Eccleſiæ quoquo modo imminuatur, translatio non conceditur *Gratian. diſcept. forenſ. cit. cap.* 73. *num.* 4. *Fargn. de Jurepatr. part.* 1. *Can.* 6. *caſ.* 4. *num.* 5., *Navar. in Manual. cap.* 25. *num.* 134., & *Rot. in Romana Celebrationis Miſſarum* 13. *Junii* 1732. §. *Ex ipſa coram clar. mem. Card. Calcagnino*.

Quamobrem cùm Teſtator certam deſignaverit Eccleſiam, certumque Altare, in quo Miſſæ celebrari deberent, & quidem cùm earum applicatione nedum in ſuffragium ejus Animæ, ſed etiam, & potiſſimum pro Populo eidem Eccleſiæ ſubjecto, cumque Teſtatoris cadaver fuerit in eadem Eccleſia tumulatum, tùnc ſatis verificata cenſetur illius affectio erga Eccleſiam, erga Populum, ejuſque devotio erga Sanctum. Quibus in terminis Miſſarum celebrationem difficillimè transferendam eſſe à prædilecta Eccleſia ad aliam nec cogitatam, ut expendit *Ricc. in Prax. part.* 4. *reſol.* 69. *per tot.*, *March. de Sacr. Ordin. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 24. *num.* 2., *Pax Jordan. tom.* 1. *var. reſol. lib.* 4. *tract.* 1. *de Sacrif. Miſſ. num.* 540., & ex ſola circumſtantia, nimirum quòd in Eccleſia, in qua fuerat humatum Cadaver Teſtatoris, translationem fieri negavit Sacra Congregatio *in Ariminen. Commutationis Miſſæ* 14. *Martii, &* 13. *Junii* 1711., *ut in lib.* 61. *Decret. pag.* 113., & 363., *in Romana Translationis oneris Miſſarum* 28. *Julii* 1731., *in Neapolitana Cappellaniarum* 16. *Junii, &* 17. *Novembris ejuſdem anni* 1731., & *in Camerinen. Translationis Oneris Miſſarum* 18. *Maii* 1776.

Atque hinc conſtitutum eſt, quòd cum Translationes apertam præſeferant voluntatis Defuncti commutationem, eæ non aliter ex præſcripto *Sacri Concilii Tridentini ſeſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.* permittuntur, niſi urgente juſta, & neceſſaria transferendi cauſa. Non enim quælibet ratio juſtam præbet translationis cauſam, ſed unicè

quæ neceſſitatem inducit, ac ſuadet commutationem voluntatis vel obſcuræ, vel quæ exequi non poſſit, itaut interpretatio potius ſit, quàm vera, & abſoluta mutatio *Piton. de Contr. Patron. alleg.* 50. *tom.* 1., *Pignatell. conſult.* 148. *num.* 4. *tom.* 4., decrevitque Sac. Congreg. *in Peruſina* 12. *Maii* 1764.

Ob idque, ubit deficiat juſta, urgens, & neceſſaria tranſlationis cauſa, ac ubi concurrat Tertii præjudicium, Sacra hæc Congregatio petitam Translationem conſtantiſſimè rejecit, ut *in Regien.* 5. *Auguſti* 1719.; *in Ariminen. Translationis Cappellaniæ* 20. *Decembris* 1732., *in Neapolitana Commutationis voluntatis* 5. *Februarii* 1733., *in Panormitana Translationis Oneris Miſſarum* 26. *Septembris* 1739., & *in Vicen. Translationis Oneris Miſſarum* 19. *Aprilis* 1766.

A Bartholomæo Ravizza Beneficiato jura circumferuntur. A Rectore Parochialis Eccleſiæ S. Laurentii *in Corigiano*, & Beneficii Patrono nihil habuimus. An autem onus, quod Orator habet alendi Matrem, Sorores, & Fratres, nec non amplitudo ſuæ Parochiæ, & Parochianorum difficilis acceſſus ad Eccleſiam tempore præſertim hyberno, & alia plura in Oratoris libello congeſta, quæ cæteroquin poſthabita fuerunt ab hac Sacra Congregatione *in Caſalen. Commutationis voluntatis* 24. *Septembris* 1718., & *in Cathacen. Commutationis voluntatis* 18. *Novembris* 1719., & *in Ariminen. Translationis Cappellaniæ* 20. *Decembris* 1732., tanti in præſenti quæſtione ſint, ut, læſione facta voluntatis Teſtatoris, qui tàm anxie voluit, præcepit, ac juſſit, quòd Sacra in expiationem Animæ tùm propriæ, tùm ejus Parochianorum celebrarentur ad deſignata Altaria ſuæ prædilectæ Eccleſiæ, in qua ejus Cadaver erat ſepelliendum, prout in ea conditum fuit, juſtam præſeferant cauſam transferendi Miſſarum celebrationem ad Eccleſiam *alterius Loci* à Teſtatore prætermiſſam, & fortaſſe eidem incognitam, ipſi viderint Eminentiſſimi Patres, dùm quæritur.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

BUR-

BURGEN. . In Cathedrali Ecclesia Burgensi antiquissimum adest Statutum speciali confirmatione roboratum à Summis Pontificibus Leone X., & Clemente VIII. ; In eo fuit inter cœtera præscriptum , quòd quilibet de Canonicatu , vèl de Portionaria noviter provisus dimittere debeat per sex menses suæ Præbendæ fructus inter alios Canonicos , Beneficiatos , & Præbendatos partiendos , exceptis distributionibus quotidianis integraliter à novo Proviso percipiendis . Duo præterea considerati fuerunt in eo casus , primus scilicèt vacationis Canonicatus per obitum illius Possessoris , & alter nimirum vacationis ejusdem Canonicatus ex causa permutationis , vèl resignationis . In primo namque casu statutum fuit, quòd hæredes defuncti Canonici in compensationem , seù reintegrationem illorum fructuum Præbendæ , quos Canonicus amiserat per semestre tempore primæ suæ residentiæ , quosque Canonici jam inter ipsos distribuerant , illos, exceptis quotidianis distributionibus, percipere deberent per sex menses à die obitus Canonici computandos ad effectum illos erogandi , vèl in expensas Funeris , vèl in dimissionem æris alieni Defuncti . *Sess.24.cap.14. de Reform.*

Statuti verba relativè ad hunc primum casum sunt hæc = *Quòd ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus obtinentibus dignitates Præbendas adnexas habentes , ac Canonicis , & Portionariis dictæ Ecclesiæ , & tales in possessione dignitatum , Canonicatuum , & Præbendarum , ac integrarum , & dimidiarum Portionum Ecclesiæ hujusmodi decedentes fructus , redditus , & proventus* Grossi *nuncupat. dumtaxàt, exceptis distributionibus quotidianis , ac Matriculis , & Matutinalibus nuncupatis in manibus elargiri solitis , Præbendarum per eos , dum viverent , obtentarum dimidii anni à die obitus talis dignitatem obtinentis , seu Canonici , aut Portionarii decedentis computandi , pro eo perciperentur , ac exillis ejus exequiæ celebrarentur , & debita solverentur , aut illi ejus Hæredibus darentur .*

In secundo verò casu , nempe vacationis Canonicatus per resignationem , aut permutationem , in Statuto præscribitur = *Vèrum si Dignitates , Canonicatus , & Præbendas , ac Portiones hujusmodi obtinentes simpliciter , vel ex causa permutationis resignarent , aut alio modo ipsis viventibus illos dimitterent , tunc nihil de præmissis fructibus , sed sòlum illos pro rata temporis eorum possessionis perciperent .*

Verens modò Capitulum , an ejus Statutum in hac parte subsistat , seù potius tamquam Simoniacæ labis , aut for-

didæ avaritiæ ſuſpicionem habens revocatum fuerit tùm à Sacroſancto Concilio Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 14. *de Reform.*, tùm à peculiaribus Conſtitutionibus Summorum Pontificum, nimirum *S. Pii V.* la 104., & *Innocentii XII.* la 51., preces porrexit huic Sacræ Congregationi, eam humiliter ſupplicans, ut quid juris erit, decernat.

Capitulum ſua jura deducit, ſuſtinetque, hujuſmodi Statutum ut potè ſpecificè confirmatum à ſan. mem. Leone *X.*, & Clemente VIII., obſervatumque per plura Sæcula, eſſe itidem impoſterum obſervandum, non obſtantibus citata Sanctione Concilii Tridentini, Apoſtoliciſque Conſtitutionibus ſan. mem. Divi Pii V., & Innocentii XII.

Archiepiſcopus auditus nedum à Capitulo relata confirmat, ſed etiam in voto eſt, ut Statutum, ſive conſuetudo impoſterum obſervetur, ut fuit hactenus obſervata.

Jura, quæ in hac propoſita quæſtione concurrunt, eadem ſunt, quæ relata fuerunt in Cauſa *Leodien.*, quæque repeti poterunt in ejus *Folio Congregationis* habitæ *die* 2. *Decembris* 1775., quod in lucem Hominum editum fuit *tom.* 44. *Theſaur. Sac. Cong. pag.* 98., *& in alio Folio Congregationis diei* 6. *Martii proximè præteriti*.

Ponderandum tamen unicè videtur, Cauſam *Leodien.* à præſenti in eo tantummodo differre, quòd in illa novus Proviſus nihil de ſuæ Præbendæ fructibus, nihilque de diſtributionibus quotidianis amittebat; in præſenti verò, de qua agitur, novus Proviſus privatur per ſex menſes commodo percipiendi ſuæ Præbendæ fructus, qui à Canonicis ipſos inter partiuntur.

Quibus omnibus perpenſis erit ab EE. VV. deliberandum.

An fructus Præbendæ à Præbendato non percepti tempore primi ſemeſtris ſuæ reſidentiæ reſtituendi ſint eidem Præbendato Præbendam renuncianti, ſeu potius ſint partiendi inter alios Præbendatos ad formam Statuti in caſu &c.

Seſſ. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

PLACENTINA MISSÆ CONVENTUALIS. Cum Canonici, & Præbendati Collegiatæ Eccleſiæ S. Florentii Oppidi Florentiolæ propter Præbendarum, ac diſtributionum tenuitatem Miſſam Conventualem ad formam Benedictinæ Encyclicæ = *Cum ſemper* = pro Be-

ne-

nefactoribus applicare non consuevissent, licèt a prædecessore Ordinario propriæ obligationis commoniti, eos tandem hodierni vigilantissimi Antistitis excitavit solertia. Occasione quippè Sacræ Visitationis mandavit, obtinuitque, ut sibimetipsis consulentes, non prætermissa intereà ejusdem Missæ applicatione, quoad præteritum absolutionem, & pro futuris temporibus ad Dominicos tàntum dies reductionem a SSmo Domino Nostro efflagitarent.

Super exhibitis precibus igitur auditus de more Episcopus Tabellam transmisit, in qua annui proventus uniuscujusque ex triginta, & una Præbendis, quot illud Capitulum constat, fideliter describuntur. Ex illa nempe eruitur, dempto Archipresbytero, & quatuor, vel quinque antiquioribus Canonicis, ac duobus tàntum Mansionariis, qui pingui redditu potiuntur, reliquos omnes tenuissimos percipere fructus, & vix pares nonnullos adnexarum Missarum adimplemento, quippe qui absque onerum deductione vel tria, vel quatuor, vel decem, vel viginti septem annua scuta minimè excedant. Ex massa verò distributionum, refert idem Episcopus, unicuique ex Præbendariis, posito continuo chori servitio, *vix summam quatuor scutorum monetæ Romanæ* obvenire ipsius Missæ Conventualis obligatione gravanda, ità ut nemo, si prædicti Canonici, & Mansionarii excipiantur, promeritam habeat sustentationem, eosque dignos, qui exaudiantur, existimet.

Vèrum Sacratissimus Princeps absolutionem Oratoribus de transactis omissionibus impertitus alteram Instantiæ partem ad amplissimum hunc Ordinem ablegavit, qui mandavit, Ordinarium admoneri, ut, peracta fructuum separatione ad Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi præscriptum *Sess.* 21., & 22. *de Reform.*, distributionum Massam augeret, qua tenuibus Præbendis prospici aliquomodo posse videbatur.

Ast laudatus Antistes repetitis Literis fatetur, *se nihil a Capitulo præmissæ Collegiatæ sperare posse*, cum Conciliares hac super re sanctiones observantiam sibi cæteroquin optatissimam ea in Diæcesi nunquam consecutæ sint, utcumque in multis Collegiatis, & in ipsa Cathedrali Ecclesia exiguus valde distributionum cumulus esset. Propositam fructuum separationem executioni demandare, quamvis refragantes sub pœnis Ecclesiasticis vellet adigere, opus moraliter impossibile autumat, quod propterea ex prædecessoribus Episcopis nemo est aggressus,

a qui-

a quibus intimatæ Missæ Conventualis applicationem datum non fuit obtinere, cujus aliqua nunc temporis Canonici saltem cura capiuntur: Hinc ipse quasi mediator; & supplex pro Capitulo exorat, ut illius petitioni indulgeatur, ne aliàs perpetuis laqueis Canonicorum, & Beneficiatorum conscientiæ irretiantur, quos diversa ratione paupertate Præbendarum, ac distributionum deceptos sibimet prospecturos sperandum non est. *Validissimè enim* (sunt Episcopi verba) *obstabit exemplum similis reductionis per eamdem istam Sacram Congregationem paucis ab hinc annis concessæ in paribus, vel fortasse minus urgentibus circumstantiis tum Collegiatæ S. Mariæ loci Curtis Majoris, tum Collegiatæ item S. Màriæ locì Castri Arquati, quæ loca parum distant ambo a Florentiola.* Deinde paulò post subjungit = *certè sedulò laborare non destiti, omnemque industriam, & operam pro modulo meo conferre, ut res valdè minoris momenti a præfatæ Ecclesiæ Capitulo, aliisque obtinerem; sed excussum. Quare memoratam fructuum separationem omninò tentare non audeo, utpote quam nimiis, & invictis difficultatibus septam video.*

Hæc Episcopus, quibus inter Summaria Precum nuperrimè relatis, placuit EE. Patribus mandare, ut eadem omnia in Folio describerentur.

Nihil præterea, ultra narrata, sive in facto, sive in jure animadvertendum occurrit; quoties enim pleræquæ Præbendæ miserrimæ essent, ad levamen illas obtinentium Missæ Conventualis applicationem ad festos dies reducere æquitati consonum existimavìt, reque vera Sacer Hic Consessus reduxit, tametsi ex Capitularibus aliquis non mediocrem ex propria Præbenda proventum perciperet. Inter multa, quæ prostant exempla in Thesauro Resolutionum Sacræ Congregationis, ad rem nostro in themate facere videtur *Placentina Missæ Conventualis* 1. *Martii* 1777., quæ non adhuc in lucem edito volumine, in Folio benignè reassumendo exponitur. Rogantur igitur EE. VV. decernere.

An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ Conventualis in casu &c.

SUTRI-

SUTRINA OFFICIATURÆ. Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ in Cælum Assumptæ Terræ Anguillariæ Sutrinæ Diœcesis incumbentibus Choro singulis diebus tantùm festis de Præcepto cum celebratione Missæ Conventualis pro Benefactoribus Eminentissimus D. Cardinalis Pamphilius tamquam Visitator Apostolicus decrevit in Sacra Visitatione, Canonicos teneri diebus omnibus etiam feriatis Choro interesse ad Divina Officia peragenda, nec non etiam Missæ Conventuali pro Benefactoribus celebrandæ. Ab hoc Decreto Canonici recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem postulantes declarari, ipsos non teneri ad subeunda onera in dicto Decreto præscripta, sin minus instant pro illorum reductione ad dies festos tàntum de Præcepto, nec non à feria tertia Majoris Hebdomadæ usque ad diem Paschatis Resurrectionis. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

Sutrinus Antistes de more requisitus instantiæ Canonicorum favet, suumque votum aperuit his verbis = *Verùm cum nulla sit obligatio nec hominis, nec Juris; cum sermonis progressu sequentia jam adnotata sint videlicet contraria, & quidem immemorabilis consuetudo interpretativa à Sutrinis Episcopis approbata; redditus Canonicorum sint tenues, & incertissimæ recollectionis; Incommoditates sint plures, assererem, posse benignè ab EE. VV. suspendi quotidianam Choralem Officiaturam.*

Quòd autem dicta Ecclesia B. M. Virginis in Cœlum Assumptæ Collegiata sit, in dubium revocari non potest, quoties illius Collegialitas declarata fuit *à Rota coram Crispo decis.* 243. *num.* 1., *& seq.*. Videtur igitur esse debere Canonicorum onus subeundi tùm quotidianum Chori servitium, tùm quotidianam Missæ Conventualis celebrationem cum applicatione pro Benefactoribus, juxta *Encyclicam san. mem. Benedicti XIV.*, quæ incipit *cum semper*.

Verumtamen cum in præsenti hypothesi deficiat Bulla erectionis Ecclesiæ in Collegialem, deficiat pariter Testatorum voluntas gravans Canonicos ad quotidianum Chori servitium; Et è converso probata consuetudine à Sutrinis Episcopis confirmata intereſſendi Choro diebus tantùm festivis de Præcepto cùm celebratione Missæ Conventualis, sustinent Canonici, ab hac consuetudine recedi non debere ex firmatis per *Fagnan. in Cap. Cum omnes de Constit. num.* 31. §. *Sed postea*, *Pignatell. Consult.* 114. *num.* 10. *tom.* 9., *& Consult.* 150. *num.* 84. *tom.* 10., *& Card. Petra ad Constit.* 7. *Innocentii IV.*

Sect. 2.

Sect. 2. num. 28., eiſque onera non eſſe imponenda, quæ vel in Fundatione, ſeù erectione, vel ex volntate Hominis impoſita fuiſſe non apparent *Monacell. in Formular. For. Eccleſ. tom. 2. formul. 1. tit. 15. ſub num. 29.*

Addunt Canonici, quòd iidem etiamſi tenerentur ad ſubeundum quotidianum Chori ſervitium cùm Miſſæ Conventualis celebratione, nihilotamen minus, attenta Præbendarum tenuitate, dùm nonnulli ex Canonicis tenuiſſimos habent redditus, & quamvis aliorum Canonicorum redditus pares ſint ad ſubeunda onera præſcripta, illi tamen, ut refert Epiſcopus, incertiſſimi ſunt, Canonici ſuſtinent eis eſſe concedendam gratiam reductionis onerum ad dies tantùm feſtos de Præcepto, prout quoad Chori ſervitium decrevit Sacra Congregatio *in Romana Reductionis Servitii Chori, & Miſſarum* 18. *Aprilis* 1722., & quoad reductionem Miſſæ Conventualis definivit eadem Sacra Congregatio *in Ariminen. Miſſæ Conventualis ad III. Dubium* 18. *Septembris* 1751., *in Alexandrina Miſſæ Conventualis* 23. *Novembris* 1776., *in Placentina Miſſæ Conventualis* 1. *Martii* 1777., *& in Theleſina Miſſæ Conventualis* 19. *Julii ejuſdem anni* 1777. Petitur itaque.

An, & quibus diebus Canonici Eccleſiæ S. Mariæ in Cœlum Aſumptæ Terræ Anguillariæ teneantur Choro inſervire in caſu &c.

Die Sabbati 27. Novembris 1779. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX *Folio poſtremæ Congregationis* habitæ *die* 18. *præteriti menſis Septembris* ſex tunc non propoſitæ ſuperſunt Cauſæ, quas nunc priori loco ſubjicimus. Rogantur itaque Eminentiſſimi Patres, ut *reſumpto dictæ Congregationis folio*, earum Dubia ſapientiſſimè de more definiant.

SUTRINA TRANSLATIONIS, cujus tria ſunt Capita. *Seſs.22. cap.8. de Reform.*

I. *An ſit locus translationi Confraternitatis Suffragii Animarum Purgantium ab Eccleſia Beatiſſimæ Virginis Miſericordiæ ad Eccleſiam S. Antonii Patavini in caſu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An transferendi etiam ſint redditus, & onera in dicta Confraternitate implenda in dicta Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis Miſericordiæ in caſu &c.*

III. *An iidem Confratres teneantur implere obligationes per ipſos aſſumptas pro manutentione dictæ Eccleſiæ, & Sacrarum Supellectilium, aliorumque in caſu &c.*

Non propoſita.

CAMERINEN. RESTAURATIONIS ECCLESIÆ, cujus Dubium eſt. *Seſs.22. cap.7. de Reform.*

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Affirmativè, juxta Votum Epiſcopi.

Sess. 22. cap. 6. de Reform. ARIMINEN. TRANSLATIONIS ONERIS MISSARUM, cujus unum est Caput.
An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Negativè, & amplius.

Sess. 24. cap. 14. de Reform. BURGEN., in qua disquiritur.
An fructus Præbendæ à Præbendato non percepti tempore primi Semestris suæ Residentiæ restituendi sint eidem Præbendato Præbendam renuncianti, seù potius sint partiendi inter alios Præbendatos ad formam Statuti in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.

Sess. 25. cap. 4. de Reform. PLACENTINA MISSÆ CONVENTUALIS, in qua ambigitur.
An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ Conventualis in casu &c.

Affirmativè ad dies festos ad quinquennium, & ad mentem.

Sess. 23. cap. 1. de Reform. SUTRINA OFFICIATURÆ, in qua definiendum est.
An, & quibus diebus Canonici Ecclesiæ Assumptæ Terræ Anguillaræ teneantur Choro inservire in casu &c.

Teneri omnibus diebus.
Reliquæ non propositæ.

FA-

FAVENTINA REDUCTIONIS SERVITII CHORI, ET MISSARUM. Julianus de Ghettis è Terra Mutilianenſi in Florentina Ditione ſita Faventinæ Diœceſis die 26. Januarii 1628. ſuum ultimum condidit Teſtamentum, quo uſumfructum ſuorum omnium Bonorum reliquit, donec vixerit, Eliſabeth Ravagli Uxori ſuæ, & quatenus ipſe ſine filiis obiret, voluit, quòd in Parochiali, & Plebana Eccleſia S. Stephani dictæ Terræ una erigeretur Præpoſitura alicui de propria Familia conferenda, pro cujus dote præſcripta Bona, præſcriptoſque redditus attribuit, totque erigerentur Canonicatus, quot ferrent ſui Patrimonii fructus, ita tamen ut quilibet Canonicus aſſequeretur annua ſcuta quinquaginta monetæ veteris Romandiolæ ad annua ſcuta trigintaſex monetæ Romanæ reſpondentia: Onus autem iiſdem impoſuit, ut *Canonici, & Præpoſitus vel per ſe, vel per alium debeat celebrare, vel celebrari facere tot Miſſas in dicta Plebana Eccleſia, ut qualibet die unica celebretur pro ſuffragio Animæ dicti Teſtatoris, ejus defunctorum, & Uxoris, cæteræ autem celebrentur ad eorum placitum, & incedere debeant in Proceſſionibus, & aliis Divinis Officiis celebrandis more Canonicorum Civitatis Faventiæ.* *Seſs. 25. cap. 4. de Reform.*

Teſtator abſque Prole prædeceſſit Uxori, quæ moriens cùm Teſtamento condito die 24. Julii 1652. juſſit, quòd dimidium ſuæ hæreditatis, quæ, demptis Legatis, ſuperextitiſſet erogaretur in augendo Canonicorum numero in prædicta Plebana Eccleſia, quos iiſdem oneribus ab ejus prædefuncto Viro præſcriptis in fundatione ſuorum Canonicatuum, & ipſa quoque ſubjecit; Diverſa tamen fuit ipſius voluntas quoad redditus; nam voluit, quòd quilibet Canonicus uniuſcujuſque Canonicatus à ſe fundati quotannis aſſequi deberet libras vigintiquinque monetæ veteris Romandiolæ conflantes ſcuta quatuor, & obulos quinquaginta monetæ Romanæ ultra redditus à Viro pro quolibet ex ſuis Canonicis conſtitutos.

Vi utriuſque teſtamentariæ diſpoſitionis Apoſtolicis expeditis Litteris ſan: mem: *Alexandri VII.* ſub datum *tertio Kalendas Novembris* 1663. Præpoſitura, nec non treſdecim Canonicatus, totidemque Præbendæ fuerunt erectæ in ſæpedicta Eccleſia S. Stephani. Verùm anno 1678. in executionem Sententiæ arbitri Judicis ab Epiſcopo approbatæ nova inter Canonicos Ghetti, & Ravagli fuit inita Bonorum, reddituumque partitio; nam ſeptem Canonicis hæreditatis Ghetti aſſignata fuit ſors ſcutorum 2625. annui redditus ſcutorum 183. 75., ita ut

quilibet Canonicus percipere deberet annua ſcuta 26.25. Quinque verò Canonicis Ravagli ſors tradita fuit in quantitate ſcutorum 2130., annui redditus ſcutorum 149. 10., ut eorum quilibet perciperet annua ſcuta 29. 82.: Item pro diſtributionibus conſtituta fuerunt Bona annui redditus ſcutorum 234. 50., ut ex eis unuſquiſque Canonicus utriuſque hæreditatis, & Familiæ perciperet annua ſcuta 18. 70.; tandemque pro Sacrarii manutentione alia Bona annui redditus ſcutorum 56. 14. aſſignata fuerunt,

Aſt verò quia Bona fere omnia aſſignata erant in Cenſibus impoſitis ad rationem ſcutor. ſeptem,& octo pro quolibet Centenario,& anno,nec non quia maxima illorũ pars amiſſa eſt propter decoctionemDebitorum,juxta ſententiam àSupremo Judice Civitatis Florentiæ latam anno 1702., fructuſque alterius illorum partis redacti fuerunt ad annua ſcuta quinque pro quolibet centenario, ita tamen ut Præbenda cujuſvis Canonici Ghetti non alios modò reddat fructus,niſi annua ſcuta quatuor, illa verò Canonicorum Ravagli ſcutum unum, & obulos ſeptuaginta pro unoquoque Canonico: Rurſus quilibet Canonicus pro diſtributionibus nunc habeat annua ſcuta duodecim, & Sacrarium annua dumtaxat ſcuta tredecim, ob idque plura Miſſarum lectarum, & ſolemnium onera uſque ab anno 170.. fuerunt à Canonicis tàm hodiernis, quàm antecеſſoribus prætermiſſa. Supplicant idcirco Canonici pro abſolutione quoad onera inadimpleta in præteritum, & pro illorum reductione in futurum.

Ajunt enim, eos non dolo, non malo animo, ſed extrema, qua premùntur, paupertate adimplementum partis onerum prætermiſiſſe; Quò autem ad futurum inquiunt, eos nullum alium in Benefactores recognoſcere, niſi Conjuges Ghetti, ideoque poſtulant, ut quotidiana Miſſa ab eis juxta voluntatem Teſtatorum celebrand reducatur ad dies tàntum feſtos de præcepto cum cantu, & cum ea duplici oneri ſatisfacere valeant, nimirum applicationi pro Fundatoribus, & pro Benefactoribus in genere juxta *Encyclicam ſan. mem. Benedicti XIV.*, quæ incipit = *Cum ſemper oblatas* = Quò verò ad Chori ſervitium petunt, eos tantùm eximi à Completorio tempore Quadrageſimæ, prout hactenus nunquam in uſu fuit illius recitatio,

Auditus Epiſcopus refert, quæ ſupra dicta fuerunt, ac approbat quæ Canonici petunt, excepta exemptione à recitando Completorio, cujus *diſpenſatio*, (ſunt Epiſcopi

scopi verba) *num dici possit disciplinæ veluti pars, quæ utpotè non insueta, & in admirationem Populum minime traducat, relaxari valeat, EE. VV. erit decernere.*

Plures juris regulæ concurrere videntur in casu, de quo agitur. Prima est, quòd absolvendi sint Canonici ab onerum inadimplemento in præteritum, cum illud à reddituum defectu processerit, prout Inadimplentes absolvendos esse pluries decrevit Sac. hæc Congregatio, & præsertim *in Mazzarien.* 19. *Julii* 1777. *ad I. Dubium, & in Nullius S. Ædisti* 4. *Aprilis superioris anni* 1778.. Altera, quòd imminutis redditibus, seposita Canonicorum culpa, onera quoque proportionabiliter reducenda sint ex firmatis per *Fagnan. in cap. Ex parte de Constit. num.* 25., *Bianchin. de Reduct. Missar. cap.* 8., & 9., & hæc Sacra Congregatio in specie *in Romana Subsidiorum Dotalium, & celebrationis Missarum* 22. *Septembris* 1764.. Ac tertia, quòd in piorum Onerum reductione, omnia alia potius onera reducenda sint, quàm Missarum onus, quarum numerus integer est relinquendus *Fagnan. loco mox citato num.* 34., *Bordon. de Legat. cap.* 15. *num.* 35., decrevitque pariter hæc Sacra Congregatio *in Mediolanen., seu Comen. Reductionis Onerum* 14. *Januarii* 1721., *& in Nepesina Reductionis Onerum* 3. *Julii* 1734.

Ponderandum tamen est, quòd licèt vera sit hæc postrema regula militans in casu, in quo certus pro Missarum celebratione fuerit assignatus fundus distinctus ab illis pro aliorum piorum onerum implemento præscriptis, quibus in terminis loquuntur Doctrinæ mox allegatæ, æque tamen vera est illius limitatio, quòd constito, prout in hypothesi de voluntate Testatorum promiscue demandandi tàm Suffragia Missarum, quàm Chori servitium, & promiscue quoque assignandi Bona pro utriusque oneris implemento, tunc non est absolute, & simpliciter facienda reductio aliorum piorum onerum, præservatis in totum suffragiis Missarum, sed reductio est proportionabiliter explenda quoad Missas, & quoad alia opera pia, juxta doctrinam *Passarin. de stat. hominum quæst.* 187. *art.* 4. *num.* 1101., quam in facti contingentia Sacra hæc Congregatio secuta est *in Bracharen. Reductionis Onerum* 11. *Septembris* 1717., *ut in lib. Decret.* 67. *pag.* 373.

Atque hinc postulant Canonici, ut Missarum celebratio reducatur ad unam tàntum cum cantu omnibus diebus festis de præcepto cum facultate eam applicandi tàm pro Benefactoribus in genere, quàm pro Fundatoribus, qui uni-

ci ſunt Capituli Benefactores. Vèrùm quòd Miſſa Conventualis, attenta diminutione reddituum reducenda ſit ad ſolos dies feſtos de præcepto ſæpe decrevit Sacra Congregatio, & in ſpecie in *Theleſina Miſſæ Conventualis* 19. *Julii* 1777.; Quòd autem unà cum Miſſa Conventuali duplex onus vel applicatio poſſit ſatisfieri, negat *Encyclica ſan. mem. Benedicti XIV. ſub §. Nonnulli*. Aſt Sacra hæc Congregatio *in Senogallien. Miſſæ Conventualis diei* 16. *Decembris* 1741., in qua agebatur, quòd Canonici Seniores Cathedralis Eccleſiæ Senogalliæ ex Decreto Epiſcopi tenebantur applicare Miſſam Conventualem tàm pro Benefactoribus, quàm pro Collegio, quæſitumque fuit, an Decretum Epiſcopi ſit exequendum, reſpondit = *Affirmativè, ita tamen ut applicatio fiat pro Benefactoribus tàntum*.

Rurſus *in Regien. Reductionis Servitii Chori, & Miſſarum* 27. *Aprilis* 1776., in qua Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ Mirandulæ Regien. Diæceſis poſtulantibus reductionem ſervitii Chori, & Miſſarum, attento quòd imminutis redditibus quilibet Canonicus habebat annua tàntum ſcuta 30., & obul. 66., hæc Sacra Congregatio reſpondit = *Firmo remanente onere Miſſarum pro reductione ſervitii Chori pro diebus feſtis tàntum* = Itemque Canonicis minores habentibus reditus, atque petentibus reductionem Miſſarum, & Servitii Chori eadem Sacra Congregatio *in Vigilien. Decanatus die* 23. *Julii* 1729. *ad II. Dubium* reſpondit = *Ad ſecundum pro reductione arbitrio Epiſcopi, & conſtito coram eodem de diminutione reddituum* = *& in Nullius Sancti Ædifti* 4. *Aprilis* 1778. = ſimiliter reſpondit = *Quoad præteritum ad D. Secretarium cum SSmo, quò verò ad futurum affirmativè juxta votum Emi Abbatis Commendatarii* = quòd fuerat utrumque onus reducendi ad certos tantùm anni dies feſtos.

His poſitis, quid expediat pro Canonicis Ghetti annuatim percipientibus pro Præbenda, & Diſtributionibus dumtaxàt ſcuta ſexdecim, & pro Canonicis Ravaglia habentibus annua tàntum ſcuta tredecim, & obulos ſeptuaginta nequaquam exemptis à vectigalibus, & ab expenſis Utenſilium, munus erit EE. VV. decernere ſub Dubio, quod proponitur.

An, & quomodo Oratorum precibus ſit providendum.

FEREN.

FERENTINA SERVITII CHORI : Parochialis Ecclesia S. Mariæ Majoris Terræ Juliani Ferentinæ Diœcesis anno 1736. Apostolicis expeditis litteris à sa. mem. Clemente XII. sub datum duodecimo Kalendas Decembris dicti anni in Collegiatam erecta fuit uno constituto Archipresbytero cum cura Animarum, nec non undecim Canonicis, pro quorum Præbenda assignati fuerunt nonnullorum supprimendorum Beneficiorum, & Cappellaniarum redditus immittendi in Massam communem, ac ipsos inter æquis portionibus partiendi; fuitque mandatum Ferentino Episcopo, ut *vocatis, qui fuerint ad id evocandi*, verificatisque verificandis, Beneficia, & Cappellanias supprimat, Collegiatam erigat, Missarum celebrationem, Chorique servitium pro suo arbitrio statuat, atque præscribat, quemadmodum idem Episcopus sub die 16. Februarii sequentis anni 1737. lata Sententia Litteras Apostolicas est executus, ac inter cætera decrevit, Missas à novis Canonicis esse celebrandas, quę erant suppressis Beneficiis, & Cappellaniis adnexæ, præter alias Missas, & Anniversaria infra annum canenda, nec non quotidianum Chori servitium præfinivit, & ulterius mandavit, quòd quilibet Canonicus dimittere deberet tertiam reddituum partem, = *quæ erit scutorum viginti monetæ Romanæ juxta taxationem expletam in dictis Litteris Apostolicis in usum distributionum quotidianarum inter personaliter intereſſentes æqualiter dividendarum*, *Sess. 22. cap. 3. de Reform.*

Biduo post hanc prolatam Sententiam, nimirum die 18. ejusdem mensis Februarii primus celebratus fuit actus Capitularis, intereſſente Episcopo, qui lato Decreto, servitium Chori limitans, illud reduxit ad dies tàntum festos de præcepto, nec non ad dies Adventus, & Quadragesimæ, & ad nonnullas Octavas privilegiatas.

Hoc Decretum à Canonicis acceptatum est, & ab ipsis usque ad hodierna tempora executum. Vèrum quàm maxime dubitans hodiernus Episcopus, utrum viribus subsistere nec ne posset hujusmodi Decretum, postquam Anteceſſor lata Sententia præscribens quotidianum Chori servitium jam functus fuerat officio suo, Canonicos auctoritate hujus Sacræ Congregationis impulit ad observandum quotidianum Chori servitium, ut fuerat in erectione præscriptum, donec aliter ab hac Sacra Congregatione definitum esset: Supplicant idcircò Canonici pro executione Decreti imminuentis servitium Chori, altero posthabito tamquam nulliter, & per errorem præfinito

in

in Sententia exequutoriali lata inconsultis Canonicis, qui vi earumdem Litterarum Apostolicarum erant vocandi ; sin minus postulant illius reductionem ad tramites dicti limitativi Decreti, attenta reddituum tenuitate .

Episcopus , qui fuit pro informatione , & voto requisitus, censet , quòd *cum Delegatus Apostolicus jam ipse met præscripserit in suo exequutoriali Decreto dies , & tempora servitii Chori , quod imminuere amplius in sui potestate non fuisse videtur , ex quo post Delegati sententiam , ejus de jure cesset omnis jurisdictio* = Fatetur tamen , Delegatum fuisse quodammodo deceptum ex falsa relatione , quòd cujusvis Canonicatus redditus essent annuorum scutorum sexaginta , qui , ut ipse refert = *veritati non respondent , cum eorum quilibet vix ascendat ad annua scuta quinquaginta oneribus annuis ingentis numeri Missarum* 1306. *cuilibet Canonicatui pro virili partiendarum gravata* =

Ob idque in voto est , quòd attenta proventuum exiguitate minui possit Chori servitium = *moderando Decretum mei Antecessoris die* 16. *Februarii* 1737. , *hac adhibita ratione , quòd Canonici ipsi sub graviori , qua nunc est punctaturarum pœna* [*ut ita extimulentur ad promptiorem Chori sequelam*] *teneantur in perpetuum omnes , excepto nemine , ad Ecclesiæ servitium integro Alventus Domini tempore , & Quadragesimæ , omnibus Dominicis , & Festis de præcepto diebus , aliisque solemnioribus anni à primis Vesperis usque ad secundas cum obligatione recitandi in Choro omnes horas Canonicas tam Majores , quàm Minores , omnibus Octavis privilegiatis , aliisque diebus in Tabella à meo Antecessore data descriptis , ac præterea , ut in eadem Tabella præscribitur , præsentes esse arctentur omnes in Missis , & Sacris Functionibus , quæ in dicta Tabella adnotatæ habentur. Adjungerem eis insuper in compensationem diminuti servitii obligationem iis diebus , quibus ad sequelam Chori obstricti erunt , recitandi in Choro ex Rubricarum præscripto saltem Officium Defunctorum, Psalmos Graduales , & Pœnitentiales .*

Sustinent Canonici , exequendum esse Decretum ab Episcopo latum die 18. Februarii 1737. . Nàm licet verum sit , jurisdictionem Delegati cessasse , postquam ipse suam pronunciavit Sententiam juxta *Textum in Cap. Venerabili , & cap. in Litteris die Offic. Deleg.* , æque tamen verum sit , jurisdictionem non cessasse , quoties Delegatus Apostolicus ductus errore *Facti* , nimirum quSd Canonicorum redditus essent annuorum scutorum sexaginta pro

uno-

unoquoque, Sententiam tulerit pro quotidiano Chori ſervitio, quoniam hoc caſu poſſe Delegatum, ſua revocata Sententia, iterum Chori ſervitium decernere, aliter ac in caſu, quo ageretur de errore juris, ut diſtinguendo firmarunt *Scacc. de Appellat. quæſt.* 19. *Remed.* 1. *Concluſ.*6. *num* 100., *& Roſa de Execut. Litter. Apoſtol. part.*1. *cap.*10. *num.*24., *& ſeqq.*, *& num.*33.

Maximè quia Epiſcopus erat Executor *mixtus*, dùm vigore Litterarum Apoſtolicarum ipſe tenebatur verificare omnia, quæ erant verificanda, *vocatis*, *qui fuerint ad id vocandi*: Quare contendunt Canonici, nullam fuiſſe Delegati Sententiam ipſis nec vocatis, nec auditis *Cap. Licet Epiſcopns ibique Gloſſ. verſ. Te non vocato de Præben. in 6.*, *Rot. in recent. deciſ.* 314. *num.*8. *part.*10., *& deciſ.* 138. *num.*3. *part.*16.; Ideoque rite potuiſſe Delegatum Apoſtolicum, ex integro ſervitium Chori præſcribere ex traditis per *Bellon. de Mandat. Juriſdict. cap.* 9. *quæſt.* 10. *num.*38., *Roſa de Execut. Litter. Apoſtol. in Addit. ad cap.*10. *num.*4., *Rot. coram Arguell. deciſ.* 34. *num.*24., *cor. Cerro deciſ.*884. *num.* 3., *& ſeqq.*, *& in recen. deciſ.* 82. *num.*13., *& ſeqq. part.*19.

Quòd ſi prædictum Apoſtolici Delegati Decretum *diei* 18. *Februarii* 1737. ſuſtineri non poſſet, ſupplicant Canonici pro reductione ſervitii Chori ad dies, & tempora in eodem Decreto præfinita, prout hæc Sacra Congregatio ſtante modicitate reddituum illius reductionem fieri mandavit præcæteris *in Romana Reductionis ſervitii Chori*, *& Miſſarum* 18. *Aprilis* 1722., *& in Alexandrina ſervitii Chori* 30. *Julii* 1768.

Hæc, & alia ſunt in libello à Canonicis circumferendo. Pertinet nunc ad EE. VV. ſapientiſſime definire.

I. *An deſignatio dierum ſervitii Chori per bo. mem. Fabritium Borgia Epiſcopum Ferentini facta ſub die* 18. *Februarii* 1737. *ſuſtineatur, itaut ſit exequenda in caſu &c.* = & quatenus negative.

II. *An, & quomodo ſit locus reductioni ſervitii Chori in caſu &c.*

Seſſ. 22. Decr. de Obſer., & evit. in celebrat. Miſſ.

NICIEN. ONERIS MISSARUM. In fundatione Canonicatus Curati facta à Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Nicienſis ſub annum 1617., inter plurima, graviſſimaque onera eidem Canonico indicta, hoc habetur = *Più ſarà obligato il detto Signor Canonico Curato di far dire tre Meſſe ogni giorno incluſa quella del Maeſtro di Muſica per le Anime de Benefattori vivi, e Defonti del detto Reverendiſſimo Capitolo, quali ſi diranno ſempre nella Chieſa Catedrale di S. Reparata, eccetto li giorni di San Andrea, e di S. Maria Madalena, di S. Giovanni, e di S. Margarita, nelli quali ſi diranno nelle Cappelle alli detti Santi, e Sante dedicate reſpettivamente* = & ex horum tenore verborum oritur dubitatio, an Miſſas Celebrantes teneantur illas applicare pro Benefactoribus Capituli, ut pro negativa ſuſtinetur in libello nomine Capituli circumferendo; vel hoc Miſſarum onus delendum ſit, ut expoſcitur in precibus ab eodem Capitulo porrectis huic Sacræ Congregationi.

Epiſcopus cenſuit, Miſſarum applicationem fieri non debere, quoties in Fundationis Tabulis nulla de applicatione facta fuerit expreſſa mentio; Maximè quia de anno 1675. bo. mem. Marengus tunc Nicienſis Epiſcopus auditis Partibus, præſentibus, & conſentientibus Canonicis Capitulariter congregatis pro Tribunali ſedens decrevit, *haud ſubſiſtere illud Miſſarum applicandarum onus*, quod Decretum ſubinde fuit à ſucceſſore Epiſcopo confirmatum. Et fortius quia Canonici Curati ſemper eleemoſynam à Benefactoribus pro harum Miſſarum celebratione perceperunt.

Quamvis enim hæc Sacra Congregatio pluries definiverit, Miſſas non eſſe applicandas in ſuffragium Animæ Fundatoris, ut cohærenter ad votum Epiſcopi ſuſtinetur in circumferendo libello plurimis antiquis in id adductis Reſolutionibus hujus Sacræ Congregationis, quibus recentiores addi poſſunt *in Novarien.* 22. *Novembris* 1727., *in Fulginaten. Applicationis Miſſæ* 7. *Septembris* 1737., *& in Reatina* 20. *Decembris* 1766.: Videtur tamen, hujuſmodi definitionem locum habere, ubi res eſſet de fundatione Canonicatus, Beneficii, vel Cappellaniæ cum onere celebrandi Miſſas, nulla facta mentione de illarum applicatione, quibus in terminis ſunt Reſolutiones ut ſupra congeſtæ.

Secus autem in præſenti Facti ſpecie, in qua fuit indicta quotidiana trium Miſſarum celebratio *per le Anime de Benefattori vivi, e defonti del detto Rmo Capitolo*, quo caſu

ROMANA CAPPELLANIÆ. Jacobus Pei in ultimis Testamenti Tabulis anno 1712. exaratis mandavit Cappellaniam perpetuam erigi in Parochiali, & Collegiata Ecclesia S. Eustachii de Urbe, certa constituta dote, certoque indicto Cappellano Missarum onere. Jus autem nominandi Cappellanum reliquit Alexandro ejus filio, & hæredi, ejusque Descendentibus masculis, quibus defectis, substituit proximiores descendentes fœminas, extinctaque demùm tùm masculina, tùm fœminina Linea, jussit, ut jus nominandi deferretur ad Sodalitium sub invocatione B M Virginis nuncupatæ *de Bosci* è Terra Guzzani Novariensis Diœcesis, unde Testator Romæ degens ortum habuerat, jussit tamen, quòd ejus Executores Testamentarii pro prima vice Cappellanum nominarent,

Defuncto Testatore anno 1715., erecta fuit anno eodem auctoritate Ordinaria Cappellania perpetua in supradicta Collegiata Ecclesia à Testatore designata, fuitque ab R. P. D. Urbis Vicesgerente collata Cappellaniæ institutio Clerico Petro Ludovico Severi ab Executoribus Testamentariis, uti Fundator præceperat, nominato, quo defuncto, Cappellaniæ possessionem obtinuit Sacerdos Joseph Leo Caccia Hierosolymitanæ Religionis Fr. Cappellanus. Eo adhuc vivente, & Cappellaniæ possessore, Alexander Pei Fundatoris filius, & solus Cappellaniæ Patronus anno 1767. unà cum ejus Sororibus Monialibus professis in Monasterio Virginum de Urbe Syngrapham nominationis ad vacaturam Cappellaniam obsignavit, cujus sequens est tenor.

Spettando a Noi sottoscritti come figli della bon. mem. Giacomo Pei il jus, e facoltà di nominare il Cappellano alla Cappellania mera Laicale dà detto quondam Giacomo eretta nella Ven. Collegiata di S. Eustachio presentemente posseduta dal Rev. Cappellano della Congregazione Gerosolimitana Fr. Giuseppe Leone Caccia. Volendo dunque Noi infrascritti ora, e per quando seguirà la morte del sudetto Caccia eleggere, e nominare altro Cappellano alla Cappellania sudetta quindi è, che colla presente dà valere &c. Noi sottoscritti alla prefata Cappellania mera Laicale eretta nella Ven. Chiesa di S. Eustachio, ora per quando seguirà la morte del junnominato Fr. Giuseppe Leone Caccia odierno Cappellano eleggiamo, e deputiamo per nuovo il M. R. P. Loreto Ciccolini de Minori degl' Infermi con tutti, e singoli onori, e pesi &c.

Se-

Sequenti anno 1768. obiit ſine filiis Alexander Pei Cappellaniæ Patronus, mox anno 1770. deceſſit altera ex dictis Monialibus Alexandri Sororibus, tandemque de anno 1774. Cappellania vacavit per obitum præfati Sacerdotis Caccia Cappellani, & de ea religioſus Vir Ciccolinus vi dictæ præventæ nominationis poſſeſſionem apprehendit die 26. Octobris 1774., deindeque pro illius retentione preces porrexit Emis DD. Cardinalibus in Ordine Prioribus, à quibus eædem preces ablegatæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem, quæ reſcripſit pro gratia juxta petita arbitrio Emi D. Cardinalis Urbis Vicarii = *dummodo agatur de mera Cappellania Laicali, ſeù ſimplici Legato pio* =, & ſub hac repetita conditione, & non aliter mox laudatus Eminentiſſimus exequutor gratiam retentionis Cappellaniæ Ciccolino conceſſit.

At verò cum jus nominandi Cappellanum ad fæpedictam Cappellaniam devenerit ad Sodalitium Beatæ Mariæ Virginis *de Boſci* nuncupatum, & ſubſtitutum a Teſtatore, deficiente Familia Pei, illius Confratres in Cappellanum nominarunt Sacerdotem Jacobum Torri Romanum; orta hinc eſt lis ipſum inter, ac Religioſum Ciccolinum ſuper aſſequutione Cappellaniæ, ſupplexque adiit Jacobus nuperrimè nominatus SSmum Dominum Noſtrum, qui preces remiſit ad hanc Sacram Congregationem, ut declarata nullitate nominationis, & poſſeſſionis Ciccolini, eidem inſtitutio concedatur.

Auditis, ut par erat, tùm Emo D. Cardinali Urbis Vicario, tùm Emo D. Cardinali Diacono, quorum primus retulit, quòd = *Religioſus Vir P. Lauretus Ciccolinus ejuſdem Cappellaniæ Poſſeſſor eam à quadriennio invaſerit per preces modicas illas quidem, ſed grandi tùm obreptione; tùm ſubreptione culpandas; quippe quum rem eſſe perfuaſerit de Cappellania mere Laicali, quàm tamen Beneficium vere Eccleſiaſticum eſſe conſtat ex perſpicuo documento ſolemnis Erectionis, nec non Eccleſiaſticæ Inſtitutionis primi Cappellani Ordinaria auctoritate peractæ; vice autem verſa reticuerit, nominatum ſeſe fuiſſe ab hæredibus Peis Beneficio adhuc, ut ajunt, pleno, vivente ſcilicet, & Cappellaniam poſſidente Religioſo itidem Viro Fr. Joſepho Leone Caccia, qui totum præterea ſeptennium ei nominationi ſupervixit* = ſubindeque retulit jura Ciccolini pro ſua tuenda Cappellaniæ poſſeſſione, ſuper quibus decernendum reliquit huic Sacræ Congregationi. Emus verò Diaconus poſt relatas hinc inde quæſtiones in voto eſt,

nominationem à P. Laureto Ciccolini obtentam, utpote nullam ex Canonici juris dispositione, ac mente Testatoris non sustineri, eòque magis captam ab eo Possessionem; sed instituendum fore, & esse Sacerdotem Jacobum Torri,

Et profectò quascumque gratias *ad vacatura* jam concessas abrogavit, easque non amplius esse concedendas decrevit Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess.* 24. *cap.* 19. *de Reform.*, & in specie promissiones, vel nominationes ad Ecclesiasticum Ministerium, seù ad Beneficium Ecclesiasticum, antequam vacet, expletas, *ne desiderare mortem proximi videatur*, nullas esse litteraliter præscripserunt Sacri Canones, ut videre est *toto titulo de Concessione Præbendæ*, & signanter *Cap.* 2., 3., *& ultim.*, nec non *Cap. Illud de Jurepatr.*, & consentanee firmarunt *Lotter. de Re benef. lib.* 2. *quæst.*6. *num.*1. *& seqq.*, *Rot. cor. Dunozet. Jun. decis.* 956. *num.* 13., & 14., *& cor. Ansald. decis.* 249. *num.*6., quodque hìc agatur de Cappellania Ecclesiastica nedùm ex mente Testatoris, dùm dixit = *che si erigga una Cappellania perpetua*; sed etiam ex illius erectione, intercedente Ordinaria auctoritate, facta, & ex institutione ab Ordinario data primo Cappellano, contrariis respondens latissimè tuetur *Piton. de Controv. Patronor. allegat.* 31. *per tot.*, & in specie *num.* 8. *cum plurib. seqq.*

Nec Patrem Ciccolinium juvare posse videtur triennalis possessio Cappellaniæ, quia hæc regula, ad differentiam decennalis possessionis, etiam titulum requirit, ita ut triennalis possessio sine titulo non sufficiat *Rigant. in suis Comment. ad Regul.* 36. *Cancellariæ num.* 90., quinimo si in continenti constet de nullitate tituli, possessio triennalis utcumque pacifica suffragari non potest, ut exConcordantibus firmat *Rigant. loc. mox citato num* 140., & firmavit *Rota cor. Priolo decis.* 40. *num.*14., *& dec.*395. *num.* 20. *& seq.*, *& cor. Molin. decis.* 866. *num.* 21., *& seq.*

Jura circumferuntur à Sacerdote Jacobo Torri: Illa verò Patris Ciccolini nondum allata sunt. Vestrum itaque erit, Eminentissimi Patres, definire.

An constet de nullitate nominationis, & respectivè Possessionis, itaut sit danda institutio in casu &c.

BONO-

BONONIEN. APERITIONIS ORIS, ET REINTEGRATIONIS. In Caſtro S. Petri Bononienſis Diæceſis aderat erecta Archiconfraternitas ſub invocatione, & titulo S. Catharinæ Virginis, & Martyris, à cujus Confratribus plurima pietatis opera tàm privata, quàm publica exercebantur. *Seſſ. 25. cap. 11. de Reform.*

Archipræsbyter dicti Caſtri ſub initium anni 1772. preces exhibuit ſan. mem. defuncto Pontifici Clementi XIV. poſtulans ſuppreſſionem dictæ Archiconfraternitatis, ejuſque Bonorum applicationem Hoſpitali Infirmorum in dicto Caſtro nuperrimè fundato ſub nomine S. Franciſci de Charitate Bonis, redditibuſque ſatis indigenti; ablegatiſque precibus à Summo Pontifice ad hanc Sacram Congregationem, requiſita de more fuit ſub die 27. Januarii dicti anni 1772. informatio, ac Votum à cl. me. Cardinali Malvezzio tunc Archiepiſcopo Bononienſi.

Et quamvis die 3. Februarii dicti anni Confratres appoſuiſſent in Actis hujus Secretariæ *nihil tranſeat*, ut eorum jura proferrent contra petitam Archiconfraternitatis ſuppreſſionem, attamen ſub die 9. ejuſdem menſis Februarii laudatus Eminentiſſimus Archiepiſcopus in actu Sacræ Viſitationis decrevit juſtis ex cauſis animum ſuum moventibus omnimodam ſuppreſſionem Confraternitatis S. Catharinæ; de Eccleſia verò ejus cum adnexis Archiepiſcopus ſibi reſervavit facultatem diſponendi juxta mentem, & arbitrium; Utenſilia Bononiam tranſvehenda præcepit, ut venderentur; Stabilia demum adſignavit Hoſpitali Infirmorum S. Franciſci de Charitate; Et executorem hujus ſuppreſſionis, & mandatorum in ea contentorum elegit ipſum met Archipresbyterum dicti Caſtri.

Adverſus hanc ſuppreſſionem Confratres recurſum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, quæ die 9. Maii dicti anni 1772. litteras dedit præfato Archiepiſcopo, ut competentem præfigeret terminum Promotori fiſcali Curiæ Archiepiſcopalis ad deducendum jura ſua in Sacra Congregatione, aliaſque ad novas Confratrum preces dicto Summo Pontifici oblatas, ablegataſque huic Sacræ Congregationi ſimiliter eidem Archiepiſcopo pro Informatione, & voto, ſic eodem Summo Pontifice mandante, dedit die 3. Auguſti ſæpedicti anni 1772.

Dum hæc in Sacra Congregatione agebantur, editum fuit Breve ab ipſo Summo Pontifice Clemente XIV. obſignatum die 8. Maii 1773., quo approbata, confirmataque

fut

fuit antedicta ſuppreſſio Confraternitatis S. Catharinæ facta ab eodem Archiepiſcopo Malvezzi, & in eo plurimæ ſuppreſſionis cauſæ expreſſæ fuerunt.

Hoc Apoſtolicum Breve ſuam obtinuit executionem. Nunc autem reclamantibus Confratribus, qui ad ſuppreſſum Sodalitium erant adſcripti, ſupplicationibus ſatis prolixis Sanctiſſimo Domino Noſtro porrectis, in quibus tota rei geſtæ ſeries enarratur, poſtularunt, ut, Apoſtolico revocato Brevi tamquam ſubreptionis, & obreptionis vitio laborante, nec non nulla, & irrita declarata ſuppreſſione Confraternitatis, omnia priſtinum reſtituantur in ſtatum, quo erant ante ſuppreſſionem, obtinueruntque ex Decreto edito ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Pro-Auditore Sanctiſſimi ſub die 26. Junii 1777., remiſſionem Cauſæ ad hanc Sacram Congregationem *cum clauſula de aperitione Oris adverſus Breve ſan. mem. Clementis XIV. arbitrio ejuſdem Congregationis, quæ procedat cum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis*.

Hodiernus Eminentiſſimus Archiepiſcopus juxta laudabilem morem Sacræ Congregationis auditus cenſuit, non eſſe locum aperitioni Oris adverſus Breve Clementinum, Confratres verò eſſe ab eorum petitionibus repellendos.

Cauſa proponitur. Jura, quæ hinc inde deducuntur, plurima ſunt, nec levis momenti. Ne autem præſens Folium in volumen excreſcat, rogantur Emi PP. ea perlegere in Libellis ab utraque Parte circumferendis, iiſque perpenſis, tria, quæ ſubſcribuntur, definire Dubia propoſitas quæſtiones complectentia.

I. *An intret arbitrium pro aperitione oris in caſu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An conſtet de invaliditate ſuppreſſionis, ita ut ſit danda manutentio, ſeu reintegratio quoad omnia in priſtinum ſtatum in caſu &c.* = & quatenus affirmativè.

III. *An, & à quo tempore ſint reſtituendi fructus in caſu &c.*

FER-

FERRARIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Joannes Surchi Teſtamento condito die 28. Octobr. 1644. hæredem proprietariam inſtituit Thadæam ejus filiam, qua ſine filiis decedente, voluit, quòd ex fructibus ſuæ hæreditatis *ogn' anno ſi maritino dodici Donzelle povere, e native Ferrareſi, dando à ciaſcuna di loro lire* 130., *due delle quali dovranno eſſere della Villa di Gradizza, e le altre dieci native Ferrareſi come ſopra povere, ed onorate, di buona vita, e fama* =. Jus autem nominandi Puellas reliquit Confratribus Sodalitii Sacrorum Stigmatum ejuſdem Civitatis. Subſidia hæc ex Decreto Sacræ hujus Congregationis ob redditum diminutionem redacta fuerunt ad ſcuta ſexdecim, & obulos quinquaginta pro qualibet, fueruntque ſæpius quoad illorum partem applicata pro congrua coſtituenda dote pauperibus Puellis ſive Teſtatoris Agnatis, ſive Conſanguineis. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Anno 1769. Joſeph Surchi preces Sacræ Congregationi obtulit pro aſſignanda dote ſcutorum centum ex dictis ſubſidiis favore binarum ſuarum filiarum, nimirum *Roſæ, & Annæ*. Remiſſis precibus ad Archiepiſcopum, auditi fuerunt Sodales Sacrorum Stigmatum. Hi publicis indictis Comitiis ſub die 30. Julii dicti anni 1769. per ſecreta ſuffragia favore Roſæ jam paratum Virum habentis conſenſum præſtiterunt pro applicatione ſcutorum centum *da conſeguirſi però in un triennio in raggione di due ſuſſidj dotali per ciaſcun' anno*, viciſſim quoad Annam, *che non hà adeſſo l' occeſione da collocarſi, ſi è giudicato, che debba ricorrere, quando verrà il caſo del ſuo collocamento*. Interim Roſa parato Viro nupſit, & deinde die 21. Junii 1773. gratiam applicationis juxta formam conſenſus Sodalitii obtinuit, jamque conſecuta eſt petitam dotem ſcutorum 99. conflatam ex binis annuis ſubſidiis dotalibus ſpatio triennii.

Nuper *Anna* Soror promptas item habens nuptias, preces Sacræ Congregationi exhibuit, ut ejuſdem Dotis conſtitutionem, quam Roſa Soror jam obtinuit, conſequi poſſet, & recurſu pariter pendente, ac ſub ſpe obtinendæ gratiæ, ne paratis nuptiis valediceret, nupſit. Itidem *Urſula Mini* neptis Franciſcæ Surchi Teſtatoris proneptis eaſdem preces exhibuit pro ipſa met aſſequenda dote ex dictis ſubſidiis dotalibus, hocque recurſu pendente, & ſub ſpe eamdem aſſequendi, Viro nuptias ipſius optanti Matrimonio ſimiliter ſe junxit. Ambæ

ita-

itaque eaſdem pariter renovant preces. Repugnant tamen Sodales, quibus jus eligendi eſt. Hæc diſceptatio definienda proponitur.

Inquiunt itaque *Anna Surchi*, & *Urſula Mini*, ſe Teſtatori conjunctas eſſe vel agnatione, vel cognatione, ideoque tamquam conjunctas pauperes ex præſumpta voluntate ipſius Teſtatoris puellis extraneis eſſe præferendas *Mantic. de Conject. lib.*8. *tit.*5. *num.*16., *Amoſtaz de Cauſ. piis lib.*4. *cap.*4. *num.*10., *Rot. coram Duran. deciſ.* 98., *& deciſ.*171. *per tot.*. Hanc autem Defuncti voluntatis interpretationem, & laudaſſe ſemper, & admiſiſſe Sacram Congregationem ut in *Romana Applicationis Legati* 20. *Septembris* 1692., *in Romana Dotium* 2. *Octobris* 1717., *& in Panormitana Subſidiorum Dotalium* 20. *Auguſti* 1735., imo nec arctam conjunctionem aliquando quæſitam eſſe, cum ex æquitate quęcumque Affines, & longiſſimo gradu Conſanguineæ prælatæ fuerint, ut *in Firmana Subſidiorum Dotalium* 8. *Auguſti* 1730., *& in Piſana Subſidiorum Dotalium* 14. *Auguſti* 1748.

Hanc æquitatem ſemper ſervatam fuiſſe favore aliarum Puellarum Joanni Surchio Teſtatori ſive agnatarum, ſive cognatarum. Nec jure conqueri poſſe Puellas extraneas. has quippe incertas eſſe, nec ullum jus habere, nec eſſe audiendas, dum Teſtatori conjunctæ concurrunt, eoque indigent ſubſidio: Demum nec obeſſe, quòd Viro jam nuptæ ſint. Nuptias contractas fuiſſe poſt habitum recurſum, & ſub fide obtinendæ Dotis, quæ nunc uſque aliis Puellis conjunctis conceſſa fuit, unde ex cauſa ſecutarum Nuptiarum repellendas non eſſe ab aſſecutione jam petitæ Dotis *Rota in Ravennaten. Dotis* 5. *Julii* 1771. §.3. *coram Eminentiſſimo Herzan*. Exemplo eſſe *Roſam Surchi*, quæ licet poſt petitam anno 1769. dotem oblato Viro nupſerit, attamen anno 1773. die 21. Junii eam ex oraculo Sacræ hujus Congregationis obtinuit.

E contra Sodales Sacrorum Stigmatum coram Archiepiſcopo oppoſuerunt, ſibi jus eſſe eligendi Puellas benevisas: Nullibi Teſtatorem prætuliſſe ſibi conjunctas; petitam ideo gratiam adverſari tùm Teſtatoris voluntati, tùm juri eligendi ſibi quęſito, tùm aliis Puellis à Teſtatore generatim admiſſis; Inſuperque tàm Annam, quàm Urſulam Oratrices jam virum inveniſſe, & contraxiſ-

ſe

se nuptias, proindeque finalem deesse causam, propter quam ipsis elargienda sit dos, qua cum viro honesto, & decenti nubere queant.

Archiepiscopus Ferrariensis confirmat utriusque Puellæ conjunctionem cum Testatore, nec non gravem illarum paupertatem; Itemque refert Sodalium exceptiones, & quoad *Annam* concludit = *Sed mea Sententia hæc tanti non sunt, neque valent pro neganda favore Annæ Testatoris Proneptis implorata Dotis quantitate, prout eam minime retardarunt præfatæ Rosæ, & quamvis nuptiæ sint secutæ, attamen quia pendente recursu, & spe obtinendæ gratiæ suum fuere sortitum effectum, nullum præstare valent diffugium Confraternitati ad effectum evitandi dotale expetitum subsidium. Quibus stantibus, Oratricem optimè meritam, & dignam crederem obtinendi gratiam, quam humiliter expostulat, servata tamen methodo, qua usa fuit prædicta Confraternitas in assignatione Dotis Sorori Rosæ, nempe distribuendi singulis annis duo subsidia usque ad numerum sextum,*

Similiter quoad *Ursulam* post relatas Sodalium oppositiones concludit = *Verum mea sententia hæc tanti non sunt, neque valent pro deneganda miserrimæ supplicanti mulieri implorata Dotis quantitate, prout eam non retardarunt præfatæ Theresiæ Polletti. Equidem certum est, quòd si pius Institutor cogitasset de Puellis sibi sanguine junctis, & à sua linea descendentibus, eas profectò extraneis prætulisset, & harum respectu illis concurrentibus omni nominandi facultate Confraternitas foret expoliata. Quibus stantibus, crederem, Oratricem commiseratione dignam, & optime meritam expetiti subsidii dotalis, si expedire ita videbitur amplissimo istius S.C. Senatui. Tanto magis quia pendente recursu, & spe gratiæ clementer, comiterque obtinendæ virum adinvenit, eique paucis ab hinc diebus cum justissimæ causæ suaderent, ne longius protraheretur matrimonium, juncta fuit, & copulata.*

De paupertate Oratricum, de qualitate Ferrariensi, & de consanguinitate cum Testatore nulla est quæstio. Sacra verò Congregatio Ecclesiæ æquitatem, ac benignitatem, tum etiam præsumptam Testatoris voluntatem secuta semper prætulit puellas consanguineas extraneis, ut *in Romana Dotium* 2. *Octobris* 1717., *in Nullius seù Montis Casini Subsidiorum Dotalium* 24. *Septembris* 1729., *in Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 8. *Augusti* 1733., &

in Narnien. Subsidiorum Dotalium 17. *Septembris* 1762. Imo hæc prælatio non solum concessa est nonnumquam pro iisdem dotibus, sed ut eæ cumulentur ad dotem congruam statuendam, ut *in Romana Applicationis Legati* 20. *Septembris* 1692., *in Panormitana Subsidiorum Dotalium* 15. *Januarii* 1735., *in Romana* 22. *Maii* 1757. *ad II. Dubium*, & *in Narnien. Subsidiorum Dotalium* 21. *Augusti* 1762.

Nunc spectat ad EE. PP. respondere.

An Oratricum precibus sit annuendum pro applicatione duorum Subsidiorum Dotalium per triennium in casu &c.

Die

Die Sabbati 19. *Februarii* 1780. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

ROgantur EE. PP. reſumere *Folium poſtremæ Congregationis* habitæ *die* 15. *proxime præteriti menſis Januarii*, ac quatuor ſequentes Cauſas ibi deſcriptas in hodierno Conſeſsu eximia, qua pollent, doctrina definire.

SPOLETANA DISPENSATIONIS, cujus Dubium eſt. *Seſs.24.cap.12. de Reform.*

An Canonici Collegiatæ Eccleſiæ S. Gregorii Majoris diſpenſandi ſint ab onere canendi Miſſas ex præſcripto Rubricæ generalis in caſu &c.

Negativè.

CÆSENATEN. FONTIS BAPTISMALIS, in qua ambigitur. *Seſs.21. cap.4. de Reform.*, & *Seſs.24.cap.13. de Reform.*

An ſit locus erectioni Fontis Baptiſmalis in caſu &c.

Affirmativè.

ROMANA CAPPELLANIÆ, cujus unum eſt Caput. *Seſs.24.cap.19. de Reform.*

An conſtet de nullitate nominationis, & reſpective Poſſeſſionis, ita ut ſit danda inſtitutio in caſu &c.

Affimativè in omnibus, & amplius.

Sess.25.cap.11. de Reform.

BONONIEN, APERITIONIS ORIS, cujus tria sunt Capita.

I. *An intret arbitrium pro aperitione Oris in casu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An constet de invaliditate suppressionis, ita ut sit danda manutentio, seu reintegratio quòad omnia in pristinum statum in casu &c.* = & quatenus affirmativè.

III. *An, & à quo tempore sint restituendi fructus in casu &c.*

Ad primam negativè; ad secundum provisum in primo; ad tertium provisum in primo.

Reliquæ non propositæ.

Sess.22. cap. 6. de Reform.

FERRARIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM, in qua deliberandum est.

An Oratricum precibus sit annuendum pro applicatione duorum Subsidiorum dotalium per triennium in casu &c.

Sess.25. cap.3. de Regular.

VADEN. LEGATORUM. Species hujus Causæ repetenda est *è Folio Congregationis* habitæ *die* 29.*Novembris* 1777., quòd editum est *Vol. XLVI. Thes. Resol. Sac. Congreg. pag.* 182. Dubio tunc proposito, quod erat = *An Patres Conventuales Civitatis Vadensis teneantur præstare Legata, de quibus agitur in casu &c.* = Respondit Sacrum hoc Tribunal *in sequenti Congregatione diei* 10. *Januarii* 1778. his verbis = *Affirmativè, & ad D. Secretarium juxta mentem, & mens est, quòd scribatur Episcopo ad hoc ut urgeat pro executione aliorum Legatorum tdm Vincentii, quàm Corneliæ* = ut cognosci potest *ex Vol- XLVII. pag.* 1.. Id ægre tulerunt Patres Conventuales asserentes, redditus Bonorum hæreditariorum Vincentii impares esse ad subeunda onera, & Legata per ipsum relicta tam vigente, quàm ejus extincta descendentia, ita ut illorum executio, quatenus fieri deberet, omnes Cœnobii redditus absumeret. Quapropter impetrato novæ Audientiæ beneficio, Causa nunc redit ad novum Eminentiarum Vestrarum judicium.

Qui Patrum Conventualium jura defendunt, pluribus congestis rationibus disputant, aut à decisis esse recedenden-

dendum, aut saltem esse locum firmationi status cùm separatione Bonorum hæreditariorum tàm Vincentii, quàm Corneliæ Vernazziæ, illorumque facta separatione, Bona Vincentii esse restituenda Hæredibus substitutis ab eodem Vincentio in casu extinctionis ejus Descendentiæ, à quibus Legatarii petere debent Legata ab ipso relicta. Probant enim Patres Conventuales, legitimum Inventarium Bonorum omnium hæreditariorum Corneliæ Vernazziæ confectum fuisse ab ejus Executoribus Testamentariis, nec non probant, Vincentium Vernazzi condito Testamento voluisse, quòd defectis omnibus ejus hæredibus institutis, & substitutis, = *delle mie facoltà, & intiera Eredità siano Governatori l'Arciprete, che sarà per tempo di detta Terra di S. Angelo, il Confaloniere, e primo Priore del Gesù, quali unitamente, e non in altro modo debbano dispensare ogn'anno le entrate delli miei Beni, e facoltà in Opere pie, e massime nelle infrascritte* = Protestati denique fuerunt penes acta, retinere velle Bona propria Corneliæ eorum Auctricis, restituere verò ea Bona, quæ constiterit ex firmatione status, & Bonorum facienda separatione, esse hæreditaria Vincentii.

Qui autem jura tuentur Patrum Cappuccinorum, & Minorum de Observantia, contendunt, Patres Conventuales uti hæredes Corneliæ teneri ad præstationem omnium Legatorum Vincentii Vernazzi, nedum quia omnia illius hæreditaria Bona coaluerunt in ipsam Corneliam, sed, & quia nemo fuit ex ejusdem Vincentii hæredibus, qui Inventarium Bonorum ejus hæreditariorum confecerit, ideoque locum esse non posse petitæ separationi Bonorum hæreditariorum Vincentii ab illis Corneliæ.

His positis, munus erit Amplissimorum Patrum cognoscendi, quænam potiores sint rationes, ut tria, quæ sequuntur, Dubia definiant.

I. *An sit standum, vel recedendum à decisis sub die* 10. *Januarii* 1778. *in casu &c.*

II. *An sit locus firmationi Status hæreditarii tam Corneliæ, quàm Vincentii in casu &c.* = & quatenus adsint Bona Vincentii.

III. *An, & cui sint restituenda in casu &c.*

RO-

Seſſ.22. cap. 6. de Reform.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Lucu-lenter expreſſa fuit hujus Cauſæ ſpecies *in tribus Foliis*, nimirum *in Folio Congregationis* habitæ *die* 15. *Martii* 1777., quod impreſſum fuit *Vol. XLVI. Theſaur. Reſol. Sac. Congr. pag.*46., nec non *in Folio Congregationis diei* 19. *Julii ejuſdem anni* 1777. *eod. Vol.* 46. *pag.* 120., ac demum *in Folio Congregationis* habitæ *die* 27. *Junii* 1778. ſimiliter impreſſo *Volum. XLVII. ejuſdem Theſaur. pag.*143., qua die propoſito Dubio = *An, & in qua ſumma ſit locus præſtationi Subſidiorum Dotalium in caſu &c.* =, quod in geminis præcedentibus propoſitionibus 19. *Aprilis*, & 19. *Julii dicti anni* 1777. propter ſciſſa in æquas partes Eminentiſſimorum Patrum Suffragia definitum in utraque Propoſitione non fuerat, ut cognoſci poteſt *eod. Vol.* 46. *Theſ. Reſol. pag.* 63., & 120., reſponſum fuit = *Affirmative pro ſumma ſcutorum* 150· *pro unaquaque* =. Nunc igitur cum hujus Cauſæ examen redeat ad Ampliſſimi hujus Ordinis judicium, ne grave ſit Eminentiſſimis Patribus *tria illa folia Congregationum dierum* 13. *Martii*, & 19. *Julii* 1777., ac *diei* 27. *Junii* 1778. *iterum legere*, ut decernere poſſint ea, qua præſtant, juriſprudentia.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die 27. *Junii* 1778. *in caſu &c.*

Seſſ. 7. cap. 8. de Reform., & Seſſ. 21. cap.7. de Reform.

SPOLETANA RESTAURATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS, ET SACRARUM SUPELLECTILIUM. Intra fines Spoletanæ Diæceſis Locus adeſt, qui vocatur Podium Primi Caſus, ubi una tantùm eſt Prioralis Eccleſia cum Cura Animarum Divo Fortunato dicata, quam obtinet Vincentius Bernabò Fulginas Canonicus Baſilicę S. Laurentii in Damaſo Urbis: Eccleſia hæc fatiſcens eſt, minaturque ruinam tàm in Tecto. quàm in aliis ejus partibus, illiuſque Sacrarium omnibus Sacris caret Paramentis, & Supellectilibus. Epiſcopus in actu Sacræ Viſitationis indigentiis Eccleſiæ Decreto ſuo providit, ſed in irritum ceſſit Epiſcopi Decretum, nàm in Eccleſia nulli ſunt Fabricæ redditus, nulli Patroni, nullaque inibi eſt erecta Confraternitas, Populus verò adeo pauper eſt, & miſer, ut ab eo nullum ſperare poſſit ſubſidium.

Preces, quas idem Populus porrexit Summo Noſtro Pontifici poſtulans, ut compellatur Prior Vincentius ad reſtau-

ſtaurandam ſuam Prioralem Eccleſiam, renovandaque Sacra Supellectilia, delegatæ fuerunt huic Sacræ Congregationi.

Spoletanus Antiſtes, qui de more auditus eſt, retulit præmaximas Eccleſiæ indigentias ſuperius narratas, retulitque, Priorem Vincentium pro exercitio Curæ Animarum retinere Cappellanum Curatum, cui pro ejus emolumento cedit exactionem Decimarum, quæ vix aſcendunt ad annua tria Rubra frumenti, ipſumque Priorem lucrari pingues redditus annuatim attingentes Rubra circiter decem frumenti, nihilque impendere pro Eccleſia præter unam annuam cuppam Frumenti pro celebranda feſtivitate S. Fortunati, nec non nummos tres annuos pro Candelis Populo diſtribuendis in die Purificationis B. M. Virginis, ac demum annuos obulos viginti pro ramis Olivæ ſimiliter diſtribuendis die Dominica Palmarum, concluditque his verbis = *Juxta Canones videtur obnoxius oneri Reſtaurationis, aliorumque Beneficiatus, & Eccleſiam ſui tituli fructibus Beneficii ſervare, ac providere, teneri pro certo habeo.*

Petitioni Populi, & Voto Epiſcopi contradicit Prior Vincentius, ob idque nunc Cauſa proponitur. Suſtinet Populus, quòd in hoc caſu, in quo deficiunt redditus Fabricæ, deficiunt Patroni, deficiunt Confraternitates, & Parochiani miſerrimi ſunt, ſolus Prior Vincentius compelli debeat tùm ad reſtaurandam Eccleſiam, tùm ad ea omnia, quæ pro Eccleſia, & pro Divino Cultu, & ſervitio neceſſaria ſunt, reparanda, manutenenda, & renovanda ad litteralem *Textum in cap.* 1. *de Eccleſ. ædificand.* ibi = *Quicumque Eccleſiaſticum Beneficium habent, omnino adjuvent ad tecta Eccleſiæ reſtauranda, vel ipſas Eccleſias emendandas* = ibique *Gloſſ.* ſub verbo *adjuvent* ibi = *Nam ubi eſt emolumentum, ibi debet eſſe onus, quia non eſt ferendus is, qui lucrum amplectitur, onus autem ſubire recuſat* = *Rot. in Urbevetana Reſtaurationis Eccleſiæ* 3. *Martii* 1752. §. 3. *coram bon. mem. Vicecomite*, idque Sacra hæc Congregatio definivit *in Auximana Reſtaurationis Eccleſiæ* 26. *Auguſti* 1759., & *in Nullius, ſeu Farfen. Reaptationis Eccleſiæ* 8. *Februarii* 1721.

Addit, onus reſtaurandi Eccleſiam, quo gravatur Parochus, vel Beneficiatus, procedere etiam pro manutentione, & renovatione Sacrarum Supellectilium *Actolin. reſolut.* 47. *num.* 69., *Balmaſed. de Collect. quæſt.* 56. *n.* 9., & *Conſtant. Vot. deciſ.* 251. *num.* 16., & ad hoc onus

im-

Implendum; quatenus Prior Vincentius recuſaret; procedendum eſſe ad Beneficii fructuum ſequeſtrationem *Panimol. deciſ.* 15. *annot.* 1. *num.* 2., *Sperell. dec.* 67. *n.* 6., & ſæpe reſolvit Sacra Congregatio, & in ſpecie *in Hieracen.* 18. *Maii* 1590. *lib.* 7. *decr. pag.* 165., *& in Narnien.* 24. *Maii* 1657. *ad IV. Dub.*, *ut in lib.* 20. *Decret. pag.* 197., & quidem nulla relicta alimentaria Congrua pro Priore Vincentio, quia non reſidet, quia nullum Eccleſiæ ſuæ præſtat ſervitium, & quia pauper non eſt, dùm percipit fructus ſui Canonicatus, ex quibus ſe alere commodè poteſt *Surd. conſ.* 62. *num.* 12. *lib.* 1., *Amoſtaz. de Cauſ. piis lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 31. *verſ. Ergo*, & *Sperell. deciſ. For. Eccleſ.* 67. *num.* 6.

Hæc, & alia plurima legi poterunt in Libello nomine Populi Podii Primi Caſus circumferendo. A Priore nihil habuimus. Quæritur.

An Prior Eccleſiæ Parochialis S. Fortunati teneatur ad reſtaurationem, renovationem, ac manutentionem reſpectivè Eccleſiæ, ac Sacrarum Supellectilium in caſu &c.

Seſſ. 24. *cap.* 19. *de Reform.*

FIRMANA, ET RIPANA. Inter Eccleſiaſtica Beneficia ſine cura à Sacerdote Antonio Corſini poſſeſſa duo ſunt, unum ſcilicet nuncupatum *S. Luciæ* in Ripana Diæceſi, & alterum ſub invocatione *S. Mariæ* ſitum prope *Menochiæ* Flumen intra ambitum Diæceſis Firmanæ. Plurimo ære alieno gravatus Sacerdos Antonius, derelictis ejus Eccleſiis, aufugit, remotaſque petiit Regiones, in quibus adhuc moratur. Super omnibus ejus Bonis, ac ſuper Beneficiorum redditibus convocatus fuit univerſalis Creditorum Concurſus. Hi putarunt in utilitatem eorumdem Beneficiorum eorum Bona, quæ in peſſum iverant, in Emphyteuſim ad tertiam generationem maſculinam concedere, accedente tamen conſenſu, & approbatione hujus Sacræ Congregationis.

Datis precibus, ac ſemel, & bis de mandato Eminentiſſimorum Patrum affixis Edictis tàm in Ripana, quàm in Firmana Diæceſi, plurimi fuerunt Licitatores, quos inter maxima fuit æmulatio, prout legere eſt *in Folio Congregationis* habitæ *die* 29. *Julii* 1775., quod extat *in Vol.* 44. *Theſaur. Reſol. Sac. Congreg. pag.* 71., & ex altero *Folio Congregationis diei* 30. *Martii* 1776., quòd publici juris factum eſt *Vol.* 45. *ejuſdem Theſ. pag.* 49., definitum tamen fuit, quòd Emphyteuſis eſſet concedenda

denda Bernardino Voltaturni tamquàm cæteris ditior, & in arte agraria ſummoperè Peritus pro annua penſione ſcutorum quatuorcentum, quam ipſe alterius æmulantis Licitatoris æquaverat, & quidem exemptorum à quovis onere tàm Eccleſiaſtico, quàm profano, alio adjecto meliorandi, & ad culturam redigendi Beneficiorum Bona, prout idem Bernardinus obtulerat in priori ſua licitatione, veluti patet ex Reſolutione Sacræ hujus Congregationis pandita *die* 27. *Aprilis ejuſdem anni* 1776., ut in *eodem Vol.* 45. *Theſaur. pag.* 52.

Hoc emphyteutico ſtipulato Inſtrumento, ſæpedictus Bernardinus pecunias, & manus admovit pro ſollicito promiſſorum implemento, nam foveas fecit pro exonerandis Bonis ab Aquarum inundationibus, rurales Domos à fundamentis extruxit pro Colonorum commodo, vites, & arbores diverſarum ſpecierum conſevit, Eccleſiam præſertim S. Luciæ reſtauravit, eamque ad divinum cultum reſtituit, curavitque, ut Pueri in rudimentis Catholicæ Religionis inſtruerentur à proprio filio Sacerdote Dominico Voltatorni, & ab eodem Sacrum in dicta Eccleſia pro Colonorum utilitate celebraretur.

In compenſationem tot laborum, totque expenſarum, & utilitatis Beneficiorum, idem Sacerdos Dominicus ſupplex adivit *SSmum Dominum Noſtrum* pro collatione dictorum Beneficiorum, exhibitaque Supplicatione, eaque remiſſa ad hanc Sacram Congregationem *pro Voto*, requiſitus de more fuit tunc Vicarius Capitularis Firmanæ Diœceſis, qui retulit, vera eſſe narrata in Supplicatione Sacerdotis Dominici, Beneficia verò poſſideri ab Antonio Coſimi =, *qui ab Urbe profugus viginti ab hinc annis, & ultra ob eximium æs alienum contractum prius Londinum petiit, deinde Amſtelodamium, & modò, ut mihi indubie conſtat, Petroburgi in Moſcovia commoratur.*

Ideoque concludit, = *Si nihil à veritate diſcrepat id, quòd in ipſa Supplicatione exponitur, nihil pariter eſt, quòd ipſi obſtet Supplicanti, quominus eadem Beneficia, annuente Sacratiſſimo Principe modò conſequi valeat. Præsbyter is eſt Dominicus Voltatorni, cui nullum in hac mea Curia obſtat crimen, imo ob diuturnam in hac Civitate Studiorum cauſa moram, obſcura non eſt mihi ejus indoles, ejus boni mores, & pietas non vulgaris, itaut dignum, & idoneum dijudicem ad ipſorum Beneficiorum obtinendam aſſecurationem.*

Votum hujus Sacræ Congregationis nunc exquirit Sacerdos Dominicus, & ait, vacare Beneficia, quoties Antonius Cosimi ea pro derelictis habuit spatio viginti, & ultra annorum, cum inspecta juris Canonici sanctione, ut Beneficia habeantur pro derelictis, decennale tempus sufficiat ad *Text. in Cap. Ex parte 8. de Cleric. non resid.*, ibique *Glos. verb. per decem annorum*, *Barbos. in eod. Cap. Ex parte num. 4.*, *& de Offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 227.*, *Lotter. de re benef. lib. 3. quæst. 26. num. 1.*, *Gonzal. ad reg. Cancell. 8. glos. 15. num. 64.*; *& Ferrar. Bibliot. verb. Beneficium art. 7. num. 23.*

Neque hìc intrare terminos gratiæ expectativæ à Sacro Concilio Tridentino improbatæ *Sess. 24. cap. 19. de Reform.* Nàm gratia ad vacatura, quæ prohibita est Patronis, aliisque inferioribus Collatoribus, reservatur dumtaxàt Summo Pontifici, qui ratione suæ plenariæ potestatis potest Beneficia etiam vacatura conferre *Cap. Licet 2. de Præbend. in 6.*, *Cap. Dudum in princ. eod. tit.*, *& Ferrar. Biblioth. verb. Beneficium art. 3. num. 57.*, prout etiam declaravit ipsum Sacrum Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. ultim. de Reform.*, omnia, & singula in Sacro Concilio statuta = *ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit*, & *esse intelligatur*.

Subditque, petitam gratiam nemini præjudicium inferre, non Creditoribus Cosimi, quia ipsis, donec vixerit idem Cosimi, solvendus erit præstitutus Canon annuorum scutorum quatuorcentum à quovis onere exemptorum; Non verò eidem Cosimi, quatenus ad Ecclesias, quas deseruit, rediret, ejusque æs alienum esset solutum, quia Canon annuorum scutorum quatuorcentum erit eidem ab Emphyteuta solvendus: E contra verò petitam gratiam esse utilissimam, ac necessariam pro Ecclesiarum servitio, divinoque cultu servando, ac augendo, nec non pro spirituali Incolarum auxilio.

Jura à Sacerdote Dominico Voltatorni circumferuntur: Et quamvis citatus fuerit Procurator Concursus Cosimi, nec non per Proclamata affixa tàm in Curia, quàm in Locis, in quibus sunt Beneficiorum tituli citati fuerint omnes interesse habentes ad deducenda eorum jura in hac Sacra Congregatione, nemo tamen comparuit, proindeque nunc superest, ut ab EE. VV. definiatur.

An sit consulendum Sanctissimo pro gratia Collationis Beneficiorum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. *Martii* 1780. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

QUatuor Cauſæ, quas ordine ſuo primo loco ſubiicimus, in *ultima* Ampliſſimi hujus Ordinis *Congregatione* habita *die* 19. *nuper elapſi menſis Februarii* proponi non potuerunt. Poterunt itaque Eminentiſſimi Patres ad earum ſpecies repetendas *folium ultimæ Congregationis* iterum conſulere, ut expediantur.

FERRARIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM, in qua quæritur. *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

An Oratricum precibus ſit annuendum pro applicatione duorum Subſidiorum dotalium per triennium in caſu &c.

Negativè.

VADEN. LEGATORUM, in qua tria Dubia in diſputationem veniunt. *Seſſ.* 25. *cap.* 3. *de Regular.*

I. *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die* 10. *Januarii* 1778. *in caſu &c.*

II. *An ſit locus firmationi Status hæreditarii tam Corneliæ, quàm Vincentii in caſu &c.* = & quatenus adſint Bona Vincentii.

III. *An, & cui ſint reſtituenda in caſu &c.*

Ad I. in Deciſis, & amplius = Ad II. Affirmative ſumptibus Inſtantium pro nunc, & deinde cujus de jure = Ad III. Dilata.

Seſſ.22. cap.6. de Reform.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM, in qua reſpondendum eſt.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis ſub die 27. Junii 1778. in caſu &c.

In Deciſis, juxta modum, nempe pro ſcutis biſcentum pro qualibet, & amplius.

Seſſ. 7. cap. 8. de Reform., & Seſſ. 21. cap. 7. de Reform.

SPOLETANA RESTAURATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS, ET SACRARUM SUPELLECTILIUM, cujus unum Caput eſt.

An Prior Eccleſiæ Parochialis S. Fortunati teneatur ad reſtaurationem, renovationem, ac manutentionem reſpective Eccleſiæ, & Sacrarum Supellectilium, in caſu &c.

Dilata, & ſcribatur ad Mentem, & Mens eſt, quòd Epiſcopus, prævia Peritorum æſtimatione, ſollicite referat quæ ſint reſtaurationes Eccleſiæ neceſſariæ, quantum importare poſſint, & interim provideat, quòd ſtatim urenſilia, & Sacræ Supellectiles proficiantur adhocut decenter peragi poſſint Sacræ functiones ſumptibus Prioris.

Seſſ.24. cap.19. de Reform.

FIRMANA, ET RIPANA, cujus unum eſt dubium.

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro gratia Collationis Beneficiorum in caſu &c.

Negativè, & amplius.

Reliquæ non propoſitæ.

Seſſ.24. cap.14. de Reform.

LEODIEN. Pro ſexta vice Cauſa hæc ad juſtiſſimum redit Eminentiſſimorum Patrum judicium. Illius ſpecies repetenda eſt *ex Theſaur. Reſol. Sacr. Congreg. Vol. XLIV. pag.*98., ubi eam integre dedimus. Gemina proponebantur Dubia = I. *An ſtatum, ſeu decretum Capitulare*

diei

diei 21. *Januarii* 1628. *ſuſtineatur in caſu &c.* = & II. *An Canonico Carolo Theodoro de Diffuii debeatur portio fructuum provenientium ex Vino Vinearum locatarum, ſeu, ut ajunt, Stutorum, & ex venditione Arborum, Lignorum, & Glandium pro duobus annis primæ Reſidentiæ in caſu &c.* = quæ *in Congregatione* habita *die* 20. *Januarii* 1776. attenta Suffragiorum paritate definiri non potuerunt, reſcriptumque fuit = *iterum proponatur* =, veluti patet *ex Theſaur. Reſol. Sacr. Cong. vol. XLV. pag.* 1.. Propoſita iterum Cauſa fuit *die* 10. *Maii* 1777., eiſdemque Dubiis reſpondit Sacrum hoc Tribunal = *Ad I. Negative, Ad II. Affirmative* = ut cognoſci poteſt ex eodem *Theſaur. Reſol. Sacr. Congreg. Vol. XLVI. pag.* 76. iſtamque reſolutionem confirmavit *in Congregatione, diei* 14. *Februarii* 1778. edito reſponſo *in deciſis, & amplius* = ut habetur ex *eodem Theſaur. Reſol. Vol. XLVII. pag.* 44., *& ſeq.*

Vèrum cum novum hujus Cauſæ fuiſſet aſſumptum examen, nova illius rationum momenta data fuerunt *in Folio Congregationis* habitæ *die* 6. *Martii ſuperioris anni* 1779., propoſitoque Dubio = *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.* = Sacrum Tribunal reſpondit = *prævio receſſu à Deciſis, ad I. Affirmative, ad II. Negative* = Cumque *in Congregatione diei* 28. *Auguſti dicti anni* 1779. interrogati fuiſſent Emi PP. = *An ſit ſtandum in primo, & ſecundo, vel tertio loco deciſis?* = reſponderunt = *In tertio loco deciſis, & amplius*.

Cum autem poſtremum hoc judicium nunc revocari poſtulet Canonicus Carolus Theodorus de Diffuii ſuccumbens, Ampliſſimi Patres, perpenſis juribus, quæ ab eo proponentur, repetita lectione *Foliorum* primi ſcilicet in lucem Hominum editi ſupradicto *Vol.* 44. *Theſaur. Reſol. Sacr. Cong. pag.* 98., & alterius *diei* 6. *Martii ſuperioris anni* 1779., poterunt expedire Dubium, quod damus.

An ſit ſtandum in primo, & ſecundo, vel in tertio, & quarto loco deciſis in caſu &c.

NUL-

Seſſ.25. cap.11. de Reform.

NULLIUS SUBLACEN. Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Sublaci occaſione renovationis Affictus Paſcuorum Latifundii nuncupati *di Livata* ad idem Capitulum pertinentis, ſub die 13. Aprilis 1778. ad alliciendos Oblatores affigi curavit Edicta, in quibus præſcriptum erat, ut quilibet Licitator = *dentro il termine di trè meſi dalla data del preſente dia, o mandi la ſua offerta ſigillata al Signor Canonico Camerlengo di eſſo Capitolo, mentre ſarà conſiderata* = . Intra præfinitum tempus trium menſium tres tantùm comparuerunt Licitatores, quorum major fuit Antonius Marinucci in ſolidum cum Benedicto Fazi, qui ſolvendam obtulit ſub fidejuſſione Franciſci Tomaſetti, & Joſephi Catani penſionem annuam ſcutorum 405,

Ut autem *Inſtrumentum* Affictus ad novennium ritè ſtipularetur cum dictis Licitatoribus Marinucci, & Fazi, Capitulum preces obtulit huic Sacræ Congregationi pro facultate illud ſtipulandi, quam obtinuit ſub die 18. Julii dicti anni 1778. *prævia tamen Edictorum affixione*. Die verò 17. ſequentis menſis Auguſti Pro-Vicarius Generalis ſuum protulit exequutoriale decretum, *eademque die* in jus vocato Capitulo à ſupradictis Licitatoribus Marinucci, & Fazi, hi produxerunt contra Capitulum Edicta originalia ut ſupra affixa uſque à die 13. Aprilis 1778., nec non die 21. ejuſdem menſis Auguſti produxerunt etiam dictas preces à Capitulo porrectas cùm Reſcripto in calce hujus Sacræ Congregationis, inſtiteruntque coram Judice ſequenti die 22. Auguſti pro præfixione termini Capitulo ad ſtipulandum Inſtrumentum Affictus, aliàs videndum ſtipulari ex officio; Et quamvis Capitulum penes acta proteſtatum fuiſſet, ad petitam Inſtrumenti ſtipulationem deveniri non poſſe, niſi prævia Edictorum affixione ad formam Reſcripti Sacræ Congregationis, Judex tamen, hac ſpreta proteſtatione, votis adhæſit dictorum Licitatorum, præfixitque Capitulo terminum quinque dierum ad conficiendam Inſtrumenti Affictus ſtipulationem favore Marinucci, & Fazi inſtantium.

Præfinito termino nondùm elapſo, nimirum die 17. ſæpedicti menſis Auguſti, Fratres Grazioſi eorum etiam exhibuerunt oblationis ſchedulam, obtuleruntque pro dictorum Paſcuorum affictu annuam penſionem ſcutor. 430.. Aſt Judex haudquaquam attenta hujuſmodi utcumque cœteris majori Fratrum de Gratioſis oblatione, minuſque attenta Capituli contradictione, & diſſenſu propter majo-

jorem Fratrum de Gratiosis oblationem, tandem sub die 4. Decembris dicti anni 1778. processit *ex officio* ad stipulationem Instrumenti Affictus Pascuorum ad novennium cùm Marinuccio, & Fatio pro annua pensione scutor. 405. hinc Fratres Grazioſi supplici porrecto libello recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem postulantes, quòd circumscriptis actis gestis coram Pro-Vicario Generali unà cum Instrumento favore Marinucci, & Fazi stipulato; præciperet stipulationem Instrumenti Affictus Pascuorum cùm Oratoribus ad tramites eorum oblationis.

His super precibus requisitus fuit Vicarius Generalis *prò Informatione, & Voto, transmissis actis, & præfixo termino utrique Parti* ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione. Vicarius Generalis retulit ea, quæ gessit; Exposuitque jura illorum Marinucci, & Fazi sustinenentium Contractum ad ipsorum favorem jamdiù perfectum, omnibusque numeris absolutum fuisse, eosque in licitando tempore præfinito cæteros vicisse cùm evidenti Canonicorum utilitate, omniaque servata fuisse solemnia, quæ servanda à Sacris Canonibus in Contractibus rerum Ecclesiasticarum præscribuntur: In dubiũ verò revocavit idem Vicarius Generalis jura ad Fratres Grazioſi pertinentia: Se tamen abstinuit à voto ferendo: Rursus acta gesta coram eodem Vicario Generali fuerunt exhibita, & ex eis patent, quæ ordine suo relata sunt.

Utraque demum Pars sua jura modò proponit in suo respectivè libello de more circumferendo.

Duo enim sustinent Fratres Grazioſi. *Primùm*, quòd cum facultas locandi Pascua ad novennium non aliter à Sacra Congregatione data fuerit, nisi *prævia Edictorum affixione*; hæc Edictorum promulgatio *pro forma* requirebatur, ita ut ea neglecta, omnes actus expleti pro compellendis Canonicis ad stipulandum Instrumentum affictus favore Marinucci, & Fazi, unà cum eodem Instrumento subsequenter ex officio stipulato sustineri non possint, *Ros. de execut. Litter. Apostol. cap.* 3. *num.* 5. & 6., & *cap.* 6. *num.* 8., & 9., *Pacion. de Locat.*, & *Conduct. cap.* 14. §. 9. *num.* 3., nec ea, quæ *pro forma* requiruntur, per æquipollens adimpleri possint *Card. Petr. Comment. ad Constit. V. Pauli III. incipien. Ambitiosæ Sect.* 5. *num.* 56., *Rot. in Recen. decis.* 350. *num.* 1. & *seqq.*, & *decis.* 363. *num.* 5. *part.* 10.: Et *alterum*, quòd cum eorum licitatio major sit illa Marinucci, & Fazi, contendunt, nunc esse ad ipsorum favorem respon-

den-

dendum, ne Capitulo, & Canonicis iniqua inferatur conditio ex traditis per *Pacion. de Locat. cap.* 14. §. 4. *num.* 28., *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 813. *num.* 39., & *Cæſar. de Graſs. deciſ.* 4. *de Reb. Eccleſ. non alien. n.* 15.

His adverſantur Marinucci, & Fazi, ſuſtinentque, neceſſariam non fuiſſe Edictorum renovationem juxta Reſcriptum Sacræ Congregationis, quoties illa jam inde fuerant affixa ſub die 13. Aprilis 1778.; Fratres verò de Gratioſis reiiciendos eſſe, utpote qui obtulerint extra tempus ad licitandum in præfatis Edictis præfinitum, ne publica lædatur fides ex affixis Edictis proſiliens, & ne Licitantibus in tempore jus adimatur quæſitum *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 544. *num.* 2., *Poſth. de Subhaſt. inſpect.* 34., & *Rot. in Imolen. Prælationis* 5. *Febr.* 1751. §. 3. *cor. clar. mem. Card. Matthæjo*.

Atque hinc præoculis habenda eſt conſtantiſſima Sententia hujus Sacræ Congregationis, quæ cùm mandet affigi Edicta, ea ſunt de illius mandato ad evitandas fraudes, nec non ad utiliorem faciendam, curandamque Capituli conditionem indiſpenſabiliter affigenda, licet illa jam fuerint ultroneè affixa, maximè quia Capitulum, ut Edicta renovarentur juxta Reſcriptum hujus Sacri Tribunalis; ſolemniter proteſtatum ſit. Doctrina verò *Gratiani*, aliorumque à Marinuccio, & Fatio ſupra citata, procedit in caſu Edictorum, in quibus continetur Locatoris, ſeù venditoris explicita promiſſio, & obligatio rem tradendi majori Oblatori; Secus autem, ubi affiguntur Edicta ad alliciendos dumtaxat Oblatores cùm expreſſione, quæ nullam obligationem ſecum ferat conſiderandi datam oblationem, quibus in terminis non prohibetur Dominus, poſtpoſito majori, & meliori Oblatore, novam oblationem admittere, aliumque præferre, prout ſibi magis expedire putaverit, quemadmodum caſum à caſu diſtinguendo in puncto firmavit *Rota in Romana Affictus* 14. *Maii* 1770. §. 3., & *ſeqq.*, & *per tot. cor. bon. mem. Riccio*.

Sacra Congregatio quoties ſuper ſimilibus quæſtionibus interrogata fuit, toties pro Edictorum affixione reſpondit, revocatis omnibus geſtis prætermiſſis Edictis, ut *in Neapolitana, ſeu Caven.* 15. *Januarii* 1724. *ad I. Dubium*, quod erat = *An conceſſio in Emphyteuſim facta favore Cajetani, & Beneplacitum Apoſtolicum, ejuſque executio ſuſtineatur, ſeu potius recipienda ſit oblatio Joannis Jacobi?* = cui Sacrum hoc Tribunal reſpondit = *quoad*

primam

primam partem negativè, quoad ſecundam affigantur Edicta = : Itemque in caſu, in quo jam fuerant affixa Edicta de mandato Sacræ Congregationis, cum poſt tempus in Edictis præfinitum novus ſuperacceſſerit Licitator, nova eſſe proponenda Edicta reſcriptum fuit *in Firmana Emphyteuſis* 19. *Auguſti* 1775.

His omnibus, aliiſque perpenſis juribus, quæ in utriuſque Partis reſpectivè libello proponuntur, duo ſunt Capita ab EE. VV. definienda.

I. *An ſuſtineantur acta facta coram Pro-Vicario Generali, & Inſtrumentum Affictus, de quo agitur, favore Antonii Marinucci, & Benedicti Fazi in caſu &c.* = & quatenus negativè.

II. *An, & cujus favore ſit ſtipulandum idem Inſtrumentum Affictus, ſeu potius ſit locus novæ affixioni Edictorum in caſu &c.*

FANEN. UNIONIS. Petrus Galaſſi Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ Fanenſis anno 1767. ſuum ultimum condidit Teſtamentum, in quo ſuorum omnium Bonorum uſumfructum reliquit Equiti Joſepho ejus fratri donec vixerit, hæredem verò proprietarium inſtituit Sodalitium Sanctæ Crucis dictæ Civitatis cum onere *di eriggere in queſta mia Caſa un Oſpedale per li Convaleſcenti per gli Uomini, e non per le Donne, nè Feriti durante la loro convaleſcenza, e mero biſogno, poſpoſta ogni parzialità, e giunto ſia il Capitale, ò cogli avanzi, o Benefattori, ne inculco l' aperizione à gloria di Maria Santiſſima.* *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Defuncto Teſtatore, poſſeſſionem Bonorum omnium hæreditariorum appræhendit Hieronymus Galaſſi illius ex fratre Nepos jure Aviti fideicommiſſi, cujus vocationem per obitum Patrui ſine filiis in ſui perſonam purificatam eſſe contendebat; Hanc tamen orituram quæſtionem diremit præambula Tranſactio inita Hieronymum inter, & Sodalitium, & illius virtute tradita Hieronymo fuerunt tot Bona valoris ſcutorum 4006. 68., reliqua verò, quæ erant valoris ſcutorum 9216. 66., ſimmunia prorsùs à Hieronymi vexationibus habuit Sodalitium.

Confratres autem quammaximè timentes, ſuperextantium Bonorum redditus impares eſſe nedum ad erectionem, ſed etiam ad manutentionem Xenodochii a Præpoſito Teſtatore præſcripti, hinc porrectis precibus Summo Pontifici ſubinde ablegatis ad hanc Sacram Congregationem, duo poſtularunt, *primùm*, quòd approbaretur antedicta Tranſactio, & *alterum*, quòd Patrimonium erigendi Xenodochii Convaleſcentium uniretur Patrimonio alterius jam diù erecti Xenodochii pauperum Infirmorum ſub eadem adminiſtratione Sodalium S. Crucis exiſtentis, ut ita unum tàntum fieret Xenodochium pro Infirmis, & pro Convaleſcentibus, votique compotes facti fuerunt quoad primam eorum petitionem, quò verò ad alteram reſcriptum fuit, quòd Xenodochium pro Convaleſcentibus erigeretur juxta mentem Præpoſiti Galaſſi Teſtatoris.

Xenodochium idcircò fuit erectum, Sodaleſque ſubinde renovarunt preces coram Sacra Congregatione pro unione Xenodochiorum, & Patrimoniorum ea innixi ratione, quod cum redditus Xenodochii pro Convaleſcentibus longè ſuperent expenſas pro illius manutentione, & Convaleſcentium commodo, & beneficio neceſſarias, de his ſuperextantibus redditibus beneficium ſentiant; & Infirmi alterius Xenodochii. Audito Epiſcopo, ut moris eſt, hic Sodalium votis adhæſit in ſua Informatione, & voto, quæ à Sodalibus unà cum eorum libello circumfertur.

Ponderandum eſt, poſtulatam hanc unionem ſapere commutationem voluntatis Prepoſiti Galaſſi, quæ ſtricte cuſtodienda eſt, & religiosè exequenda, ut ſæpius definivit hæc Sacra Congregatio, & in ſpecie *in Florentina Commutationis Voluntatis* 15. *Februarii* 1747., idque ne viventes, qui commutatas vident ultimas Mortuorum voluntates, retrahantur a piis ineundis diſpoſitionibus, ut advertit *Card. Petra in Comment. tom.* 3. *ad Conſtit.* 7. *Innocentii IV. num.* 50., ubi etiam addit, expedire, ut neque in melius commutatio fiat, quando hujuſmodi commutationi enixa, & firma reſiſtit voluntas Teſtatoris, prout in caſu voluntatis Præpoſiti Galaſſi, dum dixit, quòd Xenodochii = *ne inculco l' aperizione à Gloria di Maria Santiſſima* =, veluti firmant *Piton. controv. Patron. alleg.* 50. *ſub num.* 2., & 9., & *Rot. cor. Rezzonico deciſ.* 158. *n.* 3., & *ſeq.*

Et quamvis hæc limitetur regula, vel quando pium opus, quòd

quòd Teſtator fieri mandavit, impleri non poſſit, nam tunc mutanda voluntas eſt, quam ipſe Teſtator mutaſſet in aliud ſimile pium opus ad *Text. in L. Legatum* 16. *ff. de uſu, & uſufruct. legat.*, quemadmodum etiam *ex cap. Nos quidem* 3. *de Teſtamentis* tuentur *Bartol. in Leg. Pater filium ff. de Legat.* 3., *Gonzal.*, *& Fagnan. in eod. ca.* 3. *à num.* 13. *ad* 17. *de Teſtam.*, *& Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 81., vel quando juſta, rationabilis, & neceſſaria concurrat commutandi cauſa, ut adhæſivè ad cenſuram Sacri Æcumenici Concilii *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.* tradunt *Fagnan. in cap. Relatum num.* 36. *de Cleric. vel Monac.*, *Monet. de Commut. ult. volunt. cap.* 6. *num.* 26., *Pignattell. Conſult. Canon. tom.* 4. *conſult.* 148. *num.* 12., non autem prædictæ regulæ limitatio procedit quando pium opus commodè, & uberrimè exequi poteſt, & in his terminis plurimæ ſunt Reſolutiones Sacri hujus Tribunalis, & præſertim *in Foroſempronien. Commutationis Voluntatis* 16. *Maii* 1778.

An autem hæc omnia conveniant in caſu, de quo agitur, Eminentiſſimi Patres cognoſcere poterunt, perpenſis juribus Oratorum, & definire.

An Bona Hoſpitalis Convaleſcentium Civitatis Fani unienda ſint Bonis Hoſpitalis Infirmorum ejuſdem Civitatis in caſu &c.

ANAGNINA : Sacerdos Julius Fiaſchetti Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi Moroli Anagninæ Diæceſis poſt extructam a fundamentis Eccleſiam prope ſuam Domum pro illius, erigendique Conventus dote per contractum Donationis inter vivos ſtipulatæ die 26. Septembris 1767. ceſſit omnia Bona cujuſvis generis, & ſpeciei Patribus Congregationis Romanæ ſub titulo Sancti Michaelis Archangeli Ordinis Excalceatorum S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum pluribus adjectis oneribus, pactis, & conditionibus à Donatariis ſolemniter acceptatis, quas inter ea fuit, quòd à Patribus propriis ſumptibus, obtento Beneplacito Apoſtolico, nec non conſenſu Ordinarii, & Baronis dicti Oppidi, Domus prope dictam Eccleſiam in religioſum erigeretur *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

Conventum ſub invocatione S. Mariæ Virginis Boni Conſilii ſub obligatione retinendi Religioſos cum onere præſcripta celebrandi Sacra, Anniverſaria, aliaque pietatis opera exercendi pro bono Populi, ejuſque Animarum ſalute. Caſu verò, quo Donatarii vel nollent, vel non poſſent in erecto Conventu permanere, tunc juſſit, quòd ex omnibus ſuis Bonis tria erigerentur Beneficia in eadem Eccleſia cum iſdem oneribus Patribus Donatariis indictis, & ad eorum unumquodlibet vocavit filium trium reſpectivarum Familiarum *Ridolfi*, *Oddi*, *& Granella* Canonico Donanti proximiorum, quibus etiam gradatim contulit jus nominandi Beneficiatos tempore vacationis.

Stipulata vix hinc inde obligatoria Donatione, & vivo adhuc Canonico donante, *ſub die 6. Februarii* 1768.. Fratres prædicti ex titulo inſufficientiæ reddituum Bonorum donatorum obtinuerunt ab Anagnino Antiſtite Decretum, in quo commutata voluntate Donantis, facultas illis impertita fuit, loco erectionis Conventus, retinendi in Oppido Moroli *Sæcularem Domum in forma Hoſpitii ad uſum tantummodo ibi recipiendi eos dumtaxat Religioſos, qui prædictorum Bonorum curæ, & Adminiſtrationi erunt neceſſarii*, nulla in eadem Domo, ſeu Hoſpitio ſervata regularis Conventus forma, & ſine obligatione publicè peragendi ſacras functiones, vel alia pia opera à Donatore præſcripta, adjecta inſuper in eodem Decreto lege, quòd Patres ſolemnem obligationem penes Epiſcopalem Cancellariam emittere deberent *ſuper exacta, & invariabili, & futuris temporibus obſervantia præmiſſorum omnium in præſenti noſtro Reſcripto contentorum*.

Hanc ſuæ voluntatis commutationem ægre tulit Canonicus donans, conſtituitque Procuratorem in Urbe, ut Cauſam ſuper aſſerta executione Donationis, ac ſuper uſufructu Bonorum à Patribus movendam coram A. C. præ viribus tueretur. Aſt iidem Religioſi die 9. Junii anni 1768. Biduum aute obitum Canonici ſecutum die 11. ejuſdem Menſis poſſeſſionem omnium Bonorum donatorum nacti ſunt: illius verò poſt obitum, eamdem poſſeſſionem cæperunt illi de Ridolfis, Oddi, & Granella tamquam ab inteſtato hæredes ejuſdem Canonici. Hinc introducta lite inter Bonorum Poſſeſſores ſuper Spolio, Sententia prodiit favore Patrum, qui ſub die 18. Maii 1770 publico ſtipulato Inſtrumento acceptarunt ſupradictum

Epi-

Episcopi Decretum die 6. Februarii 1768., illiusque executionem interposito juramento polliciti sunt exequi, illudque perpetuo servare juxta illius formam, & tenorem, quinimo sequenti diei 19. Maii aliud ab Anagnino Episcopo obtinueruntDecretum reductionis onerum Anniversariorum, & aliorum ipsis in prænarrata donatione præscriptorum = *pro interim, & donec, & quousque erigi possit formalis Conventus, ac regularis Domus ad formam dispositionis ejusdem pii Fundatoris*.

Cum autem voluntas Canonici Fundatoris adhuc inadimpleta remaneat, cumque Contractus Donationis à Patribus exequi non possit, idcirco preces huic Sacræ Congregationi porrexerunt tres Familiæ *Ridolfi*, *Oddi*, & *Granella* postulantes erectionem trium Beneficiorum, quæ fuerat à Canonico cum iisdem oneribus præscripta casu, quo Patres in erecto Conventu subsistere non possent.

Hodiernus Anagninus Antistes pro Informatione, & voto requisitus retulit, vera esse, quæ in precibus exposita fuerunt, concluditque sibi videri in hoc rerum statu præfatos Patres inferre fraudem substitutioni Beneficiorum locum adamussim habenti in casu, vel impossibilitatis, vel deficientiæ voluntatis erigendi eumdem Conventum, & munera ipsis injuncta adimplendi, quod ad Sacræ hujus Congregationis pertinet judicium.

Causa nunc proponitur. Sustinent enim Oratores, subsistere non posse Decretum Anagnini Episcopi diei 6. Februarii 1768., quo commutata fuit voluntas Canonici Julii Fiaschetti, erigendumque Conventum in Sæcularem Domum illegitime in formam Hospitii immutatum fuisse, quippe quia commutatio voluntatis Defunctorum ad Summum Pontificem pertinet ad *Text. in Clement. Quia contingit*, *ibique Gloss. de Religios. Dom.*, *Leg. Legatum* §. 4. *de adm. rer. ad Civit. pert.*, & id ipsum præscriptum fuit in Constitutionibus Apostolicis, nimirum *Urbani VIII.* incipien. *Cum sæpe*, & illius confirmatoria *Innocentii XII, diei* 20. *Decembris* 1697.

Accedit, quòd Commutatio facta fuit inauditis ipsomet Canonico Fundatore, & aliis interesse habentibus, & in donatione contemplatis, quibus posthabitis, sustinent irritandum esse Decretum, de quo agitur ex traditis per *Rot. cor. Crispo decis.* 221. *num.* 10., *& in Leodien. Immissionis* 15. *Junii* 1769. §. 5. *cor. cl. me. Card. Bussio*.

Neque verum esse ajunt, Decretum Episcopi provisionale

fuisse

fuiſſe ; nam (ſecundò excepto Decreto ſuper facta onerum reductione) quoad primum diei 6. Februarii 1768. ſuper commutatione erectionis Conventus in Sæcularem Domum , ſive Hoſpitium , preces à Patribus Epiſcopo porrectæ pro hac habenda commutatione præſeferunt petitionem abſolutum,& non proviſionalem,aut temporaneam , nec proviſionalis aut temporanea fuit conceſſio Epiſcopi . Quare concludunt , Patres à commodo Donationis cecidiſſe ad firmata per *Rot. in Romana Donationis* 4. *Julii* 1717. §. 14. *cor. Corio* , & eſſe locum erectioni Beneficiorum , ut voluntas Fundatoris adimpleta remaneat, damnatis iiſdem ad fructuum reſtitutionem à die Bonorum captæ poſſeſſionis perceptorum .

Hæc , & alia plurima legenda ſunt in libellis ab utraque Parte circumferendis . Tria ſunt Capita ab EE. VV. definienda .

I. *An ſuſtineatur Decretum Epiſcopi Anagnini diei* 6. *Februarii* 1768. *in caſu &c.*

II. *An , & quomodo ſit locus erectioni Conventus ad formam Donationis , de qua agitur , ſeù potius erectioni Beneficiorum in caſu &c.* = & quatenus affirmativè ad ſecundam partem .

III. *An , a quo tempore , & in qua ſumma ſint reſtituendi fructus in caſu &c.*

Die

Die Sabbati 15. *Aprilis* 1780. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

QUatuor ſequentes Cauſæ propter temporis anguſtiam non fuerunt in proxime præterita Congregatione propoſitæ; ideoque dignabuntur EE. VV. poſtremæ Congregationis folium reaſſumere, & ſequentibus dubiis reſpondere.

LEODIEN., in qua deliberandum eſt. *Seſſ.* 24. *cap.* 14. *de Reform.*
An ſit ſtandum in primo, & ſecundo, vel in tertio, & quarto loco deciſis in caſu &c.

In tertio, & quarto loco deciſis, & amplius.

NULLIUS SUBLACEN., cujus duo ſunt Capita. *Seſſ.* 25. *cap* 11. *de Reform.*
I. *An ſuſtineantur acta facta coram Pro-Vicario Generali, & Inſtrumentum Affictus, de quo agitur, favore Antonii Marinucci, & Benedicti Fazi in caſu &c.*, & quatenus negativè.
II. *An, & cujus favore ſit ſtipulandum idem Inſtrumentum Affictus, ſeu potius ſit locus novæ affixioni Edictorum in caſu &c.*

Ad I. Negativè in omnibus; Ad II. negativè ad primam partem, affirmativè ad ſecundam.

FA-

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

FANEN. UNIONIS, in qua quæritur:

An Bona Hoſpitalis Convaleſcentium Civitatis Fani unienda ſint Bonis Hoſpitalis Infirmorum ejuſdem Civitatis in caſu &c.

Negativè, & ad mentem, & mens eſt, quòd ſcribatur Epiſcopo, qui referat, an convaleſcentes retineantur per tres dies tàntum, vel limitatum tempus, vel potius per tantum temporis, quantum ex judicio Medici neceſſe eſt, ut retineantur adhoc ut perfectè convaleſcant.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

ANAGNINA, cujus tria Dubia ſunt:

I. *An ſuſtineatur Decretum Epiſcopi Anagnini diei 6. Februarii* 1768. *in caſu &c.*

II. *An, & quomodo ſit locus erectioni Conventus ad formam Donationis, de qua agitur, ſeu potius erectioni Beneficiorum in caſu &c.* = & quatenus affirmativè.

III. *An, à quo tempore, & in qua ſumma ſint reſtituendi fructus in caſu &c.*

Ad I. negativè; & amplius; Ad II. dilata, & præfigatur terminus unius anni Fratribus Redemptionis captivorum ad adimplendum omnes conditiones præſcriptas in Inſtrumento Donationis, quo elapſo, habebitur ratio; ad III. dilata.

Seſſ. 22. Decret. de obſer. & evit. celebr. Miſſ.

PLACENTINA. Propoſita fuit hæc Cauſa *in Congregatione* habita *die* 21. *Novembris* 1778. Placuit Eminentiſſimis Patribus in poſteriori *Congregatione diei* 16. *Janua-*

Januarii 1779. Dubio, quod erat = *An ſit locus ſuſpenſioni oneris Miſſarum, & reintegrationi Capituli pro Miſſis in præteritum celebratis ultra ratam fructuum perceptorum in caſu &c.* = reſpondere = *Negativè in omnibus* = Nunc itaque cum ad judicium Ampliſſimi hujus Ordinis iterum Cauſa redeat, rogamus Eminentiſſimos Patres, ut folium illius *Congregationis diei* 21. *Novembris* 1778., quod impreſſum fuit *Vol XLVII. Theſaur. Reſol. Sacræ Congreg. pag.* 237., *& ſeqq.* reaſſumant, ut perpenſis iis, quæ nunc proponuntur, reſpondere poſſint.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius.

Reliquæ non propoſitæ.

ROMANA FRUCTUUM. Nicolaus à Valle ex Marchionibus de Bubalo Canonicus Sacroſanctæ Lateranenſis Baſilicæ, poſtquam propter Capitis vertigines, quas patiebatur obtinuerit ab Apoſtolica Sede Coadjutorem, qui ipſius vice ſubiret onus Eccleſiæ, Chorique ſervitium, an. 1764. ut à morbo convaleſceret, ſine Indulto abeſſendi ab Urbe diſceſſit, adivitque Feudum Familiæ ſuæ Oppidum nempe Fighine in Etruria, ibique commorans obtinuit an. 1766. à Summo Pontifice gratiam abeſſendi ad biennium, prævia abſolutione quoad præteritum. Hoc autem Indultum ſemel, & bis ad aliud biennium prorogatum fuit ab hac Sac. Congregatione anno ſcilicet 1768., & 1770., quin tamen curaverit exequtoriale hujus poſtremæ prorogationis Decretum obtinere ab Eminentiſſimo Domino Cardinali ſupradictæ Baſilicæ Lateranenſis Archipræsbytero. *Seſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

Ad Urbem rediit anno 1774. Canonicus Coadjutus, repetiitque Fighine anno 1776., neglecto penitus abeſſendi Indulto, idque in cauſa fuit, quòd Capitulum ſub initium anni 1779. punctaturis illum ſubjecerit. Canonicus idcirco preces exhibuit Sacræ huic Congregationi poſtulans, ut perſeverante adhuc morbo ex jurata Medici

depoſitione, ſibi concederetur abeſſendi Indultnm cum abſolutione quoad præteritum. = *Exploratæ autem gratiæ locum eſſe cenſerem ob conſtantem Oratoris infirmitatem ſalubriori aere curandam, & quia Eccleſia debito non defraudatur ſervitio ob vigilantiam ejus Coadjutoris laudabiliter inſervientis* = ut totidem verbis in voto fuit Eminentiſſimus Cardinalis Archipræsbyter pro informatione, & Voto requiſitus.

Auditi pariter fuerunt Capitulum, & Canonici, qui petitæ gratiæ libenter conſenſerunt = , *hac tamen conditione adjecta, & non aliàs, ut per quodcumque Reſcriptum, & Indultum, quòd ei forſan Sacra Congregatio conceſſerit, nullum oriri poſſit, nec inferri debeat præjudicium quæſtioni illi, quæ adhuc ſub Judice eſt, circa nominationem, & collationem cujuſdam Clericatus Beneficiatus, qui in hebdomada ſui Turni nuper vacavit, & quas ad noſtrum Capitulum ob ſupradicti Illuſtriſſimi Domini de Bubalo abſque ullo Indulto Apoſtolico ab ejus reſidentia, & ab Urbe abſentiam devolutas eſſe cenſuimus, ita ut per ſanatoriam, quam forſan à Sacra Coagregatione pro elapſis annis obtinuerit, nequaquam in hoc jure redintegratus intelligatur; ſed quæſtio in ſtatu quo remanere debeat à competentibus Judicibus, ſi opus fuerit, definienda* = His tamen non obſtantibus; Sacra Congregatio ſub die 17. Aprilis ſuperioris anni 1779. reſcripſit = *Quoad præteritum Lectum, quò verò ad futurum ad aliud biennium ad formam præcedentium Indultorum, & conſenſus Capituli.*

Primam hujus Reſcripti partem retractari poſtulat Canonicus innixus Reſcripto Honorii III. relato *in cap. Ad Audientiam de Cleric. non reſiden.*, & Bonifacii VIII. *in cap. unic. eodem tit. in 6.*, quo licet à percipiendis fructibus, quotidianiſque diſtributionibus arceantur ii, qui in ſuis Eccleſiis non reſident, & Divinis Officiis non interſunt, excipiuntur tamen illi, *quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret.*

Contenditque præterea ſibi debitos eſſe fructus omnes ſui Canonicatus, nec non omnes quotidianas diſtributiones, utcumque, derelicto Reſidentiæ loco, ſeſe contulerit ad Oppidum Fighine, ubi adhuc moratur, ut beneficio ſalubrioris aeris illius à ſuo morbo ſanaretur, nec ſatis firmam adhuc juxta Medici relationem acqui-

ſiviſſe valetudinem, ut ad reſidentiam redire potuerit, exiſtente præſertim Coadjutore, qui pro eo reſidet, incumbitque Chori, Eccleſiæque ſervitio, *Fagnan. in cap. nulla de Conceſſ. Præben. num.* 65., & *Rota coram Pœnia deciſ.* 392. *num.*4., & *cor. Rezzonico deciſ.* 163. *ſub num* 7.

Nec ullo ſe indigere ſuſtinet abeſſendi Iudulto, quia Canonicæ Leges illud conceſſerunt Infirmis *Cap. unic. de Cleric. non reſiden. in* 6. *Concil. Trident. Seſſ.* 24. *cap.*12. *de Reform.*, *Fagnan. in cap. Ad Audientiam num.* 7. *de Cler. non reſiden.*; Nec fructibus ſui Canonicatus privari poſſe, utcumque abfuerit ſine licentia, niſi præviis Canonicis monitionibus, ut rediret ad reſidentiam *cap. Clericos*, *ibique Gloſſ. de Cleric. non reſident.*, *Garzia de Beneſic. part.*3. *cap.*2. *num.*140., & 145., & *Rota cor. Rezzonico deciſ.*163. *num.*14., & *ſeqq.*

Inſtatque demùm pro perceptorum fructuum condonatione, quatenus eos tamquam abſens, & infirmus ſuos non feciſſet, quemadmodum in conſimili caſu non factæ Fidei Profeſſionis Gregorium XIII. fructus male perceptos ſemper condonaſſe, dummodo ſine malitia id evenerit, ut habetur apud *Garz. de Benef. part.*3. *cap.* 3. *num.*53., & *ſeqq.*, qui etiam ſubdit *num.*57., hanc remiſſionem fieri à Sacra Pœnitentiaria, aliqua facta eleemoſyna pro Fabrica Eccleſiæ, vel alio pio Loco, prout etiàm de ſimilibus condonationibus factis ab hac Sacra Congregatione extat exemplum tàm apud *Novar. in Summa Bullarum part.*1. *Commentar.* 59. *num.*10., quàm penes *Barboſ. de Canonicis cap.*17. *ſub num.*23.

At Beneficiati, & Clerici dictæ Lateranenſis Baſilicæ in contradictores ſeſe præbent Oratoris inſtantiæ. Diſtinguunt enim, aliam eſſe abſentiam à Chori, & Eccleſiæ ſervitio, & aliam à loco reſidentiæ cauſa Infirmitatis: In primo namque caſu conveniunt, Canonicum lucrari nedùm fructus ſui Canonicatus, ſed omnes etiam quotidianas diſtributiones utcumque abſit à Chori, Eccleſiæque ſervitio, cui Coadjutor obſtringitur incumbere, quemadmodum per *Text. in Can. ſcripſit mihi* 7. *quæſt.*1., & *in cap. Ex parte* 5. *de Clerico ægrot.* docent *Pering. in Jus Canonic. lib.*3. *tit.*6. *num.*16., *ibique Reiffenſtuel.* §.2. *num.*48. Secus verò in altero caſu, nàm Canonicus Coadjutus ſicuti Coadjutoria non obſtante, non excuſatur ab onere reſidendi in loco, ubi

Canonicatum obtinet, secundum ea, quæ tradunt *Gonzal. ad Regulam* 8. §. 9. *num.* 30. *Castropal. tract.* 13. *dis.* 1. *de Benefic. punct.* 9. *num.* 12., *Barbos. tom* 1. *de Jur. Eccl. Univers. cap.* 15. *num.* 53., & *Reiffenstuel. loc. cit. num* 35., definivit Sacra Congregatio *in Carthaginen.* 1. *Decembris* 1618., ut *in lib.* 11. *Decret. pag.* 223., ita non obstante Infirmitate, quæ justa, & à jure approbata causa est obtinendi abessendi licentiam, Canonicales fructus non facit suos, si abest à loco residentiæ sine Indulto, quod copulativè cum infirmitate requiritur *Garzia de Benef. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 340., *Pignatell. Consult.* 36. *num.* 2. *tom.* 3., *Rota in adden. ad decis.* 365. *num.* 8. *cor. Ludovis.*, *decis* 348. *num.* 1. *coram Manzanedo*, & *decis* 608. *num.* 1. *part.* 1. *recen.*

Imò Coadjutum abessentem sine Indulto nec etiam lucrari quotidianas distributiones, si Coadjutor quoque causa infirmitatis absit sine Indulto à residentiæ Loco, definivit Sacra Congregatio in *Romana Distributionum* 19. *Augusti* 1730. *ad I. Dubium*, quod erat = *An distributiones debeantur Canonico Coadjuto extra Urbem commoranti, suo pariter Coadjutore extra Urbem causa infirmitatis degente?* = edito responso = *Affirmative, quatenus uterque habeat Indultum abessendi.*

Addunt, hic non agi de privatione Canonicatus, & fructuum, unde requirantur Canonicæ monitiones, sed agi dumtaxàt de illorum amissione, cui de jure subest, qui non residet: Ideoque concludunt, amissos Canonicales fructus, qui in Massa Capitulari confiuntur, Capitularique Mensæ accreverunt (aliter ac illi, qui sunt à Massa distincti, & separati, quique proinde, dùm amittuntur, applicandi sunt pro Fabrica Ecclesiæ, vel pro alio Loco pio) dividi debere inter cæteros Canonicos, Beneficiatos, & Clericos constituentes unum Corpus, & unam Massam habentes, nec eos posse à Canonicis absque Beneficiatorum, & Clericorum consensu condonari *Pignatell. consultat.* 14. *num.* 8. *tom.* 4., & *Panimoll. decis.* 20. *annot.* 3. *num.* 20.

Verumtamen tota hujus Causæ quæstio consistere videtur in bona fide, in qua Canonicus Orator se fuisse asserit, eo tempore, quo abfuit absque Indulto, cum certum in facto sit, Canonicum Oratorem posiquam anno 1764. à loco residentiæ sine Indulto discessit causa Infirmitatis, illud anno 1766. ad biennium obtinuisse cum per-

perceptorum fructuum condonatione. At verò ad residentię locum reversus anno 1774., & iterum ex eadem infirmitatis causa, & similiter absque Indulto discedens anno 1776.; quin probaverit, quòd ejus morbus in dies ingravescebat, dum in Urbe, in loco residentiæ morabatur, cum primum Capitulum post triennium punctaturis subjecisset absentem Canonicum Oratorem, is iterum petiit quoad præteritum male perceptorum fructuum condonationem de qua nunc quæritur, & Indultum abessendi quoad futurum consecutus est ad biennium. An autem hoc Factum adimat bonam fidem Oratoris, id decernent EE. VV. Jura utriusque Partis, excepto Capitulo, circumferuntur, quibus perpensis, deliberandum erit.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

VERCELLEN. Carolus Solidi ex Vico, sive Burgo Blumdratensi Diœcesis Vercellensis in ejus ultimis testamentariis Tabulis exaratis anno 1754. usumfructum suorum omnium Bonorum reliquit ejus Matri, donec viveret, cùm onere adimplendi Legatum, quòd scripserat favore suæ Uxoris: Hæredem verò proprietariam instituit Animam suam. Jussit, quòd defuncta Matre, venderentur Bona sua hæreditaria, & ex retrahendo pretio constitueretur Capitale tot reddituum, quot sufficerent pro geminis solemnibus Anniversariis, & sex Missis lectis cùm unoquoque Anniversario celebrandis quolibet anno, & in perpetuum in Parochiali, & Collegiata Ecclesia S. Columbani ab illius Præposito, & Canonicis, uno scilicet in die obitus Testatoris, alteroque in die decessus ejus Matris in expiationem Animæ utriusque, ejusque Consanguineorum. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Voluit insuper, quòd demptis dictis Capitali, & redditibus pro Anniversariis, & Missis lectis, alterum constitueretur Capitale pro dote assignanda in erectionem, quàm fieri jussit perpetui Beneficii Ecclesiastici in dicta Collegiata Ecclesia ad Altare S. Severi cùm onere celebra-

brationis Missæ quotidianæ pro ejus, & Matris, & Consanguineorum Anima, præscripta eleemosyna pro qualibet Missa solidorum viginti monetæ Imperialis correspondentium, ut asseritur, ad solidos tredecim, & denarios quatuor monetæ Pedemontanæ. Jus autem nominandi Cappellanum, seù Beneficiatum reliquit Capitulo supradictæ Collegiatæ Ecclesiæ, data prælatione Testatoris Consanguineis, si adessent, sin minus Ecclesiasticis dignioribus, & natis in dicto Burgo, seu Vico, & præ cœteris ad audiendas Sacramentales Confessiones idoneis, indicto ulterius onere Cappellano celebrandi Sacrum diebus tantùm festis post solemnem Missam cùm cantu à Canonicis celebratam.

Si verò constitutis Fundis, seù Capitalibus tàm pro Anniversariis cùm Missis lectis, quàm pro Missa quotidiana, aliquid supereſſet ex hæreditate, mandavit, id totum investiri debere in Censu, vel alio Fundo, ejusque redditus erogari in dotandis Puellis pauperrimis supradicti Burgi eligendis à Præposito cùm interessentia Capituli.

Defuncto Testatore, ejus Cadaver tumulatum fuit in præfata Parochiali, & Collegiata Ecclesia S. Columbani. Cùm autem factus esset locus executioni eorum, quæ Testator mandaverat, processit Capitulum ad liquidationem Assis hæreditarii, qui compertus fuit ascendere ad Libellas 17036. annui redditus annuarum Libellarum monetæ Pedemontanæ 654.

Capitulum preces exhibuit huic Sacræ Congregationi referens, quòd distributis antedictis Libellis 654. Cappellanum inter, & Puellarum dotationem; erunt Cappellano pro quotidiana Missa assignandæ annuæ Libellæ 244. ad rationem scilicet à Testatore præscriptæ eleemosynæ solidorum viginti monetæ Imperialis pro qualibet Missa, quæ eleemosyna adamussim est manualis in eo loco, residuales verò Libellæ 410. pro dotatione Puellarum erunt erogandæ, itaut major summa erogaretur in Puellarum dotatione, quam Testator postremo loco consideravit, ea assignanda pro Beneficio, Missarumque celebratione, quam in expiationem suæ & Matris, & Consanguineorum Animæ Testator ipse primo loco præceperat, ideoque supplicavit, ut, derogata taxa eleemosynæ à Testatore præfinita, distributio fiat annuarum Libellarum 654. quarum quatuorcentum Cappellano, residuæ verò biscentum sexaginta quatuor pro Puellarum dotatione.

Auditus Episcopus Capituli petitioni favet, additque, quòd=

im-

impossibile foret, nedum difficillimum, Sacerdotem ibi invenire, ubi præter Canonicos vix alius Sacerdos degit, qui & domicilium statuere, & Missam cùm applicatione ad præscriptum Altare, diebus etiam festivis præstituta hora haud commodiori celebrare eam habiturus retributionem velit, neque crediderim iis conditionibus Beneficium esse erigendum vel nec nuncupandum. Hoc eo magis, quòd ad passivam, ut ajunt, vocationem, extincta cognatione Solidi, jus prælationis Blandratensibus tribuit, interque ipsos dignioribus, & ad confessiones excipiendas adprobatis, quin ad id obeundum munus aliquid præter dictam manualem eleemosynam Cappelluno ipsi constituat.

Quò verò ad Puellarum dotationem sic refert idem Episcopus = *In eo autem Oppido constitutæ sunt dotes, ubi vix omnis ætatis, ac sexus septuaginta existunt Personæ, adeoque vix quatuor Puellas pauperes quotannis adinveniri putarem, quæ nuptias ob paupertatem dotandæ ineant: iis autem libellas sexaginta pro cujuslibet dote sufficere existimo; Non enim majores hac, vel ipsa in Civitate, Puellis indigentibus dotes erogari, vel à Testatoribus legari solent.*

Preces renovat Capitulum, suaque jura deducit in libello de more circumferendo.

Ponderandum est, Testatorem *triplex* pium opus præscripsisse; *Primum*, quòd ex suis Bonis constitueretur Fundus pro annua, & in perpetuum facienda celebratione duorum Anniversariorum cùm sex respective Missis lectis in ea Collegiata Ecclesia, in qua Cadaver Testatoris tumulatum est. Quo impleto; *Secundum*, quòd alia ejus Bona assignarentur pro dote erigendi Beneficii Ecclesiastici cùm onere Missæ quotidianæ cùm eleemosyna solidorum viginti pro quolibet Sacro. Quo exequuto; *Tertium*, quòd si quid ex redditibus suæ hæreditatis superesset, id totum erogaretur in pauperum Puellarum dotationem. Cum autem tàm in precibus Capituli, quàm in relatione, & voto Vercellensis Antistitis sermo dumtaxàt habeatur de *secundo*, & *tertio* pio opere, & de distributione hæreditariorum reddituum inter utrumque pium Opus facienda, penitus prætermissa Anniversariorum & Missarum lectarum celebratione, quam Testator *primo* loco tàm anxiè voluit, atque præcepit, perinde ac si nihil de Anniversariis, deque Missis lectis præcepisset, quid expediat in hoc facti specie, cognoscendum,

& de-

& decernendum erit ab EE. VV., & ſub ſequenti Dubio.

An, & quomodo Capituli Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Seſs. 25. cap. 4. de Reform., & Seſs. 6. cap. 2. de Reform.

TAURINEN. Comes Chiabertus de Ploſſaſco ex Dominis Loci Scalengiarum Taurinenſis Diœceſis poſt à fundamentis extructam in eo loco Cappellam in honorem Dei, & S. Sebaſtiani Martyris, eam anno 1451. dotavit tàm pro ejus, quàm pro nominandi, ac inſtituendi Cappellani manutentione. Jus autem nominandi, & præſentandi Cappellanum reſervavit ſibi, = *ſuiſque filiis, hæredibus, & Deſcendentibus univerſis de genere ipſius nobilis Chiaberti* = Prohibuit, ad eamdem Cappellaniam ullum nominari poſſe = *niſi fuerit in Sacerdotio conſtitutus*: Ac voluit, quòd Cappellanus quotidie, & perpetuò teneatur *per ſe ipſum* in dicta Cappella celebrare Sacrum in Aurora pro Anima ipſius Fundatoris, ejuſque Prædeceſſorum, nec non in Loco Scalengiarum aſſiduè reſidere, ſubditque, quòd *ſi fortè infirmitate, ſeù alio legitimo impedimento ſit detentus; eo caſu per alium in eadem Cappella omni die teneatur facere celebrare* = Si Cappellanus per octo dies defeciſſet in celebratione quotidianæ Miſſæ vel per ſe, vel per alium facienda, tunc eſſet ille mulctandus pœna *trium groſſorum ipſo jure applicandorum Fabricæ dictæ Cappellæ* =, nec non quatuor groſſorum, quatenùs per quindecim dies celebrationem Miſſę neglexiſſet, ac demùm ſi per triginta dies infra annum celebrationem omiſiſſet, *eo caſu ſit, & eſſe debeat dicta Cappella ipſo jure privatus*.

Succeſſivis inde temporibus quatuor fuerunt de Familia Ploſſaſco, qui auxerunt Cappellæ, & Cappellaniæ Bona, & aliarum Miſſarum onus Cappellano. *Primus* fuit Còmes Bonifacius junior, qui anno 1478. jure Legati ſine ullo tamen onere Cappellano reliquit parvam Domum cùm horto. *Secunda* fuit Comitiſſa Laura Ploſſaſco, quæ anno

no 1612. Cappellano reliquit tria terræ jugera cùm tabulis ſexaginta ſeptem, onere adjecto celebrandi Miſſam unam lectam qualibet Hebdomada, nec non Anniverſarium in die ejus obitus, qui evenit menſe Auguſti dicti anni. *Tertius* fuit Comes Germanus de Ploſſaſco, qui Cappellanus erat, & qui anno 1644. legavit ſummam 1500. Librarum Sabaudiæ reſpondentem Romanis ſcutis tercentum, hac lege, ut ex iis ſcuta centum erogarentur in reſtauratione Cappellæ, & in Sacris Supellectilibus, reliqua verò ſcuta biſcentum in fundum fructiferum pro Cappellano, cui onus adjecit binas in hebdomada celebrandi Miſſas. *Quartus* denique fuit Comes Franciſcus de Ploſſaſco, qui anno 1650. reliquit inveſtiendas libras 500. , ſeù ſcuta Romana centum, ut ex eorum redditibus una quotannis celebraretur à Cappellano Miſſa Defunctorum, & altera in diebus feſtis reſpectivorum Sanctorum, qui in eadem Cappeila depicti coluntur, eodemque tempore addixit Cappellaniæ novem Terrarum jugera, & tabulas octuaginta ſeptem cùm onere Cappellano impoſito unam celebrandi Miſſam hebdomadariam in perpetuum.

Juſpatronatus hujus Cappellaniæ coaluit in Familiam Olgiati, quæ in omnibus juribus Familiæ Ploſſaſco ſucceſſit. Anno 1767. cùm per obitum Sacerdotis Petri Georgei Bottero vacaſſet Cappellania, Comes Carolus Emanuel Olgiati Patronus ad eam nominavit, præſentavitque Comitem Lucium Antonium ejus filium Canonicum Coadjutorem in Cathedrali Eccleſia Vercellenſi, ubi continuò moratus eſt, & moratur. Canonicus itaque ad inſtantiam Communitatis Loci Scalengiarum vocatus fuit, ut reſidentiæ in eo loco, & celebrationi Miſſæ quotidianæ in Aurora per ſe ipſum incumberet, qua pendente lite, anno 1768. recurſum habuit Canonicus ad hanc Sacram Congregationem pro gratia diſpenſationis à reſidentia.

Audito tunc Archiepiſcopo, is retulit, ipſum eſſe de proximo pronunciaturum Sententiam contra Canonicum pro reſidentia in loco Cappellaniæ, & pro celebratione Miſſæ quotidianæ per ſe ipſum facienda, prout definitum fuerat adverſus antedictum Sacerdotem Bottero præcedentem Cappellanum lata Sententia de anno 1755. in Judicatum prolapſa, in voto tamen fuit, quod Canonico utpote Patroni filio, & obſtricto ad reſidendum in Cathedrali Eccleſia Vercellenſi, Emi PP. petitam di-

ſpenſationem elargiri poſſint, dummodo oneri Miſſæ quotidianæ per alium Sacerdotem indeſinenter ſatisfaciat, reſcriptum proindè fuit ſub die 10. Martii 1770. = *Orator ſupplicet poſt latam definitivam Sententiam, & interim pro facultate ſatisfaciendi per alium ad ſex menſes juxta conſenſum Patronorum, & votum Archiepiſcopi.*

Adverſus Canonicum lata fuit Sententia juxta illam antecedenter, & de anno 1755. emiſſam contra præcedentem Cappellanum Bottero; Ab ea appellavit Canonicus, præſentavitque Commiſſionem in Sacræ Rotæ Auditorio directam R. P. D. Flangini. Antea verò alias Canonicus porrexerat preces Sacræ huic Congregationi poſtulans diſpenſationem à reſidentia ſimul, & Miſſarum reductionem, audito prius Archiepiſcopo ſuper deperditione Bonorum, & diminutione reddituum Cappellaniæ, fuitque proindè reſcriptum = *Archiepiſcopo pro Informatione, & Voto ſuper novis precibus, & referat de quantitate reddituum Beneficii, de ſingulis oneribus, & quod ſtipendium unicuique oneri tribui poſſit. In reliquis conſumata ultima judiciali inſtantia præfigatur terminus intereſſe habentibus ad jura ſua deducenda in Sacra Congregatione.*

His omnibus ſatisfecit hodiernus Archiepiſcopus, & ipſe quoque in voto fuit poſtulatam concedendi diſpenſationem à reſidentia, nec non eſſe Miſſarum onus reducendum, ejuſque reductionis modum expreſſit in ſua relatione, quæ à Canonico unà cum ſuorum jurium libello circumfertur, ſolemniterque emiſſa renunciatione Cauſæ promotæ in Sacra Rota, nunc ea ſuper utraque petitione proponitur.

Reductionem enim Miſſarum, imminutis redditibus Beneficii, ſeu Cappellaniæ fieri debere, conſtans eſt Sacri hujus Tribunalis Sententia, de qua *in Vigilien. Decanatus diei* 23. *Julii* 1729. *ad II. Dubium*, quod erat = *An ſit locus pro eodem Decano reductioni Oneris aſſiſtentiæ quotidianæ in Choro, ac Miſſæ itidem quotidianæ ex Inſtrumento Fundationis injuncti* ? = reſponſum fuit = *Ad ſecundum : pro reductione arbitrio Epiſcopi, & conſtito coram eodem de diminutione reddituum* =, *& in Papien. Reductionis Miſſarum* 2. *Martii* 1776. prodiit reſponſio = *Affirmativè juxta votum Archiepiſcopi Epiſcopi, & amplius.*

Quod

Quod verò pertinet ad reſidentiam, & ad Miſſarum celebrationem, præ oculis habendum eſt, hìc agi de Patrono à Fundatore deſcendente, & activum, ac paſſivum Cappellaniæ jus habente, & quoties Fundator nullam pœnam indixerit non reſidenti, videtur rem eſſe non de reſidentia *præciſa*, & incompatibili cum alio Beneficio reſidentiali, qua non ſervata, fit locus amiſſioni tituli, ac privationi ex firmatis per *Hojed. de incompatibil. Benefic. part.* 1. *cap.* 17. *num.* 34., *& Panimoll. deciſ.* 31. *annot.* 1. *num.* 4., *& ſeqq.*, ſed hìc agi de conditione reſidentiæ *cauſativæ*, quæ ad effectum percipiendi emolumentum aſſignatum Beneficiario reſidenti, quamlibet incompatibilitatem excludit, & Sacra Congregatio *in Ferrarien. Cappellaniæ* 26. *Martii* 1703. dubio propoſito = *An Cappellania, de qua agitur, ſit præcisè reſidentialis, ita ut ſit incompatibilis cum alio Beneficio reſidentiali, ſeu Parochia* = reſpondit = *Negativè* = ut *in lib. decret.* 53. *pag.* 73., & in alia *Ferrarien. Cappellaniæ* 26. *Martii* 1707., in qua diſceptato Dubio = *An Cappellania, de qua agitur ſit reſidentialis præcisè, aut cauſativè, ita ut Cappellanus non reſidens ſit illa privandus, vel potius diſtributionibus* = reſponſum fuit = *eſſe reſidentialem cauſativè tàntum* = ut *in lib.* 57. *Decr. pag.* 98.

Rursùs Sacram Congregationem, tum cum agitur de Patrono, ſæpiſſimè facultatem eidem conceſſiſſe per alium adimplendi Miſſarum onus, quod per ſe ipſum adimplere tenebatur, ut præſertim *in Romana Cappellaniæ* 29. *Auguſti* 1722., *in Januen. Cappellaniarum* 24. *Aprilis* 1736. *ad I., & II. Dubium, in Civitatis Caſtelli celebrationis Miſſarum* 4. *Auguſti ejuſdem anni* 1736., *& in Trivicana Cappellaniæ* 18. *Novembris* 1752.

A' Communitate, & Hominibus Loci Scalengiarum nihil hactenus habuimus. Supereſt modò, ut ab Eminentiis Veſtris gemina, quæ ſequuntur, Dubia definiantur.

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum in caſu &c.*

II. *An ſit locus diſpenſationi ab onere reſidentiæ in caſu &c.*

Seſſ. 23. cap. 1. de Reform., & Seſſ. 25. cap. 7. de Reform.

FANEN. In Terra Carticeti Fanenſis Diœceſis olim aderat Parochialis Eccleſia ſub invocatione SS. Petri, & Pauli, quæ anno 1747. collatis omnibus redditibus ejuſdem Parochialis Eccleſiæ, nec non ſubſidio tùm Communitatis dictæ Terræ, tùm Confraternitatum Sanctiſſimi Sacramenti, & S. Michaelis ejuſdem Terræ, tùm demum aſſignatis Bonis à pia diſpoſitione Sacerdotis Jacobi Fornaciari accedente Auctoritate Apoſtolica, erecta fuit in Collegiatam ſub titulo S. Mariæ de Miſericordia, & conſtituta fuit ex Archidiacono, qui eſſet prima Dignitas, & cui Animarum cura immineret, & ex ſex Canonicis uti in Apoſtolicis deſuper expeditis Litteris præſcriptum fuit.

Capitulares Leges efformarunt Canonici, & in illis plura onera Apoſtolicis Litteris adverſantia indixerunt Archidiacono præter exercitium Curæ Animarum. Hic ætate gravis, & Coadjutorem habens cum futura ſucceſſione cum amplius ferre non poſſet indicta onera utpotè à Litteris Apoſtolicis, & à diſpoſitione juris omninò devia, preces nomine etiam ſui Coadjutoris exhibuit huic Sacræ Congregationi humiliter poſtulans, ut pro ſuæ Conſcientiæ quiete definiatur ab Eminentiis Veſtris, an juſta ſint, vel injuſta nonnulla ex indictis oneribus, ſuper quibus quatuor compoſita fuerunt Dubia in calce deſcribenda.

At verò in Contradictores Archidiaconi ſeſe præbuerunt Canonici propugnantes onera, quibus fuit ille gravatus.

Animadvertit Archidiaconus in ſuo circumferendo Libello, injuſtum eſſe, quòd ipſe etiam uti Parochus celebret Miſſam pro Populo ſine eleemosyna, quæ eſt unà cum omnibus oneribus Parochialibus à Maſſa communi detrahenda, quoniam ſic legitur in Apoſtolicis Erectionis Collegiatæ Litteris = *quæ omnia detractis obligationibus Miſſarum, ac oneribus Parochialibus, & præfatæ Confraternitatis S. Michaelis, ſeu del Confalone nuncupatæ, nec non manutentione Sacriſtiæ, & unius Cappellani Curati ad biſcentum quinquaginta ſcuta monetæ Romanæ annuatim aſcendent, ut infra applicarentur, & appropriarentur* = & inferius, quòd de omnibus redditibus, & emolumentis quibuſcumque una tantùm conſtitueretur communis Maſſa Capitularis decem continens, relativè ad dicta reſidualia ſcuta 250., *æqua-*

les

les portiones , quarum quatuor Archidiacono , quælibet verò ex reliquis ſex portionibus præfatis cuilibet Canonico aſſignatæ remaneant . . . . , ita ut Archidiacono centum , quilibet verò Canonicus vigintiquinque ſcuta monetæ hujuſmodi plus , vèl minus juxta temporum , & pretiorum varietatem reſpective percipiantur .

Probat inſuper Archidiaconus teſtimonio Cancellarii Epiſcopalis , quòd inter expenſas detrahendas à cumulo redditumCollegiatæ Eccleſiæ = *viſono compreſe ancora tutte le Meſſe pro Populo aſcendenti al numero di ottantaquattro all' anno , ed altre tre Meſſe la Settimana , che ſanno il numero di* 156. *parimenti all' anno* = , urgetque propterea , eleemoſynam pro celebratione Miſſæ pro Populo tamquam avulſam ex redditibus Collegiatæ ſibi deberi , niſi Canonici recedere velint ab iis , quæ per Apoſtolicas Litteras , & per Fundationis legem conſtituta fuerunt , quòd improbat *Concil. Trident. Seſs.* 25. *cap .* 7. *de Reform.* , *Fagnan. in Cap. Conquerente num.* 24. *de Cleric. non reſid.* , *Monacel. Formul. Eccleſiaſt. in Supplem. ad tom.* 1. *num.* 241. , *& Ferrar. Bibliot. verb. Exequutor num.* 33. , *& ſeqq.* , & quidem ab anno , quo hujus gravaminis querimonia per ipſum ad hanc Sacram Congregationem delata fuit .

Rurſus injuſtum eſſe onus celebrandi Miſſam Conventualem cùm eleemoſyna ex Maſſa Capitulari detrahenda , quam à ſe celebranda non eſſe propugnat Archidiaconus , quia cùm hoc onus inhæreat Canonicis Divina Officia celebrantibus , & Choro , Eccleſiæque ſervitio incumbentibus , pro quibus Canonicales fructus percipiunt , illud ab ipſis Canonicis per Turnum implendum eſt nullo recepto ſtipendio juxta *Encyclicam San. Mem. Benedicti XIV.* , quæ incipit *Cum ſemper* , *Pignatell. tom.* 1. *Conſult.* 321. *num.* 1. *& ſeqq.* , *Urſay. tom.* 2. *part.* 1. *diſput.* 32. *num.* 7. , *& ſeq.* , *& Ferrar. verb. Canonicus art.* 5. *num.* 76. *& ſeq.* , nec rem mutare verba in Litteris Apoſtolicis expreſſa , nimirum = *detractis Obligationibus Miſſarum , & oneribus Parochialibus* = quia intelligenda non ſunt quoad Miſſam Conventualem, ſed dumtaxàt de iis Miſſarum oneribus , quæ tùm Parochiali Eccleſiæ , tùm Sodalitio S. Michaelis inerant , antequam eadem Paræcia in titulum Collegiatæ Eccleſiæ erigeretur ; proindeque poſtulat Archidiaconus , quòd Maſſa Capitularis reintegrari debeat de ſolutis , & ab ea

de-

detractis eleemosynis pro Conventualis Missæ celebratione à die, quo ab eo habitus fuit ad hanc Sacram Congregationem recursus.

Super his omnibus audito Fanensi Episcopo, is Archidiaconi favet petitionibus. A Canonicis nihil hactenus allatum est. Quatuor sunt definienda Dubia.

I. *An Archidiacono Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Carticeti debeatur eleemosyna ex Massa Communi pro celebratione Missæ pro Populo in casu &c.* = & quatenus affirmative.

II. *An, & à quo tempore debeatur eadem Eleemosyna in casu &c.*

III. *An quilibet ex Canonicis hebdomadariis teneatur celebrare Missam Conventualem absque ulla eleemosyna, seu potius hæc sit præstanda ex communi Massa in casu &c.* = & quatenus affirmative ad primam partem.

IV. *An, & à quo tempore reintegranda sit Massa communis pro Eleemosynis indebite perceptis in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 29. Aprilis 1780. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DIgnabuntur EE.VV. reaſſumere Folium *poſtremæ Congregationis* habitæ *die* 15. *labentis menſis Aprilis*, & Dubiis quatuor Cauſarum, quæ tunc proponi non potuerunt, & quæ nunc priori loco ſubiiciuntur, reſpondere.

ROMANA FRUCTUUM, in qua deliberandum eſt. *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

Quoad Beneficiatos, & Clericos Beneficiatos in deciſis; Quò verò ad Canonicos pro receſſu a deciſis.

VERCELLEN., cujus Dubium eſt. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo Capituli Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Conſtituto fundo pro duobus Anniverſariis, & duodecim Miſſis lectis, deveniendum eſſe per Emum Ordinarium ad erectionem Beneficii annui fructus taxandi; Ratam verò fructuum ſuperextantium erogandam eſſe in dotibus pariter ab eodem Ordinario taxandis.

TAU-

Seſs.25.cap.4. de Reform., & Seſs. 6. cap. 2. de Reform.

TAURINEN., cujus Dubia duo ſunt,

I. *An,& quomodo ſit locus reductioni Miſſarum in caſu &c.*

II. *An ſit locus diſpenſationi ab onere reſidentiæ in caſu &c.*

Ad I. negativè, & amplius; Ad II. affirmativè in caſu, de quo agitur, facto verbo cum SSmo.

Seſs.23. cap. 1. de Reform., & Seſs.25. cap. 7. de Reform.

FANEN., cujus quatuor ſunt Capita.

I. *An Archidiacono Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi Carticeti debeatur eleemoſyna ex Maſſa communi pro celebratione Miſſæ pro Populo in caſu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An, & à quo tempore debeatur eadem eleemoſyna in caſu &c.*

III. *An quilibet ex Canonicis hebdomadariis teneatur celebrare Miſſam Conventualem abſque ulla eleemoſyna, ſeù potius hæc ſit præſtanda ex communi Maſſa, in caſu &c.* = & quatenus affirmativè ad primam partem.

IV. *An, & à quo tempore reintegranda ſit Maſſa communis pro eleemoſynis indebitè perceptis in caſu &c.*

Ad I. affirmativè; Ad II. affirmativè a die motæ litis; Ad III. affirmativè ad primam partem compræhenſo per Turnum Archidiacono, negativè ad ſecundam; Ad IV. affirmativè a die motæ litis,

Seſs.14. cap. 7. de Reform.

TERMULARUM DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Tota hujus Cauſæ ſpecies, & rationum momenta latiſſimè narrata fueruut *in Folio Congregationis* habitæ *die* 28. *Auguſti ſuperioris anni* 1779., quod publici juris factum eſt *in Vol. XLVIII. Theſ. Reſol. Sac. Cong. Concil. pag.* 98., *& ſeqq.* Placuit Eminentiſſimis Patribus *in ſequenti Congregatione diei* 18. *Septembris dicti anni* reſcribere = *Dilata, & ſcribatur Eño Archiepiſcopo Beneventano juxta mentem* = ut *in eod. Vol.* 48. *Reſol. pag.* 110.; mens autem fuit, ut Eminentiſſimus Archiepiſcopus inquirere, ac referre Sacræ Congregatio-

ui

ni deberet, utrum inſtantiæ promotæ nomine Communitatis favore Sacerdotis Joannis de Alexandro Primicerii Cathedralis Eccleſiæ Termularum veritati nitantur, ſintque legitimæ, & an homicidium Nicolai Bevilacqua ex culpa potius Conſtantini Quici, quàm ex ictibus ab eodem Præsbytero de Alexandro inflictis evenerit.

Mandatis Sacræ Congregationis ſatisfecit Emus Archiepiſcopus poſtrema ſua Informatione, quæ unà cùm novis juribus circumfertur à Primicerio de Alexandro, qui etiam probat, ſe ad Sacrum Præsbyteratus Ordinem promotum fuiſſe conſtituto ſibi Patrimonio à Matre, & Materna adjecta lege illud reſtituendi in caſu, quo idem Primicerius de aliquo Beneficio Eccleſiaſtico proviſus fuiſſet, quemadmodum reapſe cùm is fuerit de Canonicatu, inde de Primiceriatu proviſus, dictum Patrimonium Sacrum ejus Matri, Materteræque reſtituit.

Contemporaneè ad preces, quas renovat Primicerius, ſuas etiam exhibet circumferendo Libello Univerſitas, & Populus Termularum, exoratque pro gratia Primicerio concedenda, ac probat teſtimonio Canonici d'Onofrio Cancellarii Epiſcopalis, perquiſitis Sacrarum Viſitationum Codicibus, repertum fuiſſe, eumdem Primicerium = *nella ſua gioventù hà eſercitato da Cancelliere, quindi fatto Canonico, e poi Primicerio in tempo degli Anteceſſori del preſente noſtro Monſignor Veſcovo fù eletto nel Sinodo Dioceſano da Monſignor Giannelli Eſaminatore Sinodale, e Conviſitatore, come pure in tempo di Monſignor Pitellia ave eſercitato da Pro-Vicario interino, ed anche da Segretario della Viſita ad Sacra Limina*.

Accedit Epiſtola Termularum Antiſtitis Eminentiſſimo Domino Card. hujus Sac. Congregationis Pro-Præfecto tranſmiſſa, in qua commendans doctrinam, probitatem, ac mores Primicerii, pro eo Diſpenſationis gratiam, & ipſe quoque poſtulat his verbis = *Sono perciò ad umiliare all' Eminenza Voſtra, che io non hò ricevuto ſinora motivi di lagnanze del Primicerio ſudetto, che mi aveſſero potuto indurre à non amarlo come figlio, e ſoſtegno del mio Gregne, e à non tenerlo in quel concetto, che meritano le ſue qualità; anzi il biſogno odierno di detta Chieſa per non aver ſogetti idonei; la mia età avanzata, che richiede Perſone capaci per potermene alleggerire il grave peſo, le premure del Pubblico, che deſidera di riavere nel ſuo luogo la Dignità ſudetta ſinora ſoſpeſa, e le qualità del ridetto Primicerio si per la morigeratezza, ed eſemplarità de coſtumi, che l' abilità di qualunque diſim-*

pegno di gravoſe cariche ſono li motivi, che m' inducano ad impetrare dall' E. V. la diſpenſa ſoſpirata. Non devo tacere, che il detto Primicerio in mano de miei Anteceſſori ave eſercitato cariche, che richiedevano dottrina, e probità, e l' ave con decoro diſimpegnate, come di Eſaminatore Sinodale, Conviſitatore, ed altri Officj, e perciò ſon ſicuro, che prima per gloria di Dio, indi per ſollievo di queſto Pubblico, ed in ultimo per ſoſtegno della mia età avanzata, ſi voglia degnare concedere allo ſteſſo la tanta ſoſpirata grazia.

Sacra Congregatio ad preces, & ad petitionem Epiſcopi diſpenſationem ab irregularitate favore Clerici promovendi conceſſit *in Guatimalana Irregularitatis* 22. *Martii* 1732., in qua propoſito Dubio = *An Orator ſit diſpenſandus ſuper contracta irregularitate in caſu &c.* = reſponſum fuit = *pro gratia*,

His itaque perpenſis, ac repetita lectione *Folii dictæ Congregationis diei* 28. *Auguſti* 1779. *in citato vol.* 48. *Theſ. Reſol. pag.* 98., *& ſeqq.* erit deliberandum.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

Prævio receſſu a deciſis, conſulendum eſſe SSmo pro diſpenſatione ab Irregularitate.

Reliquæ non propoſitæ.

Seſſ 25. cap. 11. de Reform.

BONONIEN. APERITIONIS ORIS, ET REINTEGRATIONIS. Hujus etiam Cauſæ ſpecies data fuit *in Folio Congregationis diei* 15. *Jan. proximè præteriti*, à quo repetenda eſt. Tria tunc fuerunt propoſita Dubia = *I. An intret arbitrium pro aperitione Oris in caſu &c.* = & quatenus affirmativè. *II. An conſtet de invaliditate ſuppreſſionis, itaut ſit danda manutentio, ſeu reintegratio quoad omnia in priſtinum ſtatum in caſu &c.* = & quatenus affirmativè. *III. An, & à quo tempore ſint reſtituendi fructus in caſu &c.* = quibus *in ſequenti Congregatione* habita *die* 19. *Februarii proximi præteriti* reſponſum fuit *Ad I. Negativè, Ad II., & III. Proviſum in primo*.

Reſolutio hæc, quam Confratres ſuppreſſæ Confraternitatis S. Catharinæ ſuccumbentes impugnant, ad trutinam hodiè revocatur, ideoque dignabuntur EE. VV. deliberare.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

FAVEN-

FAVENTINA MISSÆ CONVENTUALIS. Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Stephani Terræ Cotiniolæ Faventinæ Diœcesis antiquissimis temporibus componebatur ex Archipræsbytero cum onere Curæ Animarum, & ex tribus tantùm Canonicis, qui pro eorum respectivè Præbenda ex redditibus Archipræsbyteratus ad scuta biscentum ascendentibus annuatim percipiebant dumtaxat quatuordecim Corbes frumenti: Illorum onera tenuitati Præbendæ correspondebant; nam Canonici tenebantur solis festivis diebus canere Missam Conventualem, nec non celebrare respectivum Officium in primis, & secundis Vesperis, ac etiam singulas horas Canonicas per totam octavam Sanctissimi Corporis Christi. Hoc autem Chori servitium auctum subinde fuit ad recitationem etiam singularum Canonicarum horarum in omnibus festivitatibus, quæ majores illo in Oppido nuncupantur, nec non ad canendum toto quadragesimali tempore Completorium. *Sess.22. cap. 2. de Sacrif. Miss., & Sess.24.c.12. de Reform.*

Anno 1725. quarti Canonicatus institutio facta fuit vi Testamenti Sanctis Sylvestri Soleri, assignata Præbenda annuorum circiter scutorum triginta. Anno verò 1731. Canonicus Cæsar Gratiani condito Testamento ex asse sibi scripsit hæredem Capitulum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, adjecto onere canendi Missam votivam qualibet sexta feria cujusvis hebdomadæ, nec non Anniversarium, & duodecim Missas lectas infra annum celebrandi.

Ac demùm anno 1740. Antonius Zarabini in ejus ultimo elogio de omnibus suis Bonis, quæ valoris erant scutorum viginti millium, & ultra, hæredem instituit Massam Communem canonicè erigendam, aggregandamque Capitnlo dictæ Collegiatæ Ecclesiæ: Voluit Testator, quòd hæc communis Massa constitueretur ex octo Præsbyteris ejusdem Terræ Cotiniolæ assumentibus Canonicorum, sive Mansionariorum titulum, ac jussit, Præbendam uniuscujusque Presbyteri esse debere annuorum scutorum quatuordecim ex ejus Bonorum redditibus sumendorum, residuum verò eorumdem redditnum erogari jussit in quotidianas distributiones, quarum participes voluit etiam Archipræsbyterum, & Canonicos antiquæ Erectionis. Anno 1745. hanc Massam communem erexit Episcopus juxta voluntatem Testatoris, & ex octo Præsbyteris quatuor Canonicatus, totidemque Mansionarias instituit; Onera quoque adjecit, & præ cæteris illud indixit integro Capitulo, incumbendi scilicet

licet quotidiano Chori ſervitio, nec non quotidiè canendi Miſſam per Turnum in expiationem Animæ Zarabini Fundatoris, ut ipſe præſcripſerat, ac demùm coficiendi novas Capitulares Conſtitutiones ab eodem Epiſcopo approbandas.

Onus quotidie celebrandi Miſſam Conventualem cum applicatione pro Fundatore Zarabino implevit Capitulum, prætermiſit tamen alteram pro Benefactoribus in genere juxta Encyclicam ſa. mem. Benedicti XIV., quæ incipit *cum ſemper oblatas* = putans illam pro Zarabino ſufficere, nullumque alium in Benefactorem agnoſcere, præter Zarabinum. Hunc errorem detexit Epiſcopus in examinandis Capitularibus Conſtitutionibus, in quibus nulla mentio facta fuerat de celebranda Miſſa Conventuali pro Benefactoribus in genere, conſuluitque Canonicis, ut recurſum haberent ad hanc Sacram Congregationem pro reductione hujus Miſſæ Conventualis ad dies feſtos tantùm de præcepto, attenta tenuitate reddituum;

Preces itaque porrexerunt Canonici huic Supremo Tribunali poſtulantes abſolutionem quoad præteritum, quò verò ad futurum pro dictæ Miſſæ reductione, nec non ut declaretur, an omnes Canonici tam antiquæ, quàm novæ Erectionis teneantur per Turnum ad celebrationem Miſſæ Conventualis, & à qua Maſſa detrahenda ſit illius eleemoſyna.

Epiſcopus pro informatione, & Voto requiſitus confirmat ea omnia, quæ fuerunt in Canonicorum precibus expoſita, ſuumque ſenſum aperuit pro concedenda Canonicis tùm abſolutione à prætermiſſa celebratione Miſſæ Conventualis cum applicatione pro Benefactoribus in genere quoad præteritum, ſpectata illorum bona fide, & ignorantia Benedictinæ Conſtitutionis, tum ejuſdem Miſſæ reductione ad dies feſtos de præcepto tàntum, attenta exiguitate reddituum, aliaque retulit in ejus Informatione, quæ à Canonicis antiquæ, & novæ Erectionis, quos inter lis viget, unà cum eorum reſpectivis juribus circumfertur.

Præoculis tamen habendum eſt, ad celebrationem Miſſæ Conventualis cum applicatione pro Benefactoribus in genere tamquam inhærentem univerſo Canonicorum Cætui teneri per Turnum omnes Canonicos cujuſvis ſint illi Erectionis, nullo recepto ſtipendio juxta Encyclicam ſa. mem. Benedicti XIV. incipientem *cum ſemper*, fir-

firmantque *Pignatell. tom.* 1. *Consult.* 321. *num.* 1., & *seqq.*, *Ursay. tom.*2. *part.*1. *disput.*32. *num.*7., & *seqq.*, & *Rota in Firmana Eleemosynæ Missæ Conventualis* 12. *Februarii* 1751. §. 5. *cor. bo. mem. Amadeo*.

Ponderandum pariter est, tres antiquos Canonicos, excepto Archipræsbytero, annuos habere redditus ab omnibus oneribus exemptos in summa scutorum quadraginta novem: Canonicum verò Solieri annuam summam scutorum sexaginta quinque: Cæteros autem Canonicos, & Mansionarios Zarabini habere redditus, demptis oneribus, annuorum scutorum triginta novem. An itaque hi redditus pares sint, ut Canonici præter Missam Conventualem quotidie celebrandam pro Zarabino fundatore, teneantur etiam quotidiè celebrare Missam Conventualem cum applicatione pro Benefactoribus in genere, vel istius onus reducendum sit ad dies tantum festos de præcepto, quatenus dicti redditus impares cognoscantur, munus erit Eminentissimorum Patruum id definire sub infrascriptis Dubiis totam Canonicorum quæstionem complectentibus.

I. *An ad celebrationem, & applicationem Missæ Conventualis teneantur tam Archipræsbyter, & Canonici antiqui, quàm Canonici, & Mansionarii novæ Erectionis Zarabinæ in casu &c.* = & quatenus affirmative quoad omnes.

II. *An, & ex qua Massa, & pro qua rata sit desumenda eleemosyna dictæ Missæ in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit locus reductioni ejusdem Missæ in casu &c.*

IV. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad easdem Missas in præteritum non applicatas in casu &c.*

CIVITATIS CASTELLANÆ ELEEMOSYNÆ MISSARUM, Joseph Ciambella de Terra Vineanelli Civitatis Castellanæ Diæcesis in ejus postremis, sub quibus anno 1733. decessit, Tabulis disponere volens de scutis tercentum, quæ ipse sibi reservaverat in actu universalis donationis per eum initæ favore filii Gregorii, filiæque Hieronymæ nupti traditæ Simoni Florentini, Lega- *Sess. 22. Decr. de Observ., & evit. in Celebr. Miss.*

Legati titulo reliquit Uxori ſuæ ſcuta centum: In reliquis verò ſcutis biſcentum hæredem inſtituit = *Un opera, ò Legato pio, cioè, che ſeguita la mia morte, li miei Donatarii debbino aſſegnare per queſt'Opera, ò Legato li ſudetti ſcudi duecento in tanti Cenſi attivi, e dal fruttato dì eſſi debbano celebrarſi tante Meſſe baſſe alla ragione di giuli due per Meſſa in perpetuo per ſuffragio dell'Anima mia, e remiſſione de miei peccati nell'Altare della Madonna SSma della Preſentazione dell'inſigne Collegiata di queſta Terra di Vignanello, e per l'effetto ſudetto ſubito ſeguita la mia morte debba la ſudetta Girolama mia figlia nominare un Cappellano à ſua requiſizione, ed amovibile* = Jus autem nominandi Cappellanum reliquit eidem Hieronymæ, ejuſque Deſcendentibus in infinitum, ſubditque = *volendo, & ordinando, che queſto ſia un mero ſemplice legato Laicale, ne mai in alcun tempo poſſa metterci mano ne Monſignor Veſcovo, ne la Rev. Fabrica, ne altra Perſona Privilegiatiſſima, e non altrimenti &c.*

Sequuto Teſtatoris obitu, fuerunt pro hujus pii Operis aſſignati tot Cenſus in ſorte ſcutorum biſcentum, annuique redditus ſcutorum quatuordecim. Neglexit Hieronyma Teſtatoris filia, neglexitque pariter Joannes Florentini Hieronymæ filius Cappellanum à Teſtatore volitum nominare pro præſcriptarum Miſſarum adimplemento, ſed ipſi ſolummodo ab obitu ipſius Teſtatoris integros Legati fructus percipientes celebrare fecerunt anno quolibet à pluribus, diverſiſque Præsbyteris Miſſas tantùm ſexaginta, ſoluta eleemoſyna unius tantùm julii pro qualibet, julio altero penes ſe retento.

Hos inter Præsbyteros, qui Miſſas celebrarunt, recepta eleemosyna julii unius, fuit Sacerdos Eutitius Ciambella, qui cum detexiſſet eleemosynæ retentionem à Patrono factam, ſupplicavit hanc Sacram Congregationem pro definitione, an Orator, aliique Præsbyteri, qui Miſſas cum eleemosyna unius tàntum julii celebrarunt, integram petere valeant elemosynam juliorum duorum à Teſtatore pro qualibet Miſſa præfinitam.

Epiſcopus narrata confirmans retulit, quòd = *auditus à me Joannes Florentini reſpondit, quod ſe licitè geſſiſſe cenſet, eo quia Clericus conjugatus eſt, prout talis etiam erat Simon ejus Pater, & quia ſupradictum Miſſarum onus continuò, & integraliter adimpletum pro tempore, quo nonnulli ex præfatis Cenſibus extincti reperiebantur, & rata Capitalis otioſa, & infructifera, quæ reſponſio minus*

Apta,

apta, immo prorsus inefficax mihi videtur post satis claram super hac re definitionem san. mem. Benedicti XIV. in ejus Apostolica Constitutione, quæ incipit = Quanta cura = Quare mihi videtur, quod præfatus Florentini Conscientiæ suæ providere debeat, restituendo quidquid sibi de fructibus prædictorum Censuum pro Missarum celebratione integraliter relictorum detinuit annuatim ad effectum erogandi, vel in celebratione Missarum, vel in aliis piis Operibus, prout altiori EE. VV. judicio visum fuerit.

Et revera Patronum committentem Missarum celebrationem non posse sibi retinere partem eleemosynæ, quam celebranti dandam præscripserat Testator, firmarunt Canonistæ, & præsertim latè *Amostaz. de Caus. piis lib. 2. cap. 4. n. 27., & seqq., & Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom. 2. quæst. 968. cum plur. seqq.*

Ad rem, de qua agitur, quod sequitur, ob oculos habendum est.

Inter Decreta generalia hujus Sacræ Congregationis edita *anno* 1625., & approbata à san. mem. Urbano VIII. *in Constitut.* 43. *Bullar. tom.* 4., ac recentius quoque à san. mem. Innocentio XII. *ad X. Dubium* his verbis conceptum = *An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt, an verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam* = responsum fuit = *Debere absolutè integram eleemosynam tradere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

Item cùm *in Romana Eleemosynæ diei* 23. *Augusti* 1664. quæsitum fuisset; An id locum haberet etiam, quando Sacerdos, cui Missæ celebratio cùm minori eleemosyna commissa est, non ignorat, majorem primo Sacerdoti tributam fuisse, & nihilominus ipse contentus est minori, Sacra Congregatio censuit, in hoc etiam casu locum habère præmissum Decretum anni 1625., ut *in lib.* 24. *decr. pag.* 246.

Rursus in Causa *Romana Retentionis eleemosynæ Missarum* 21. *Februarii* 1688. cùm propositum fuisset Dubium = *An Sacerdos sic electus à Patre Rectore possit dare alteri Sacerdoti, ad hoc ut celebret dictas Missas in dicta Ecclesia S. Gregorii juxta eleemosynam currentem, retento sibi eo, quod supereſt* = Sacra Congregatio respondit = *Negativè* = ut *in lib.* 38. *Decret. pag.* 90.

Ac demùm *in Romana Eleemosynæ Missarum* cùm propositum

tum fuiſſet Dubium = *An Eleemoſyna pro Miſſis celebrandis juxta diſpoſitionem Gaſparis Probſtat ſit ſolvenda ad rationem manualis, itaut liceat Archiconfraternitati unum Julium pro ſingulis Miſſis ſibi retinere* = Sacra Congregatio *die* 16. *Junii* 1731. reſcripſit = *Negativè, ſolutis tamen utenſilibus, & amplius.*

Videndum igitur erit, quatenus Patronus hujus pii Operis reſtituere deberet, quod ſibi retinuit ex eleemoſyna celebratarum Miſſarum, an ſit adjudicandum Præsbyteris cùm minori ſtipendio celebrantibus, ſeù potius erogandum in aliarum Miſſarum celebrationem, vel in alia pia Opera, ut ſentit Epiſcopus in ſua Relatione.

Atque hinc ponderandum eſt, quòd quamvis licitum Sacerdoti ſit pecuniam recipere pro Miſſa, illam tamen recipit non quaſi pretium Miſſæ, ſed in cauſam ſuæ ſuſtentationis juxta Doctrinam *Divi Thomæ Secunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 2. *ad ſecundum* ibi = *Sacerdos non accipit pecuniam quaſi pretium Conſecrationis Euchariſtiæ, aut Miſſæ decantandæ, hoc enim eſſet ſimoniacum, ſed quaſi ſtipendium ſuæ ſubſtentationis* = & rursùs *in quartum Sentent. diſt.* 25. *quæſt.* 3 *art.* 2., *quæſtiuncula* 1. *ad quartum*, & id ipſum proſequuntur Theologi recentiores *Card. de Lugo de Sacram. Euchariſtiæ diſc.* 22. *ſect.* 1. *num* 13., *Paſqualig. de Sac. nov. legis quæſt.* 903. *num* 5., & *Maurus in Theolog. tom.* 3. *lib.* 12. *quæſt.* 218. *num.* 4.

Quamobrem ſi res eſt de ſtipendio jàm recepto, ſi eo contentus fuit Sacerdos, & ſi illud jàm ceſſit in ejuſdem Sacerdotis ſuſtentationem, quid definiendum ſit in hoc caſu pertinet ad EE. VV.

A Joanne Fiorentini Patrono, qui in contradictorem Oratoris ſe præbuit, nihil habuimus. Quæritur.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Seſſ. 23. *cap.* 5. *De Euchariſt.*

SABINEN. ONERIS. Aſtulphus Galloppi Altare majus dicatum B. M Virgini Lauretanæ marmoribus decenter ornatum à fundamentis extruxit in Eccleſia Patrum Minorum Conventualium S. Franciſci Terræ Tarani in Sabinis juxta conceſſionem ſitus à dictis Patribus eidem

Aſtul-

Aſtulpho factam anno 1697. Duo fuerunt pacta moxdictam conceſſionem concomitantia, nimirum primum Patres concedentes reſpiciens ſic habet = *Che in detto Altare in perpetuo vi debba ſtare il Tabernacolo del SSmo Sagramento, ed in eſſo li Padri di detto Convento poſſino communicare, e farvi tutte le funzioni, che li pareranno* = Alterumque ad Galluppium pertinens ſequens eſt = *che ſia lecito al detto Signor Galloppi, e ſuoi avanti l'Altare tenervi la Lampade, e farvi la Sepoltura.*

Conſtructo Altari, Galluppius, quatenus vivens illud non dotaviſſet, ex Teſtamento eidem Legati, & Dotis titulo reliquit Poſſeſſionem ſuam in Voçabulo *il Cagnano*, onere Patribus indicto manutenendi Lampadem accenſam ante dictum Altare, nec non tria celebrandi Sacra menſe quolibet in perpetuum.

Defuncto Teſtatore anno 1713., illius Vidua Agatha Baldoſi uti Mater, Tutrix, & Curatrix teſtamentaria Caroli, & Raymundi Galloppi ejus, ac prædefuncti Viri filiorum eodem anno 1713. tradidit Patribus antedictam Poſſeſſionem *il Cagnano*, promiſitque, quotannis, & in perpetuum tradere Patribus menſuram Olei, quæ in dicta Terra Tarani nuncupatur *un cugno d' oglio* pro ſupradictæ Lampadis manutentione, & in correſpectivitatem hujus traditionis Prædii, & promiſſionis Olei Patres ſeſe obſtrinxerunt, omnia in Legato, ac dote contenta adimplere, & exequi.

Ex dictis Aſtulphi filiis ultimus fuit Raymundus, qui hæredem inſtituit Uxorem ſuam Thereſiam Catenacci. Hæc deficiens in annua Olei præſtatione judicialiter à Patribus conventa fuit coram A. C., qui anno 1772. ſuam protulit Sententiam favore Patrum ſuper manutentione in poſſeſſione juris exigendi annuam præſtationem Olei pro manutentione Lampadis ante Altare majus Familiæ Galloppi ſitum in illorum Eccleſia. Huic liti favore Patrum renunciavit Thereſia, Oleique quantitatem uſque tunc non præſtitam Patribus conſignavit.

Animadvertens modò Thereſia, quòd Patres propriam dumtaxat accenſam retineant Lampadem ante AUGUSTISSIMUM EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM, quod poſuerant in Tabernaculo ſui Altaris, ea penitus neglecta Lampade, quam iidem Patres vi obligationis contractæ cum Aſtulpho Galloppi, ejuſque filiis accenſam retinere debent ante Altare majus tamquam dicatum Beatæ Mariæ Virgini Lauretanæ, preces proinde por-

rexit huic Sacræ Congregationi poſtulans, ut compellantur Patres ad alteram retinendam accenſam Lampadem ante dictum Altare præter illam, quam iidem propriis ſumptibus manutenere debent ante *Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum* in eodem Altari poſitum, nec non ut reſtituant eam Olei quantitatem, quam a die obitus Teſtatoris, ab anno ſcilicet 1713. uſque ad hodierna tempora perceperunt abſque Lampadis accenſione, ad hoc ut per totidem annos in futurum decurrendos tertia retineatur accenſa Lampas ante dictum Altare.

Eminentiſſimus Cardinalis Sabinenſis Epiſcopus retulit, quæ ſupra narrata fuerunt, ab ejus tamen voto ferendo ſe abſtinuit, ſolummodo putans *dictam inſtantiam remittendam eſſe ad Judicem, coram quo*.

Jura erunt ab utraque Parte circumferenda, quibus perpenſis, dignabuntur EE. VV. decernere.

I. *An Patres Minores Conventuales Terræ Tarani præter Lampadem accenſam ab ipſis retinendam ante Auguſtiſſimum Sacramentum, teneantur aliam Lampadem accenſam retinere pro adimplemento oneris ab ipſis aſſumpti in executionem Legati pii, de quo agitur in caſu &c.* = & quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo ſit providendum pro præterito in caſu &c.*

Die

Die Sabbati 3. Junii 1780. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

SUperſunt *ex Folio ultimæ Congregationis*, quæ habita fuit *die* 29. *tranſacti menſis Aprilis*, quatuor, quas ordine ſuo damus, Cauſæ, cum proponi non potuerint: Rogatos itaque volumus Ampliſſimos Patres, ut ad eas definiendas *idem Folium* iterum conſulant.

BONONIEN. APERITIONIS ORIS, ET REINTEGRATIONIS, qua quæritur. *Seſſ.25.cap.11. de Reform.*

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

In Deciſis, & amplius;

FAVENTINA MISSÆ CONVENTUALIS, cujus quatuor ſunt Capita. *Seſſ. 22. cap. 2. de Sacrif. Miſſ.; & Seſſ.24.c.12 de Reform.*

I. *An ad celebrationem, & applicationem Miſſæ Conventualis teneantur tàm Archipræsbyter, & Canonici antiqui, quàm Canonici, & Manſionarii novæ Erectionis Zarabinæ in caſu &c.* = & quatenus affirmativè quoad omnes.

II. *An, & ex qua Maſſa, & pro qua rata ſit deſumenda eleemosyna dictæ Miſſæ in caſu &c.*

III. *An, & quomodo ſit locus reductioni ejuſdem Miſſæ in caſu &c.*

IV. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro abſolutione quoad eaſdem Miſſas in præteritum non applicatas in caſu &c.*

I. Adaffirmativè quoad omnes teneri per turnum, & amplius, & ad mentem: Ad II. Affirmativè ex maſſa communi Zabarina ad ratam eleemoſynę manualis; Ad III. iterum proponatur; ad IV. affirmativè facto verbo cum SSmo.

Sess. 22. Decr. de obser., & evit. in celebr. Miss.

CIVITATIS CASTELLANÆ ELEEMOSYNÆ MISSARUM, cujus unum Caput est.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmativè quoad Oratorem, & ad mentem, & mens est, quod Episcopus inquirat a Florentinis an hæredes celebrare fecerint annuatim Missas 70., & cogat hæredes eosdem nominare Cappellanum ad formam Testamenti Fundatoris.

Sess. 23. cap. 5. de Eucharist.

SABINEN. ONERIS, in qua duo disputantur Dubia.

I. *An Patres Minores Conventuales Terræ Tarani præter Lampadem accensam ab ipsis retinendam ante Augustissimum Sacramentum, teneantur aliam Lampadem accensam retinere pro adimplemento oneris ab ipsis assumpti in executionem Legatii pii, de quo agitur in casu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo sit providendum pro præterito in casu &c.*

Ad I. non teneri PP. Conventuales retinere duas Lampades accensas; Ad II. provisum in primo.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

BRUNEN. Quamvis, nt se abstineant diebus festis ab omni illicito, & servili opere Christifidelibus imperet Sacrosancta Mater Ecclesia *Decretal. tot. tit. de Feriis*, eorumque inviolabilem observantiam sub gravibus etiam pœnis exigant Apostolicæ Constitutiones; Nihilominus Summi Pontifices ad occurrendum egestati, & necessitati pauperum fidelium, qui ex sudore vultus, & labore manuum victum sibi quærunt, ac comedunt, indulserunt, quòd iidem, firma, & integra manente obligatione præcepti omnibus diebus Dominicis, aliisque principalioribus anni festis, aliis in festivis diebus, audito Sacro, laboriosis suarum artium exercitationibus, & servilibus operibus sine ullo prorsus Conscientiæ scrupulo, & absque salutis æternæ dispendio vacare possint:

possint : Ita san. mem. Benedictus XIII. per suas Litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas incipien. *superabundavimus gaudio* sub datum *diei* 22. *Maii* 1728. mandavit Archiepiscopo Tarraconensi, & Coepiscopis in Concilio Provinciali congregatis : Ita quoque san. mem. Benedictus XIV. per Litteras Apostolicas etiam in forma Brevis, cujus est initium = *Cum sicut etiam sunt* = sub datum *diei* 3. *Septembris* 1742. elargitus est Episcopo Calaguritano, subindeque hanc ipsam facultatem concessit Christifidelibus per totam fere Germaniam existentibus; Prędecessorum vestigia sequens san. mem. Clemens XIV. nedum præfatam facultatem confirmavit, sed etiam adauxit in Germania, dùm per Apostolicas Litteras expeditas in forma Brevis incipientis *Paternæ Charitati* = voluit justis de causis ibidem expressis, Christifideles artium exercitio incumbentes ab obligatione quoque audiendi Missam, sicuti præceperat Benedictus XIV. diebus festis, in quibus permissa fuerant opera servilia, in posterum absolutos esse, ac liberatos. Jussit tamen = *Sanctorum, & Solemnitatum officia, & Missas tàm in iisdem abrogatis festis, quàm in eorum Vigiliis retineri, & sicut prius in quacumque Ecclesia celebrari.*

Quo posito, dubitat nunc Episcopus Brunensis in Moravia, nùm iis quoque diebus, qui ab Ecclesia, ut prius celebrantur, liceat publicare Matrimoniorum denunciationes itaut per eas illis diebus factas adimpleta sit Tridentini mens, & præceptum. Is enim putat, illas fieri valide posse, ea ratione ductus, quia eademmet ipsa Populi frequentia, & multitudo, quæ iis diebus ad Ecclesias prius accedebat, hodie quoque convenit.

Episcopi preces pro dicti dubii definitione porrectæ huic Sacræ Congregationi commissæ fuerunt Eminentissimo Domino Cardinali De Zelada, ut rem perpenderet, & suam proferret Sententiam. Ipse verò à ferendo voto abstinuit, censuitque, in re tanti momenti non nisi ex Sententia Sacræ Congregationis, aut ex oraculo Summi Pontificis esse Episcopo respondendum.

Sententia itaque exquiritur Eminentissimorum Patrum; Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* præcepit, quòd = *antequam Matrimonium contrahatur ter à proprio Contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum, quibus denunciationibus factis, si nullum legi-*

ti-

timum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur = Hujus Conciliaris dispositionis publicandi denunciationes *tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia* non alius fuit finis, nisi ut, cum ad ea major accedat Populi multitudo, facilius, & securius detegantur impedimenta, si quæ adessent inter Contrahentes, *Pirhing. Jus Canonic. lib.* 4. *tit.* 3. *n.*28., *Reiffenst. ibidem num.*6., *& Picler. ibid. n.* 4.

Videtur igitur denunciationes iis diebus fieri validè posse, nedùm quia in Ecclesiis, ut refert Brunensis Antistes, idem accedit Populi concursus, sed etiam quia ii dies, cum Clemens XIV. præceperit, in ipsis Officia, & Solemnia ut antea celebrari, non desinant festi esse quoad Ecclesiam, quamvis pauperes servilia exercentes fuerint ab eorum præcepto soluti, quemadmodum etiam ex communi Canonistarum, & Theologorum Sententia, legitima intercedente Causa, diebus festis permittitur servilium operum exercitium, ut generaliter ex causa necessitatis tradit *Textus in cap. Conquestus* 5. *vers. Quibus utique de Feriis*, *Sanchez cons. Moral. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 19. *num.* 1., & *per tot.*, *Cabasut. Jur. Canon. Theor.*, & *Prax. lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 3., & ex causa pietatis docet pariter idem *Textus in cap. Conquestus*, ibique *Glossa in verb. Pietas*, *Krimer. in lib.* 2. *Decretal. tit.* 9. *num.* 837. *vers. Ubi tamen*, *Anaclet. Theolog. Moral. tract.* 10. *distinct.* 1. *quæst.* 3 *num.* 27. *vers. Pietas*, ac in casu Piscationis, pro qua necessitas urget, loquitur *Text. in cap. Licet* 3. *de Feriis*, quem sequuntur, & explicant *Suarez. de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.*23. *num.*6., *Anaclet. ubi supra num.* 34. *versic. Unde ob paritatem rationis*: Ac demum ubi accedat ratio pietatis rectè advertit *Lastr. in Decretal tom.* 3. *recollect. super tit.* 9. *de Feriis num.* 1. *versic. Unde etiam*, *& n.* 5., *Suarez loc. proxime citato d. n.* 6. *vers. Quæ concessio*, & *n.* 8.

Perpendendum erit insuper, quomodo denunciationes fieri debeant casu, quo deficiat iis diebus vel minuatur Populi frequentia in Ecclesiis. Licet enim nonnulli Doctores putaverint, ea Concilii verba, nimirum Matrimonium *tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur* = ita esse in sensu *taxativo* intelligenda, ut præteriri nulla ratione possint, ut videre est apud *P. Ferraris verb. Denunciationes Matrimonii in addit. ex aliena manu num.*9., & 10., cui acce-

accedunt alii, quos refert *Riccius in praxi for. Eccleſ. reſolut.* 235. *num.*3.

Contraria tamen ſententia videtur amplexa à majori Doctorum numero, qui contendunt, Denunciationes, quæ de ſubſtantia Matrimonii non ſunt, ut docet cum aliis *Barboſ. ad Concil. Trid. Seſſ.* 24. *cap.*1. *de Refor. Matrim. num.* 28., fieri valide poſſe tam diebus feſtivis, quàm feriatis, tam in Eccleſia, quàm extra, tam demum inter Miſſarum ſolemnia, quàm in Concionibus, Proceſſionibus, Litaniis, aliiſque publicis ſupplicationibus, in quibus ingens adeſſe ſolet Populi concurſus, ea ratione, quia pro detegendis impedimentis ſatis eſt, quòd denunciationes fiant adſtante Populo quocumque tempore, loco, & modo congregato, ut finis Conciliaris legis dicatur adimpletus *Barboſ. ad Concil. Trident. cit. Seſſ.*24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim. num.*23., & 24., *Reiffenſt. Jus Canon. lib.*4. *tit.* 3. *num.*7., *ibique Perhing. num.*28. *Engel. num.* 4., *Monacell. Formular. For. Eccleſiaſt. tom.*1. *tit.*8. *Formul.*6. *in adnot. num.*1., & *Sanchez de Matrim. tom.*1. *lib.*3. *diſput.*6. *num.*9. & 10., ubi aliam addit rationem, quia cum Matrimonia contrahi licite poſſint extra Eccleſiam, ita etiam denunciationes publicari valent.

Sacra Congregatio *in Avenionen. diei* 25. *Octobris* 1586. definivit, Archiepiſcopum ex cauſa diſpenſare poſſe, ut, dum canitur Veſper, fiant Denunciationes; nam Dubio, quod erat = *An Ordinarius poſſit ex cauſa diſpenſare, ut, dum cantatur Veſper, poſſint fieri Denunciationes diebus tamen feſtivis* = reſponſum fuit = *Ita diſpenſare poſſe ex cauſa* = *Lib.*4. *Decret. pag.*189.

Quæritur.

An, ubi, quando, & quibus diebus ſint publicandæ Denunciationes Matrimoniorum in caſu, de quo agitur.

Non propoſita cum ſequentibus.

AQUILANA. In ultimo, cum quo de anno 1612. Marius Ciuffetelli Civitatis Aquilæ deceſſit, teſtamento, inſtituta hærede Paſcha ejus Matre voluit, quòd poſt ejus obitum = *tutta l'Eredità, che avanzarà di eſſo Te-* *Seſſ.*21. *cap.* 7. *de Reform.*

Teſtatore, vada alla Compagnia di S. Siſto =, quæ erecta erat in Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis ab Angelo Annunciatę. Onus adjecit Procuratoribus, & Syndico dicti Sodalitii, quòd *delli Beni, ed Eredità di eſſo Teſtatore, che avanzerà à detta Paſqua ſua Madre, & Erede, ne debbano fare un annua entrata di ogni futuro tempo, & in perpetuum da reſtare per maritare Orfane, e vuole, che ad ogni Orfana ſi dia, e debba dare per Dote venticinque Ducati, ed ogn'anno ſi mariti di dette entrate una Orfana nella Feſta della Nunziata, ed il reſtante (ſe ſarà più l'entrata) ſia di d. Compagnia di S. Siſto.*

Sequenti anno 1613. eadem Paſcha hæres Marii filii ſui, publico ſtipulato Inſtrumento tradidit Procuratoribus, & Syndico ſupradicti Sodalitii ſummam Ducatorum ſexcentum ſeptuaginta pro omni, & toto eo, quod iidem poſt ipſius obitum ſuper hæreditate Marii prætendere poſſent, adjecta lege, ut tradita ſumma juxta ſui filii diſpoſitionem erogaretur in emptionem annuorum reddituum pro Orphana Puella dotanda, quemadmodum eo ipſo die, & anno 1613. Procuratores, & Syndicus Sodalitii cum tradita ſumma Ducatorum 670. emerunt à Fabio Cappa Sortem Cenſus annui redditus Ducatorum triginta trium, & granorum quinquaginta debiti ab Univerſitate Oppidi Foſſæ ejuſdem Aquilanæ Diæceſis.

Hoc expleto, ſolliciti fuerunt Procuratores, & Syndicus ſæpedicti Sodalitii exequi piam defuncti Marii voluntatem dotem viginti quinque Ducatorum tradendo Puellę orphanæ, idque ſervatum eſt ad annum uſque 1719., quo tempore cum Univerſitas debitrix à ſolutione fructuum Cenſus ceſſaverit, fuit etiam intermiſſa dotatio. Et quamvis Univerſitas, ut ejus debitum ſolveret, eo anno in Judicium vocata fuiſſet, lis tamen non prius abſolvi potuit, quàm anno 1771., quo tempore Judex decrevit, Univerſitatem teneri ad ſolutionem annuorum cenſualium fructuum ad rationem dumtaxat Ducatorum viginti trium, & aſſium quinquaginta, quanti ſuperſunt ex prædictis Ducatis triginta tribus, & granis quinquaginta, demptis ſcilicet ex his pro quodam onere, quod *bonatenentiæ* vocatur, annuis Ducatis novem, aſſibuſque ſexaginta.

Vi hujus Decreti Univerſitas pro tempore præterito ſolvit ſummam Ducatorum biſcentum octoginta ſex, & aſſium octoginta duorum, ſummam quæ pro rata Ducatorum biſcentum triginta ſex inſumpta, fuit in actæ litis expenſis,

sis, reliqua verò Ducata quinquaginta, & asses octoginta duo unà cum aliis Ducatis centum sexaginta septem, assibusque triginta pro annualitatibus impositerum decursis ab anno scilicet 1771. ad annum 1778., & sic in totum Ducata biscentum octodecim cum assibus duodecim adhuc existunt depositа.

Syndicus Sodalitii nunc est Carolus Rustici, qui agnoscens, in dicta Ecclesia B. M. V. Annunciatæ Sacra, & divina Officia celebrari amplius non posse, quia ruinam minatur, nec etiam uti Sacris Suppellectilibus, quippe quæ prorsus attrita sunt, nec ullam adesse spem restaurandi Ecclesiam, renovandique Sacra Suppellectilia, attenta maxima, qua tùm Ecclesia, tùm Sodalitium premuntur, paupertate, preces idem exhibuit Sanctissimo Domino Nostro, postulavitque absolutionem, quam obtinuit, favore Sodalitii, ejusque Officialium, & Syndicorum ab hactenus prætermissa collatione subsidii Dotalis Ciuffetelli, nec non petiit suspensionem ejusdem collationis Dotis per annos vigintiquinque ad effectum omnes Ciuffetelli redditus unà cum illis in depositum existentibus in prædicta summa Ducatorum 218., & assium 12. erogandi in reparationem Ecclesiæ, necessariamque Sacrarum Suppellectilium renovationem.

Ablegatis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus de more fuit Aquilanus Antistes, qui fuit etiam requisitus ut referret *an aliquis obligatus sit contribuere pro restauratione Ecclesiæ, & pro Sacris Utensilibus.*

Episcopus confirmavit ea, quæ Rusticus narravit in precibus, & quæ supra relata sunt; Addit, neminem esse, *qui teneatur ad restaurationem Ecclesiæ, eique Suppellectiles procurandos, vel reficiendos, cum id oneris fuerit semper Confraternitatis ex eleemosynis Confratrum, aliorumque Benefactorum, vel ære alieno contracto, quoniam annuus introitus ejusdem Confraternitatis, quemadmodum legitimis attestationibus mihi demonstratum fuit, non egreditur summam ducatorum septuaginta trium, cum contra exitus pro solis oneribus necessariis, uti sunt Missa quotidiana, Legata pro certis Festis, cereique pro ipsis, pertingat ad annuos ducatos octoginta quinque, & asses quinquaginta novem, atque ita exitus major introitu sit in annuis ducatis quindecim; Suppletur autem bona œconomia, ac diligenti parsimonia Procuratorum, nec non tenui subsidio eleemosynarum Benefactorum.*

Insuperque retulit = *In dictis autem oneribus omissum est, quòd erogandum sit ad manutentionem Ecclesiæ, tectique ipsius, ac suppellectilium sacrarum, quibus omninò indiget, cum pauca, quæ supersunt, absumpta, jureque suspensa existant. Accedit, quòd Ædificium ipsum Ecclesiæ eo devenit, ut horridum specum dicerem potius, quàm Ecclesiam, in qua Sacrum fiat: Atque ex attestatione Architectorum, qui illam recognovere, mihi commonstratum est, ad illam ut ut aptandam impendio opus esse millium circiter ducatorum Neapolitanorum* = ideoque censuit = *Oratoris preces audiri posse*.

Ast quia Parochus Ecclesiæ S. Petri ad Praturum extra Civitatem sitæ, suam parochialem exercet jurisdictionem, & Sacramenta ministrat Parochianis in supradicta Ecclesia B. M. Virginis Annunciatæ, datæ hinc sunt novæ litteræ eidem Episcopo, ut etiam referret, *quantum necesse sit pro necessaria expensa in restaurationem Ecclesiæ, & Supellectilium, & an cogi possit Parochus, & Populus ad contribuendum in dictam restaurationem, vèl saltem quantum sperari possit ex operibus, & eleemosynis Populi*.

Mandatis Sacræ Congregationis satisfecit Episcopus, respondítque = *Ecclesiam Bmæ Virginis Annuutiatæ, in qua existit Sodalitas S. Sixti, cùm jaceat in ima parte hujus Civitatis, valde humidam evadere ob confluentes aquas, sive ex decidente pluvia, sive ex liquefacta nive, cui incommodo reparando opus esset, eam extolli tùm ex pavimento, túm ex muris lateralibus, ac proindè ex integro refici tectum. Quandoquidem verò qualecumque Templum hoc revera non est instar Ecclesiæ, iterum ædificandum esset ad meliorem formam, ad quam rem obnormis requireretur expensa, cui nemo est, qui subesse possit, nisi dicta Sodalitas S. Sixti adjuncta ipsi met Ecclesiæ, cum Parochus S. Petri ad Praturum extra Civitatem, qui in eadem Ecclesia fungitur munere suo ob defectum Ecclesiæ sui tituli Terræmotibus destructæ, nihil subministrare valeat eo, quòd vix dimidia congrua pro se gaudet; multoque minus ejusdem Parochiani, qui numero paucissimi intus Civitatem, & pauperes sunt, cæterì verò extra Civitatem pluribus ab hinc milliaribus in Oppido Præturì degentes ad ibi existentem Paræcialem Ecclesiam pertinent, ut ad illam, non verò istam pro re nata pecuniam conferre teneantur*.

Ad

Ad neceſſariam reſtaurationis expenſam quòd attinet, retulit, illam juxta Peritorum relationem, aſcendere ad ducatos 1470., ſumptus verò pro Sacris Supellectilibus requiri ſummam ducatorum circiter 200., quæ ſummæ ſimul unitæ quantitatem ducatorum 1670., à quibus demptis ducatis 417., & aſſibus 30. in neceſſariam Eccleſiæ, & Suppellectilium reparationem erogandis nimirum ducatis 217., & aſſibus 30. in depoſitum exiſtentibus, aliiſque ducatis circiter 200. à debitoribus Confraternitatis exigendis, deficere ducata 1252. 70.; quæ pro dictis expenſis neceſſaria ſunt.

Addit Epiſcopus = *poſſe inſuper Fabricæ accedere, quòd Sodalitas ipſa infra annum impendit in nonnullis Proceſſionibus, quòd ad ducatos circiter viginti pertingit* = concluditque = *Quocirca ea mihi ineſt ſententia, quam graviſſimo judicio EE. VV. ſubmitto, ut cenſeam, concedi poſſe per annos vigintiquinque ſuſpenſionem annui legati Orphanæ dotandæ deſtinati.*

Prætereà Carolus Ruſtici hodiernus Sodalitii Syndicus Orator tàm nomine proprio, quàm aliorum Syndacorum pro tempore ſolemnem obligationem nuper emiſit penes acta Cancellariæ Epiſcopalis perficiendi opus infra tempus duodecim annorum, utcumque longius requireretur, propriis ſumptibus animo impoſterum repetendi à Legato Marii Ciuffetelli, quatenus decernatur ab hac Sacra Congregatione ſuſpenſio adimplementi illius per annos vigintiquinque, ut exhibitæ preces ſecumferunt, utque in voto eſt Epiſcopus.

Hæc erant in Facto notanda. Sacra Congregatio pro neceſſitate rei non ſemel decrevit temporaneam Miſſarum quoque celebrationis ſuſpenſionem, ut videre eſt *in Interamnen.* 29. *Novembris* 1777., & *in Nucerina Paganorum Reductionis Miſſarum* 5. *Septembris* 1778.

An autem juſta ſit Oratoris petitio, ipſi viderint Emi Patres, quibus dubium proponitur.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Sess. 21. *cap.* 7. *de Reform.*

ARAUSICANA. Alemannus de Paſſis Baro Loci Albinianenſis in Comitatu Venayſſino ſiti Diœceſis Arauſicanæ poſt è fundamentis ædificatam Cappellam prope mœnia dicti Loci, anno 1551. Cappellaniam in ea erexit ſub titulo SSmi Corporis Chriſti, quam congruè, abundanterque dotavit. Plura onera Cappellano adjecit, quæ inter onus erat tres in qualibet hebdomada celebrandi Miſſas in eadem Cappella. Jus autem nominandi Cappellanum reliquit poſt ejus obitum Syndicis pro tempore exiſtentibus ſupradicti Loci Albinianenſis. Anno verò 1552. præfatus Alemannus Teſtamentum condidit, quo ſuis Hæredibus onus injunxit Cappellam manutenendi, nec non curandi, ne ipſa ruinam, demolitionemque ſubiret, eamque providendi Sacris Supellectilibus, aliiſque pro uſu Cappellæ, & Cappellani neceſſariis.

Quæ Alemannus voluit, fuerunt eadem religioſiſſimè exequuta uſque ad annum 1777., quo Arauſicanus Antiſtes in actu Sacræ Viſitationis agnoſcens Cappellam ruinam minari, plura decrevit, & præcœteris eam eſſe interdicendam, ſupprimendamque; Illius verò onera eſſe transferenda ad Cappellam ejuſdem Baronis dicti Loci exiſtentem in Parochiali Eccleſia, vel ad aliam ipſius Eccleſiæ Cappellam; Itemque Miſſarum onus eſſe reducendum ad duas tantùm Miſſas in qualibet Hebdomada; ac demùm Sacra Suppellectilia Cappellano ſubminiſtranda eſſe à quo de jure.

Adverſus hac Decretum recurſum ad Sanctiſſimum Dominum Noſtrum habuerunt Conſules, & Univerſa Communitas Loci Albiniani Cappellaniæ Patrona poſtulantes, ut revocetur Epiſcopi Decretum, utque compellatur Alemanni Fundatoris hæres ad Cappellam reſtaurandam juxta obligationem ab eodem Alemanno ſuis hæredibus impoſitam, utque demum demandetur Cappellano nedum Miſſarum celebratio, ſed etiam aliorum onerum implementum juxta Fundationis legem in præſcripta Cappella.

Sacra Congregatio, cui preces remiſſæ fuerant, requiſivit Epiſcopum pro Informatione, & Voto, mandavitque, ut præfigeretur terminus Promothori Fiſcali, omnibuſque intereſſe habentibus ad eorum deducenda jura. Quod Epiſcopus retulit, Emi PP. legere poterunt in ejus Informatione, quæ à ſolis Conſulibus, & Univerſitate Loci

Albi-

Albiniani, dùm nemo alius comparuit, unà cum ſuis juribus oblata fuit.

Translationem collapſæ Eccleſiæ fieri non poſſe, niſi in caſu, in quo nemo ſit, qui aut ex propria obligatione, aut pietatis cauſa eam inſtauret, vel reficiat, præſcripſit Sacroſancta Tridentina Synodus *Seſſ.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*, proindeque ſuſtinent Oratores, translationem, ab Epiſcopo decretam eſſe revocandam, cum adſint Fundatoris hæredes, qui ex propria obligatione juxta legem ab eorum Auctore datam, vel in eorum defectu Univerſitas Loci Albiniani, quæ ex ſuo Jurepatronatu, hanc ruralem Eccleſiam inſtaurare tenentur. Niſi enim juſta, & neceſſaria concurrat translationis cauſa, translationem celebrationis Miſſarum, aliorumque onerum ad aliam Eccleſiam conſtantiſſime denegavit Sacrum hoc Tribunal, ut præcæteris *in Romana Translationis Oneris Miſſarum* 28. *Julii* 1731.; *in Ariminen. Translationis Cappellaniæ* 20. *Decembris* 1732.; *in Panormitana Tranſlationis Oneris Miſſarum* 26. *Septembris* 1739.; *in Vicen. Translationis Oneris Miſſarum* 19. *Aprilis* 1766.; *& in Ariminen.*, *& Feretrana* 30. *Januarii* 1779., præſertim, quando Teſtator pro Miſſarum celebratione, & pro aliorum Onerum implemento certam Eccleſiam, certumque Altare deſignavit *Ricc. in prax. part.* 4. *reſolut.* 69. *per tot.*, *& Pax. Jordan. tom.* 1. *var. Reſol. lib.* 4. *tract.* 1. *de Sacrif. Miſſ. n.* 540.

Ulterius non ſubſiſtere contendunt Oratores reductionem ab Epiſcopo factam unius ex tribus Miſſis celebrandis in qualibet hebdomada, quia Cappellaniæ redditus pares ſunt ad illarum trium celebrationem, ut ipſe met Epiſcopus agnovit, ac fatetur in ſua Relatione.

Hæc, & alia habentur in Libello à Conſulibus, & Univerſitate Loci Albiniani circumferendo, quibus perpenſis, quatuor reſpondendum erit Dubiis, quæ ſequuntur.

I. *An ſit locus demolitioni Cappellæ nuncupatæ Corpus Chriſti prope Locum Albiniani, & alienationi illius ſitus, & translationi Onerum, ſeu potius ejuſdem reſtaurationi, vel reædificationi faciendæ à Barone dicti Loci in caſu &c.*= & quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An, & cujus favore applicari debeat pretium retrahendum ex alienatione ſitus, & Fabricæ Cappellæ, & quò transferenda ſint onera in caſu &c.*

III. *An*

III. *An sit locus reductioni, & commutationi Onerum ex fundatione Rectori Cappellæ injunctorum in casu &c.*

IV. *An, & à quo sint subministranda Rectori Cappellæ Sacra Suppellectilia in casu &c.*

Sess. 21. cap. 2. de Reform.

NUCERINA VENDITIONIS. Vincentius Manni unus ex intimis Cubiculariis Sanctissimi Domini Nostri, & Abbas Beneficiatus Abbatiæ S. Angeli nuncupatæ *in Camiliano* Nucerinæ Diœcesis facultatem obtinuit ab hac Sacra Congregatione alienandi nonnulla Abbatiæ Terrarum frustula unum corpus non constituentia cum lege deponendi pretium ex venditione retrahendum, illudque favore Abbatiæ in aliis Bonis investiendi. Edicta, ut moris est, ad alliciendos Emptores fuerunt affixa. Vèrum cum oblationes conditionibus scatentes, proindeque inadmissibiles fuerint compertæ, hinc ad iteratam Edictorum affixionem processum fuit. Novæ oblationes datæ sunt, quarum duæ fuerunt cæteris majores, una scilicet Matthæi Santini, qui obtulit scuta 451., & obul. 30., & altera Medardi Bettanzi offerentis scuta 457.

Hos inter Oblatores orta fuit quæstio, quis nam ex ipsis meliorem fecerit Abbatiæ conditionem, & sit in emptione præferendus. Contendit Santinus, se meliorem obtulisse conditionem Abbatiæ, cum pro quatuor Prædiis in vocabulis *Cona di Casale = S. Vittoria = Casa vecchia = e Pezze lunghe =* obtulerit sc. 451. & ob 30.; Bettantius verò pro iisdem quatuor Terrarum frustulis summam obtulerit scutorum 450.: E contra verò sustinet Bettantius, quinque esse, & non quatuor Terrarum petia, cum illud in vocabulo *Pezze longhe* in duo distincta, separataque Prædiola sub eodem comprehensa vocabulo dividatur, & proinde ipsius oblationem scutorum 457. majorem esse illa Bettanzi sc. 451. 30., seque in emptione præferendum esse.

Pro

Pro hac obtinenda prælatione Bettantius exhibitis præcibus recurſum habuit ad hanc Sacram Congregationem.

Auditus fuit Epiſcopus, qui retulit ea, quæ ſupra narrata ſunt; A' voto tamen ferendo ſe abſtinuit. Uterque Oblator ſua jura deducit, ex quibus Emi Patres cognoſcere poterunt, quis eorum ſit præferendus, & expedire Dubium, quod proponitur.

An, & cujus favore ſit facienda venditio in caſu &c.

URBANIEN. CANONICATUS. Superiori an. 1779. cum in Eccleſia Cathedrali Urbaniæ vacaſſet Canonicatus ſub titulo S. Chriſtophori, cumque nominatio, ac præſentatio novi Canonici pro hac vice ad Civitatem Urbaniæ pertineret, publicis indictis Comitiis ad Canonicatum nominatus fuit Clericus Joſeph Papi ætatis ſuæ annorum unius de viginti, excluſo Sacerdote Julio Cæſare Leonardi jam ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ Canonico, fuitque tributa duobus Conſiliariis facultas Papium in novum Canonicum præſentandi Vicario Capitulari Urbaniæ, tunc Sede Epiſcopali vacante, pro obtinenda inſtitutione, quemadmodum Conſiliarii Papium præſentarunt ea adjecta proteſtatione, quòd ſi Præſentatus obtinere nequiret à Summo Pontifice diſpenſationem ætatis, integrum eſſet Communitati alium nominare, & præſentare. *Seſſ. 23. cap. 6. de Reform.*

Expeditæ fuerunt à Papio Litteræ Apoſtolicæ ſuper ætatis diſpenſatione, & proviſione, quibus verificatis coram Executore, poſſeſſionem Canonicatus nactus fuit.

Adverſus hæc Canonicus Leonardi preces obtulit Summo Noſtro Pontifici poſtulans, ſibi concedi inſtitutionem ad prædictum Canonicatum S. Chriſtophori, quia nulla fuerunt Comitia nominationis Clerici Papi tamquam non habentis conciliarem ætatem, authumans proinde, Communitatem à jure ſuo cecidiſſe. Precibus ad hanc Sacram Congregationem delegatis, auditus fuit Vicarius Capitularis Urbaniæ, qui nec pro Canonico Leonardi, nec pro Canonico Papi votum ſuum aperuit.

Cau-

Causa proponitur. Canonicus Papi sua jura deducit. A Canonico Leonardi quamvis monito nihil hactenus. Gemina sunt quæstionis Capita.

I. *An sustineantur Litteræ Apostolicæ dispensationis, ac provisionis Canonicatus in Cathedrali sub titulo S. Christophori favore Clerici Josephi Papi in casu &c.* = & quatenus negativè.

II. *An sit danda institutio ad eumdem Canonicatum Sacerdoti Julio Cæsari Leonardi jam Canonico Cathedralis Urbaniæ, seu potius competat Communitati Patronæ jus eligendi, ac præsentadi alium sibi beneviſum in casu &c.*

Die Sabbathi 17. *Junii* 1780. *in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

QUinque priores, quas damus, Cauſæ repetendæ ſunt *ex folio poſtremæ Congregationis* habitæ *die* 3. *hujus menſis*, in qua proponi non potuerunt. Rogantur itaque Eminentiſſimi Patres, ut *idem folium dictæ Congregationis* iterum conſulant, & Cauſas expediant.

BRUNEN., in qua reſpondendum eſt.

An, ubi, quando, & quibus diebus ſint publicandæ Denunciationes Matrimoniorum in caſu, de quo agitur. *Seſs. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*

Scribatur Epiſcopo, juxta mentem.

AQUILANA, cujus Dubium eſt. *Seſſ. 21. cap. 7. de Reform.*

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Affirmativè juxta votum Epiſcopi, renovata obligatione Caroli Ruſtici in forma Juris valida, & in bonis propriis, facto verbo cum SSmo.

ARAUSICANA, cujus IV. Dubia ſunt.

I. *An ſit locus demolitioni Cappellæ nuncupatæ Corpus Chriſti prope Locum Albiniani, & alienationi illius ſitus, & translationi Onerum, ſeu potius ejuſdem reſtaurationi, vel reædificationi faciendæ à Barone dicti Loci in* *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

casu &c. = & quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An, & cujus favore applicari debeat pretium retrahendum ex alienatione situs, & Fabricæ Cappellæ, & quò transferenda sint Onera in casu &c.*

III. *An sit locus reductioni, & commutationi Onerum ex fundatione Rectori Cappellæ injunctorum in casu &c.*

IV. *An, & à quo sint subministranda Rectori Cappellæ Sacra Suppellectilia in casu &c.*

Ad I. negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam; Ad II. provisum in primo; Ad III. negativè; Ad IV. Sacra Supellectilia esse subministranda ab hærede Fundatoris ad formam Testamenti.

Sess. 21. cap. 2. de Reform.

NUCERINA VENDITIONIS, in qua disquiritur. *An, & cujus favore sit facienda venditio in casu &c.*

Venditionem esse faciendam favore Medardi Bettanzi, & amplius.

Sess. 23. cap. 6. de Reform.

URBANIEN. CANONCATUS, cujus duo sunt Capita.

I. *An sustineantur Litteræ Apostolicæ dispensationis, ac provisionis Canonicatus in Cathedrali sub titulo S. Christofori favore Clerici Josephi Papi in casu &c.* = & quatenus negativè.

II. *An sit danda institutio ad eumdem Canonicatum Sacerdoti Julio Cæsari Leonardi jam Canonico Cathedralis Urbaniæ, seù potius competat Communitati Patronæ jus eligendi, ac præsentandi alium sibi beneviſum in casu &c.*

Ad I. affirmativè; Ad II. provisum in primo.

PRÆ-

PRÆMISLIEN. NULLITATIS MATRIMONII.; Causa hæc iteratas Eminorum Patrum postulat curas. Illius speciem, & rationum momenta, quæ in ea sunt, latissimè dedimus *in Folio Congregationis* habitæ *die* 18. *Julii* 1778., quod editum est *Tom. XLVII. Thesaur. Resol. Sac. Congreg. Conc. pag.* 168. *& seqq.*, dubioque, quod erat = *An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.* Ampliſſimi Patres *unanimi* consensu *in subsequenti Congregatione diei* 8. *Aug.* responderunt = *Negativè, & amplius* ut habetur *ex d. T.* 47. *Res. pag.* 183. Huic resolutioni non acquiescens Barbara Pininski succumbens noviter audiri postulavit urgentiorum rationum præsidio. Et quamvis *in Congregatione* habita *die* 5. *Septembris anni* 1778. Eminentissimi Patres petitam novam Audientiam reiiciendam esse putaverint edito Rescripto = *Nihil* = eam tamen obtinuit à summa clementia SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI *fæliciter Regnantis*. Facta igitur potestate Barbaræ iterum jura sua deducendi, Causa reproponitur eadem properante Barbara, à qua, & à Defensore Matrimonii respectivorum jurium libelli circumferuntur. Ast ab Ignatio Pantaleone Laszovvski Barbaræ Viro, qui jura etiam sua velle deducere professus est, nihil hactenus habuimus. Perpensis itaque juribus à Partibus circumferendis, & repetita lectione supradicti *Folii Congregationis diei* 18. *Julii* 1778. *in tom.* 47. *Thesaur. Resol. pag.* 168., *& seqq.*, respondendum erit. *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform. Matrim.*

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Reliquæ non propositæ.

FANEN. Quatuor Capita disputata fuerunt in hac Causa, cujus species data fuit *in Folio Congregationis* habitæ *die* 15. *superioris mensis Aprilis*, a quo illa repetenda est. Primum fuit Caput = *An Archidiacono Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Carticeti debeatur eleemosyna ex Massa communi pro celebratione Missæ pro Populo in casu &c.* = & quatenus affirmativè = II. *An, & à quo tempore debeatur eadem Eleemosyna in casu &c.* = III. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*, & *Sess.* 25. *cap* 7. *de Reform.*

An quilibet ex Canonicis hebdomadariis teneatur celebrare Missam Conventualem absque ulla eleemosyna, seu potius hæc sit præstanda ex communi Massa in casu &c. = & quatenus affirmativè ad primam partem. IV. *An, & à quo tempore reintegranda sit Massa communis pro Eleemosynis indebite perceptis in casu &c.* = Hæc tamen Dubia in prædicta Congregatione ob temporis angustiam proponi non potuerunt. Illis autem propositis in sequenti *Congregatione diei 29. ejusdem mensis Aprilis* respondit Sacrum hoc Tribunal, *Ad I. Affirmativè. Ad II. Affirmativè à die motæ Litis. Ad III. Affirmativè ad primam partem comprehenso per Turnum Archidiacono, negativè ad secundam. Ad IV. Affirmativè à die motæ Litis* = Id novam omnia hæc Capita, eorumque definitiones nunc revocantur disputationem, ideoque expediendum est Dubium.

An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

SUTRINA DOTIS. Pia Mulier Paula Bandiera in ejus ultimo Testamento, quod condidit anno 1733., reliquit septem Loca Montium pro dote Cappellaniæ meræ Laicalis erigendæ in Ecclesia Sacrorum Stigmatum de Urbe: Voluit, Cappellanum ad nutum amovibilem, & quòd onus haberet celebrandi, vel celebrare faciendi sex Missas quolibet Mense: Jussit, Cappellanum in qualibet perpetuis futuris temporibus eveniente vacatione nominandum esse ab Anna Maria Tobioli Sorore germana, quam hæredem instituit, ejusque Successoribus, & in nominatione Successores extraneis esse præferendos; Mandavitque demum, quòd in casu extractionis dictorum Locorum Montium, eorum pretium in aliis Locis Montium investiretur; quò verò ad Missas, etiamsi annui redditus imminuerentur, eædem = *sempre debbano celebrarsi nel numero di sei il mese, purchè il fruttato non fosse minore di giulj due per Messa, nel qual caso le Messe si dovranno ridurre alla ragione di due giulj l' una.*

Ex Anna Maria Tobioli Paulæ Fundatricis Sorore, ac hærede nunc superfunt Margarita filia, & Hieronyma Nesoli

ſoli ex alia prædefuncta filia neptis. Hæc eſt utroque Parente orbata, hæc eſt Cappellaniæ Compatrona, Fundatricis proneptis, & extrema laborat paupertate, ſita ut ex defectu Dotis vel in Domino, vel in Sæculo nubere non poſſit, niſi Dos, qua caret, à Cappellaniæ Bonis ſubſidiarie impertiatur.

Ut autem facilius id aſſequi valeat, Margarita Hieronymæ Matertera ex Oppido Tribiniani Sutrinæ Diæceſis Patronatum ſuum ceſſit eidem Hieronymæ, quæ proinde unica evaſit Cappellaniæ Patrona; Subinde autem præfata Margarita ſupplex adivit Sanctiſſimum Dominum Noſtrum pro facultate detrahendi è Fundo Cappellaniæ dotem pro Hieronyma, id fieri poſſe contendens ſine fraude menti Teſtatricis quoad numerum Miſſarum celebrandarum, relictis quippe ad hunc effectum tot Locis Montium, quot eorum pares eſſent pro illarum celebratione ad rationem eleemoſynæ manualis præter Utenſilia.

Remiſſis precibus huic Sacræ Congregationi, requiſitus fuit Sutrinus Epiſcopus pro informatione, & voto auditis omnibus intereſſe habentibus. Is retulit, quòd ex ſeptem Locis Montiam pro fundo Cappellaniæ relictis = *duo pluribus ab hinc annis extracta fuerunt, & ſcuta biſcentum ex reſtitutione retracta depoſita adhuc reperiantur in Sacro Monte Pietatis* = quòdque Hieronyma eſt *ad extremam ferè paupertatem redacta* = itemque retulit, auditis omnibus intereſſe habentibus, omnes aſſentiri petitioni, fuitque in voto, quòd = *ſaltem Loca Montium quatuor pro Fundo Cappellaniæ relinquantur, ſcuta verò biſcentum depoſita cum alia ſumma ex venditione alterius Loci retrahenda reinveſtiantur pro Dote ſive ſpirituali, ſive temporali Pupillæ Hieronymæ.*

Audita pariter fuit Archiconfraternitas Sacrorum Stigmatum, quæ petitioni diſſentit dupliçi ſub fundamento, *primo* quia incongruum videatur, quòd pro dotanda Puella à Fundatrice non deſcendente, & remoto gradu cum ea ſanguine conjuncta alienanda ſit pars Fundi Cappellaniæ in præjudicium tum ſucceſſorum in Patronatu tàm activo, quàm paſſivo, tum futurorum Cappellanorum; & *ſecundo*, quia præſcripta Sacra erant certe reducenda in caſu extractionis Locorum Montium, quoties præſervetur illorum quantitas unicè ſufficiens pro eleemoſyna manuali, ac Utenſilibus.

Ora-

Oratrix ſua jura deducit, ſuſtinetque, ex Sacris Canonibus præſcriptum eſſe, quòd ſi Fundator, vel ejus filii, vel ſucceſſores fint ad paupertatem redacti, eis reddenda ſit pars Bonorum, quæ ipſi, vel eorum Auctores in Eccleſiam contulerunt *Can. contra* 29. §. *Si verò cauſ.* 16. *quæſt.* 7., *Can. Quicumque* 30. *ead. Cauſ.*, *& quæſt.*, *& Cap. Nobis* 25. *de Jurepatr.*, & quidem tam pro alimentis, quàm pro dote, nam cui competunt alimenta pro humana conſervanda vita, competit etiam Dos pro honeſtate tuenda ex traditis per *Conſtant. ad Stat. Urb. Annot.* 32. *de Dot. à Fratrib. profecta num.* 16., & hæc procedere contendit Oratrix, ſive Patronus indigens deſcendat à Fundatore per rectam lineam, ſive ex tranſverſali *Rot. cor. Falconer. de Alimentis deciſ.* 6. *n.* 5.

Accedente præſertim voluntate Paulæ Fundatricis, quæ voluit, quòd imminutis redditibus, prout illi per detractionem petitæ Dotis imminuerentur, eſſent reducendæ Miſſæ ad rationem eleemoſynæ perpetuæ.

Hæc, & alia ſunt in Libello ab Oratrice circumferendo.

Pertinet nunc ad EE. VV. reſpondere.

An, & quomodo, & in qua ſumma Hieronymæ Neſoli aſſignanda ſit Dos ex LL. MM. Cappellaniæ, de qua agitur in caſu &c.

Seſſ. 22. *cap.* 6. *de Reform.*

VITERBIEN. APERITIONIS ORIS. Porphirius Fantozzinius e Terra Vetrallæ Viterbienſis Diæceſis anno 1706. condito Teſtamento hæredem ex aſſe ſibi ſcripſit Congregationem Scholarum Piarum, quæ in Urbe nuncupatur S. Pantaleonis, cum onere = *ad introdurre l' Iſtituto loro delle Scuole pie in Vetralla, ponendovi Chieſa, e Caſa capace per l' abitazioue di dodici Religioſi, e per l' eſercizio del loro Iſtituto* = quod Teſtator exerceri juſſit a Patribus *nella forma delle loro Regole in detta Terra di Vetralla per utile, e profitto della Gioventù, e delle anime di eſſa, inſegnando à leggere, ſcrivere, abaco, Grammatica, Umanità, Rettorica, e caſi di Coſcienza.*

Item-

Itemque voluit ; quòd ſequuto ejus obitu , ac ſtatim poſt à Patribus adeptam ſuorum Bonorum poſſeſſionem , manus iidem admovere deberent ad ædificandam Eccleſiam, ac Domum cum fructibus ſuæ hæreditatis , ſi tamen illi annuatim aſcenderent ad ſcuta 600. , ſin minus eſſent iidem fructus multiplicandi , uſque quò ad hunc annuum redditum ſcutorum 600. pervenirent. Additque = *e ſubito , che la mia Eredità ſia pervenuta alla quì eſpreſſa entrata , il P. Generale , e ſuo Definitorio ſiano tenuti à cominciare à provedere colle medeſime rendite quanto biſogna , conforme ſopra hò eſpreſſo* . Abſoluta verò Fabrica tum Eccleſiæ , tum Religioſæ Domus , iiſque de neceſſariis ſuppellectilibus reſpectivè proviſis , voluit , quòd *ſiano obligati à coſtituirvi la Famiglia ſopra accennata di dodici Religioſi , e cominciare ad eſercitare l' Iſtituto à gloria di Dio , e ſalute della mia dilettiſſima Patria* , quòdque ab ipſis eſſet celebrandum quotidianum Sacrum in expiationem ejus Animæ , nec non ſolvenda eſſent annua ſcuta 40. *alla Caſa del Noviziato di Roma per ajuto del mantenimento de' Novizj* , ut ad novum Vetrallenſe Collegium docti Religioſi tranſmitterentur .

Concluditque Teſtator voluntatem ſuam his verbis = *Quando poi queſta mia diſpoſizione , cioè l' introduzzione del ſudetto Iſtituto in Vetralla non poteſſe avere effetto , o perchè la medeſima Religione, e ſuoi PP. Generale , e Definitorio non accettaſſero queſta mia Eredità , o che accettandola , non poteſſero , o non voleſſero venire ad eſeguirla , come anche ſe dentro il termine di cinquant' anni dopo la mia morte , e dopo il poſſeſſo pigliato de miei Beni non aveſſero ridotto à perfezzione la detta fondazione , o introduzzione dell' Iſtituto , in ciaſcheduno di detti caſi ſoſtituiſco , e voglio , che ſi erigghino tanti Canonicati nella Chieſa Collegiata di Vetralla di rendita , frutto , e peſo per ciaſcheduno , di cui ſono quelli della ſeconda erezzione iſtituiti dal quondam Antonio Pacchi* . Executorem verò hujus ſubſtitutionis eſſe voluit Vetrallenſem Clerum , cui etiam reliquit jus nominandi Canonicos , quorum unius tantum nominationem Ordinario pro tempore reſervavit .

Sequuto Teſtatoris obitu de anno 1710. Congregatio Scholarum piarum hæres poſſeſſionem apprehendit Bonorum omnium hæreditariorum , quæ cum reperta non fuiſſent annui redditus ſcutorum 600. , attenta traditione nonnul-

nonnullorum Bonorum valoris ſcutorum 1276. 29. facta Fratribus de Savinis cauſa Fideicommiſſi ad eorum favorem purificati, præſcriptum ex fructibus multiplicum incæptum fuit, quod anno 1742. non exiguam pati debuit diminutionem, ceſſis Viterbienſi Domui Expoſitorum Infantium tot Locis Montium annui redditus ſcutorum 60. valoris autem ſcut. 2153. 30.

Quamvis anno 1736. Carolus Franciſcus Guidacci Vetrallenſis ſupradicti Porphirii nepos Legati titulo Patribus Scholarum Piarum reliquiſſet magnam ejus Domum, ut in ea fundaretur Collegium juxta Porphirii Patrui diſpoſitionem, nec non petiolum Terræ, nonnullaque mobilia, abſoluto tamen tempore quinquaginta annorum ab eodem Porphirio Teſtatore præfinito multiplicati redditus non excedebant annuam ſummam circiter ſcutor. 400.: Ut autem ejuſdem Porphirii voluntas exequeretur Vetrallæ Communitas obtulit Patribus Scholarum Piarum ſcuta mille & quingenta unica ſolutione numeranda, nec non plura ligna in fabricam Eccleſiæ, Domuſque impendenda, obtulitque pariter prius annua ſcuta centum, ſubindeque ſcuta biſcentum pro complemento ſcutorum annuorum ſexcentorum, quæ pro manutentione duodecim Religioſorum Teſtator ipſe taxaverat.

Interea dùm hæc agebantur Communitatem inter, & Patres Scholarum Piarum, authumavit Vetrallæ Clerus, locum factum fuiſſe ſubſtitutioni erectionis Canonicorum, attento lapſu dd. annorum quinquaginta, & Collegio Scholarum Piarum nondum fundato, ut Porphirius præſcripſerat, in Terra Vetrallæ; E converſo petebant Patres, eſſe prorogandum tempus quinquaginta annorum ad decennium pro exequenda Defuncti voluntate.

Res delata fuit ad hanc Sacram Congregationem: Auditoque, ut moris eſt, tunc Eminentiſſimo Viterbienſi Epiſcopo votum ſuum aperiente pro Clero, Cauſa data fuit *in Folio Congregationis habitæ die* 30. *Auguſti* 1766, quod publici juris factum eſt *Tom. XXXV. Theſ. Reſol. Sac. Cong. Conc. pag.* 212., geminiſque dubiis, quæ erant, *I. An ſit locus expetitæ prorogationi, ſeù potius factus ſit locus vocationi, & erectioni Canonicatuum, & quatenus negativè ad primam partem, & affirmativè ad ſecundam. II. An, & quomodo, & à quo tempore debeatur reſtitutio fructuum perceptorum in caſu &c.* = Sacrum Tribunal in ſequenti *Congregatione diei* 20. *Septembris*

bris dicti anni respondit = *Ad I. Affirmativè ad primam partem ad decennium, negativè ad secundam, & amplius. Ad II. Provisum in primo, & amplius* =, ut *eod. Tom.*35. *Thes. Resol. pag.*221.

Nondum elapso decennio, nimirum anno 1774. Patres Scholarum Piarum exhibitis precibus supplices adiverunt San. Mem. Clementem XIV. pro facultate erogandi redditus tùm hæreditatis Porphirii Fantozzini, tùm Legati relicti à Carolo Francisco Guidacci in dimissionem fructuum, & Sortis æris alieni ascendentis ad conspicuam summam scutorum 45. millium per ipsos contracti occasione novi hìc in Urbe constructi Collegii, publicarumque Scholarum Piarum. Preces Pontifex ex Rescripto *diei* 9. *Maii* 1774., ut à Patribus postulabatur, remisit *ad Eminentissimum D. Cardinalem Corsini, ad hoc ut pro sua ipsius prudentia, & æquitate valeat super expositis, & petitis providere, & indulgere cum omnibus facultatibus &c.*

Eminentissimus Delegatus petitionibus Patrum mature perpensis, tamdem *sub die* 24. *Augusti* 1774 decrevit juxta vota dictorum Patrum, firma tamen remanente celebratione tùm Missæ quotidianæ à Porphirio Fantozzini præscripta, tùm duorum annuorum Anniversariorum à Carolo Francisco Guidacci demandata, hac tamen adjecta lege, & conditione, *ut secuta dicti æris alieni extinctione, aut substentationi, & manutentioni dicti Collegii, vel propter obvenienda Legata, seu hæreditates, vel per quemlibet alium modum consulto, tunc cessare immediate debeat præsens facultas, & licentia, fructusque, redditus, & proventus, de quibus supra, iterum reinvestiri, & multiplicari debeant ad formam Testamentorum DD. Fantozzini, & Guidacci, & non alias &c.*= Super hoc Decreto prodiit confirmatorium, & approbatorium Breve dicti sa. mem. Clementis XIV. *sub datum die* 15. *Septembris anni* 1774.

De hoc edito Apostolico Brevi habita notitia à Vetrallensi Clero, is adversus illud recursum habuit ad *SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM*, qui preces ablegavit ad Eminentissimum *D. Cardinalem Pro-Auditorem Sanctissimi*, qui instantiam Cleri remisit *ad Tribunal Signaturæ Justitiæ loco Gratiæ*, à quo rescriptum fuit *de aperitione Oris arbitrio Sacræ Congregationis Concilii*.

Instantibus Partibus Causa, modò proponitur. Longum hic esset referre jura, quæ pro, & contra Apostolicum Breve ab utraque Parte proponuntur in eorum circumferendis Libellis, in quibus ea legere poterunt Eminentissimi Patres, iisque perpensis, præ eorum doctrina, & prudentia definire.

An intret arbitrium pro aperitionis Oris in casu &c.

Die

Die Sabbathi 15. *Julii* 1780. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

TRes priores, quas ordine ſuo ſubiicimus, Cauſæ propoſitæ non fuerunt *in ultima Ampliſſimi hujus Ordinis Congregatione* habita *die* 17. *tranſacti menſis Junii*. Poterunt igitur Eminentiſſimi Patres, repetita lectione *Foliì ejuſdem Congregationis*, eas, prout juris eſſe cenſuerint, definire.

FANEN. in qua definiendum eſt.
An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c. — *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*, *&* *Seſſ.* 25. *cap.* 7. *de Reform.*

Ad I. in deciſis, & amplius; Ad II. in deciſis, & amplius, nempe à die motæ Litis; Ad III. prævio receſſu à deciſis negativè ad primam partem, affirmativè ad ſecundam; Ad IV. proviſum in tertio.

SUTRINA DOTIS, in qua diſputatur:
An, & quomodo, & in qua ſumma Hieronymæ Neſoli aſſignanda ſit Dos ex LL. MM. Cappellaniæ, de qua agitur, in caſu &c. — *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

Ex hactenus deductis negativè.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

VITERBIEN. APERITIONIS ORIS, in qua quæritur.

An intret arbitrium pro aperitione Oris in caſu &c.

Negativè.

Seſſ. 22. cap. 8. de Reform.

SUTRINA TRANSLATIONIS. Hujus Cauſæ ſpecies data fuit *in Congregatione* habita *die* 28. *Auguſti* 1779., quod publici juris factum eſt *Tom. XLVIII. Theſ. Reſol. Sacr. Cong. Concil. pag.* 106., *& ſeqq.*, & ea die proponi non potuit. Repropoſita verò Cauſa in ſequenti *Congregatione diei* 17. *Novembris ejuſdem anni*, reſcripſit Sacrum Tribunal = *Non propoſita* = ut *in eodem tom.* 48. *Reſol. pag.* 121.. Hujus Reſcripti ratio fuit, quia Confratres Confraternitatis Suffragii Animarum Purgantium erectæ in Patronali Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis Miſericordiæ Terræ Tulpharum cum pro facultate transferendi Confraternitatem à dicta Eccleſia Sanctæ Mariæ Miſericordiæ ad Eccleſiam S. Antonii Patavini preces exhibuerint Sacræ Congregationi Epiſcoporum, & Regularium, ea derelicta Congregatione, convolare non poterant ad hanc Sacram Congregationem pro eadem obtinenda transferendi gratia, id expreſsè prohibente Decreto edito *à ſan. mem. Innocentio XII.*, & relato *in ejus parvo Bullario in ordine il* 59., ſubinde confirmato *à ſan. mem. Clemente XIII. ſub die* 15. *Aprilis* 1768., cui etiam adhæſerat *Rota in Valentina Indulti* 4. *Decembris* 1739. §. 8. *coram clar. memor. Card. Millino*.

Quare Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Pro-Auditor Sanctiſſimi ad Confratrum preces porrectas Summo noſtro Pontifici, & ab eo remiſſas eidem Eminentiſſimo Pro-Auditori ſuo, Decretum tulit *die* 11. *nuper elapſi menſis Aprilis*, quo hanc Translationis Confraternitatis = *remiſit Cauſam ad Sacram Congregationem Concilii cum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis, non obſtante antecedente remiſſione ad Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium*.

Cauſa hinc reproponitur. Iterum à Confraternitate Suffragii jura ſua circumferuntur. A' Contradicentibus nihil

hil hactenus allatum eſt. Tria ſunt hujus quæſtionis Capita, pro quibus definiendis poterunt Eminentiſſimi Patres eorum repetere ſpeciem *ex ſupradicto Folio Congregationis* habitæ *die* 28. *Auguſti* 1779., in quo primum ea data fuit.

I. *An ſit locus translationi Confraternitatis Suffragii Animarum Purgantium ab Eccleſia Beatiſſimæ Virginis Miſericordiæ ad Eccleſiam S. Antonii Patavini in caſu &c.=* & quatenus affirmativè.

II. *An transferendi etiam ſint redditus, & onera à dicta Confraternitate implenda in dicta Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis Miſericordiæ in caſu &c.*

III. *An iidem Confratres teneantur implere obligationes per ipſos aſſumptas pro manutentione dictæ Eccleſiæ, & Sacrarum Supellectilium, aliorumque in caſu &c.*

Ad I. affirmativè cum pactis: & conditionibus ab Epiſcopo approbandis; Ad II. affirmativè, ſalvis diſpoſitionibus Teſtatorum; Ad III. negativè.

Reliquæ non propoſitæ.

MACERATEN. JURIS FUNERANDI. Occaſione reædificationis fatiſcentis Eccleſiæ Cathedralis Maceratæ, illius Capitulum, & Canonici pro Chori ſervitio, aliiſque Sacris peragendis Eccleſiaſticis functionibus ſeſe receperunt in ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ Oratorium, pro ſepelliendis autem Parochianorum Cadaveribus Epiſcopus aſſignavit Sepulcra binarum Eccleſiarum, unius ſcilicet S. Caroli, & alterius S. Liberati. Vèrum cum prædictum Oratorium uti anguſtum impar eſſet ad ea officia, & onera à Canonicis adimplenda, recurſum illi habuerunt ad Summum Pontificem Clementem XIV., qui per organum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium edito Decreto ſub die 2. Martii 1773. eiſdem Canonicis ad uſum tamen, & proviſionaliter loco Eccleſiæ anguſtioris Oratorii conceſſit Eccleſiam S. Joannis Clericorum Regularium Societatis Jeſu tamquam ampliorem. *Seſſ. 25. cap. 13. de Reform.*

At verò eodem anno 1773. ſuppreſſa fuit moxdicta Societas,

tas, fuitque illius negociis à prædicto Summo Pontifice Clemente XIV. deputata Congregatio particularis: Hæc annuens precibus porrectis nomine Communitatis Civitatis Maceratæ conceſſit Ædes, & Eccleſiam S. Joannis ipſius ſuppreſſæ Societatis Univerſitati Studiorum ejuſdem Civitatis, ſubindeque declaravit, conceſſionem intelligendum eſſe factam fuiſſe in utilitatem Univerſitatis, & ab ejus Curatoribus, quorum Caput eſt idem Epiſcopus, acceptationem rerum conceſſarum fieri debere, excluſis penitus ab ea publicis ſæpedictæ Civitatis Repræſentantibus, ſeu Communitatis Decurionibus, expreſſitque demum in Epiſtola ſcripta Epiſcopo Maceratenſi, quòd = *mens, & intentio præfatæ Congregationis fuit, & eſt, quòd conceſſio prædictorum ſit, & intelligatur facta Amplitudini Tuæ, ſuiſque Succeſſoribus commodo ejuſdem Univerſitatis Studiorum.*

Autnmantes nunc Canonici jus ſibi ipſis eſſe tumulandi defunctorum Parochianorum corpora in ſæpedicta Eccleſia S. Joannis, propterea quòd aſſignata Sepulcra Eccleſiæ S. Caroli, & alterius S. Liberati Cadaveribus redundant, hinc Rector Univerſitatis Studiorum, & Eccleſiæ S. Joannis preces porrexit huic Sacræ Congregationi, poſtulavitque, ut definiatur, funebres functiones eſſe ab ipſo peragendas, Capitulo verò, ejuſque Vicariis Curatis competere dumtaxat quartam funeralem, dummodo tamen Corpora eorum, qui in dicta Eccleſia S. Joannis condendi ſunt, Parochiani ſint Cathedralis Eccleſiæ; Emolumentorum autem reſiduum ſpectare debere ad tumulantem Eccleſiam S Joannis.

Suſtinet e contra Capitulum, quòd cum Eccleſia S. Joannis ſubrogata fuerit Eccleſiæ Cathedrali, & in illa modò exerceantur tùm ab Epiſcopo Pontificalia, tùm à Capitulo, & Canonicis præter Chori ſervitium, omnes Eccleſiaſticæ functiones, prout ab ipſis exercebantur in Cathedrali, hinc eadem Eccleſia S. Joannis proviſionaliter tamen, & ad uſum effecta ſit Cathedralis. Quemadmodum enim in ea Capitulum, ejuſque Vicarii Curati libere peragebant funebres functiones, & emolumenta Funerum integrè percipiebant, ac in ea tumulabantur Defunctorum Cadavera, ita id ipſum ſervandum ſit in ſubrogata Eccleſia S. Joannis; cum virtus ſubrogationis ea ſit, quòd ſubrogatus ſubiiicitur omnibus juribus illius, cujus in locum ſubrogatur, ex traditis per

Rot.

Rot. coram Enerix jun. decis. 889. num. 8., & dec. 1088. num. 5., & seq., cor. Molin. dec. 1216. num. 6., & in recen. dec. 809. num. 5., & seq. part. 18.

Maxime quia Ecclesia S. Joannis, quæ erat Clericorum Regularium Societatis Jesu, post ejusdem Societatis suppressionem subjecta fuit jurisdictioni Episcopi, & sic etiam jurisdictioni Capituli, quod cum Episcopo unum corpus constituit, *cap. Novit, & cap. quando de his, quæ fiunt à Prælatis, & cap. Requisiti §. Secus autem de Testam., & Rota cor. Molin. decis. 672. num. 13.*

Super his auditus Episcopus censuit, esse Capitulum exaudiendum, subditque inter cætera, quòd si Capitulum = *hoc sepeliendi jure privaretur, difficillimùm mihi foret, aliam Ecclesiam filialem in hac populata Civitate invenire, ubi Mortuorum Corpora sepeliri possent.*

Hæc, & alia plurima sunt in Episcopi relatione, quæ unà cum jurium libello circumfertur à Capitulo. A Rectore Universitatis Studiorum nihil habuimus. Duo sunt Capita.

I. *An, & cui competat jus peragendi exequias, aliasque functiones funebres occasione tumulationis Cadaverum in Ecclesia S. Joannis Maceratæ in casu &c.*

II. *An, & cui debeantur emolumenta funeralia pro Cadaveribus, quæ sepeliuntur in dicta Ecclesia in casu &c.*

CIVITATIS PLEBIS. Ex reditibus Prioralis Ecclesiæ SS. Apostolorum Petri, & Pauli Terræ Montis Leonis Diœcesis Civitatis Plebis fa. mem. Clemens VIII. Apostolicis expeditis Litteris sub datum diei 9. Novembris 1601. Præbendam constituit pro Archidiacono Cathedralis Ecclesiæ dictæ Civitatis Plebis: Onus injunxit Archidiacono manutenendi *in Prioratu* (sunt verba Bullæ Apostolicæ) *seu Ecclesia SS. Petri, & Pauli hujusmodi unam Vicariam Prioratum nuncupandum pro uno Vicario Priore nuncupando, & unam Cappellaniam perpetuas pro uno Cappellano, perpetuis, qui omnes sint in* Præ-

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

Præsbyteratus ordine, seu tali ætate constituti, ut ad illum proximis inde temporibus à jure statutis promoveri possint, ac Rectores videlicet, & Vicarius suæ respectivæ Ecclesiæ hujusmodi per se ipsos in Divinis deservire, & curam Animarum eorum Parochianorum pro tempore existentium exercere, ac illis Ecclesiastica Sacramenta ministrare, cæteraque Parochialia onera, ac officia subire: Cappellanus verò ipsum Vicarium in Prioratu, seu Ecclesia SS. Petri, & Pauli hujusmodi servitio, ac Curæ Animarum exercitio, Missarumque celebratione coadjuvare =

Hæc Cappellania successivis inde temporibus *Curata* fuit nuncupata, & pro Cappellani stipendio assignata fuerunt annua scuta triginta à præfato Archidiacono persolvenda, ac tandèm eadem Cappellania confertur iisdem modo, & forma, quibus Beneficia liberæ collationis, & cum Animarum cura conferuntur.

Anno 1777. Sanctissimus Dominus Noster, petentibus Priore, aliisque Beneficiatis Terræ Montis Leonis, in Collegiatam erexit sæpedictam Prioralem, & Parochialem Ecclesiam SS. Petri, & Pauli; Pro hujus erectione perficienda necessarius erat sumptus scutorum mille biscentum, pro quibus colligendis super institutis Præbendis, annuente, & approbante hac Sacra Congregatione, annuus impositus fuit Census, & venditus pro dicta sorte scutorum 1200., & in illius impositionis, & venditionis Instrumento moxdicti Prior, & Beneficiati accesserunt, solidali stipulata obligatione solvendi fructus, & deponendi annuam ab Episcopo præfinitam pecuniarum quantitatem ad effectum impositum, venditumque Censum redimendi.

Nuperrime, & sub die 31. Maii 1778. vacavit antedicta Cappellania curata per liberam illius dimissionem sponte factam à Sacerdote Josepho Quindici. Ut enim aliquod levamen pro redemptione Census haberent Prior, & Canonici, humillimas huic Sacræ Congregationi porrexerunt preces Franciscus Paoletti, Angelus Berardi, & Hieronymus Tenti ejusdem Collegiatæ Canonici, ac Confessarii munus in ea exercentes pro suspensione ad aliquod tempus Sacræ huic Congregationi beneviſum electionis Cappellani Curati, & respectivè collationis Cappellaniæ, ad hoc ut istius stipendium annuorum scutorum triginta erogari posset in partialem Census redemptionem, offerentes se interim onera ferre, & mu-

nia

nia exercere Parochialia Cappellano Curato ex fundatione inhærentia, ita ut Populus in ſpiritualibus ejus neceſſitatibus majus ſubſidium ſit inde conſecuturus.

Requiſitus de more fuit Epiſcopus, qui cenſuit, Oratores eſſe in eorum petitionibus exaudiendos. Sic autem differit Epiſcopus = *Res enim eos ſpectat, ut ſolvat æs alienum non voluptuoſe contractum, ſed pro unius inſignis Collegiatæ erectione, qua Dei honor, atque illius Eccleſiæ dignitas quàm maximè augetur. Talis æris alieni eſſe prorſus non impares Canonici Oratores, tamen ad eam explendam coguntur detrahere ex Præbendarum redditibus, quod foret deſtinatum ipſorum ſuſtentationi.*

Proſequitur idem Epiſcopus = *Suſpenſio ergo collationis dictæ Cappellaniæ ad effectum erogandi ſtipendium in cauſam ſuperius expreſſam valde quidem prodeſt eam petentibus, neminique præjudicium afferre poteſt, nam Populus Cappellani loco tres habebit Canonicos, qui illius vices in poſterum gerent etiam circa adjutorium in Cura Animarum præſtandum Priori Parocho dictæ Collegiatæ, qui per me auditus, tantùm abeſt, ut refragetur inſtantiæ Oratorum, quin potius ipſam adprobat, ſuumque conſenſum præſtat, ut ex folio, quod datur adnexum* =: Suumque ſenſum aperiens putat = *eſſe annuendum petitioni Oratorum, conditionibus tamen, quòd gratia concedatur ad decennium duratura; quòd quiſque ex eis teneatur obire munera Cappellaniæ adnexa, ſed ipſorum ſervitium remaneat tripartitum, itaut ſinguli in ſingulos quadrimeſtres viciſſim exerceant; & tandem quòd ſtipendium ſcutorum triginta Cappellano debitum integrè erogetur in cauſam expreſſam in precibus, videlicet in redemptionem ratæ Cenſus ſcutorum 1200. impoſiti occaſione prædictæ Erectionis Collegiatæ, ad quem effectum Archidiaconus hujus Cathedralis, cui incumbit onus ſolutionis, præcepto ligetur, ut dicto decennio idem emolumentum integrè in hoc Sacro Monte Pietatis quotannis deponat.*

Auditi pariter fuerunt Officiales Datariæ Apoſtolicæ, qui gratiæ non repugnant, & hujus Sacri Tribunalis Judicio ſe ſubſcribunt.

His tamen non obſtantibus, cum preces Canonicorum fuerint *per Summaria Precum* relatæ *in Congregatione diei* 15. *Januarii currentis anni*, reſcriptum fuit = *Lectum* =.

Novas inde Canonici Oratores exhibuerunt preces plures in Facto animadvertentes circumſtantias, quæ ſupra re-

latæ fuerunt, iterumque petunt, ut, prævio receſſu à deciſis, ipſis Cappellaniæ ſuſpenſio pro ære alieno dimittendo concedatur. An autem ſint Oratores exaudiendi, munus erit Eminentiſſimorum Patrum cognoſcere, & definire.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

eſs. 24. cap. 18. e Reform.

SUTRINA PRÆBENDÆ THEOLOGALIS. Sacerdos Joſeph Cajetanus Sciuſcioli Canonicus Sutrinæ Cathedralis Eccleſiæ Præbendam Theologalem, quàm in ea poſſidet, reſignavit Sacerdoti Ludovico Joanni è Terra Vallerani Diœceſis Civitatis Caſtellanæ. Hanc reſignationem admittere non renuit Sutrinus Antiſtes, dummodo Reſignatarius examini ſuper Theologica facultate ſeſe ſubjiciat juxta Conſtitutionem, quæ incipit *Paſtoralis officii* ſan.me. Benedicti XIII. editam anno 1725. Examini ſe ſubjecit Jannius Reſignatarius ſub die 18. Novembris ſuperioris anni 1779., & à Theologis Examinatoribus fuit reprobatus; eademque die à contraria eorum relatione reprobatus Jannius ad Sanctam Sedem appellavit, & ſubinde ſupplicatione data huic Sacræ Congregationi petiit declarari, irrationabilem fuiſſe relationem Examinatorum, eidemque propterea Præbendam Theologalem eſſe concedendam. Epiſcopus pro informatione, & voto requiſitus retulit ea, quæ mox dicta ſunt, acta examinis tranſmiſit, & à ſuo voto ferendo ſe abſtinuit.

Diſputat nunc Jannius, Examinatores erraſſe, dum ipſum reprobarunt. Probat enim judicio non unius, ſed quinque peritiſſimorum Theologorum, quibus ſuas reſponſiones datas Theologicis caſibus in examine propoſitis exhibuerat, ſe benè, diſertè, & egregiè, reſpondiſſe. Quo probato, Jannius concludit. quòd ſi *ſemper præſumitur, quòd aliquis ſit dignus in Eccleſiis* =, ut his verbis notat *Gloſs. in Can. Nullus ſub verb. non credimus diſtinct.* 61., potiori ratione Eccleſiæ dignus habendus ſit

ipſe

ipſe met Jannius, qui facto experimento, reprobata tamen relatione Examinatorum, ſe idoneum eſſe demonſtrat, definivit Sacra Congregatio *in Rheginen. Parochialis* 12. *Decembris* 1761. *ad I. Dubium*, *in Cajacen. Præbendæ Theologalis* 14. *Januarii* 1764., *& in Urbanien. Præbendæ Theologalis* 23. *Junii ejuſdem anni* 1764.

Probat inſuper Jannius locupletiſſimis exhibitis documentis, ſe *Laureatum* eſſe, ſuamque pietatem, laudabiles mores, aliaque virtutum merita, quibus ornatur, omnibus reddere ſuaviſſimum: Quocirca nihil ultra deſiderari poſſe, ut mala dicatur Examinatorum de Jannio facta reprobatio, cum Examinatores in approbandis, vel reprobandis Concurrentibus præter ſcientiam, de meritis etiam potiſſimam debeant habere rationem, uti præcepit Concilium Tridentinum *Seſs.* 24. *cap.* 18. *de Reform.*, ubi meritorum judicium exprimendum præſcripſit in relatione facienda, uti confirmat ſan. mem. Benedictus XIV. *in ſua Conſtitutione Cum illud la* 68. §. 4. ubi mandavit quòd Examinatores in ipſo Scrutinio perpenderent ſcientiam ſimul, & merita Concurrentium, *hiſque omnibus conjunctim expenſis inhabiles per ſua ſuffragia rejiciant, & idoneos Epiſcopo renuncient*, = firmavitque *Rota in Melphiten. Canonicatus Pœnitentiarii* 4. *Februarii* 1733. §. 4. *coram clar. memor. Card. Calcagnino*.

Hæc, & alia ſunt in Libello à Sacerdote Jannio circumferendo, quibus perpenſis, erit ab Eminentiis Veſtris decernendum.

An conſtet de mala relatione Examinatorum, itaut Præbenda Theologalis adjudicanda ſit Sacerdoti Ludovico Janni in caſu &c.

CIVITATIS CASTELLANÆ MISSÆ CONVENTUALIS. Parochialis, & Matrix Eccleſia S. Andreæ Terræ Vallerani Diœceſis Civitatis Caſtellanæ nuperri- *Seſs.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

mè, & menſe Septembris elapſi anni 1779. fuit in Collegiatam erecta à tribus piis Fundatoribus, facta per eos ſuorum reſpectivè Bonorum donatione, ſibi ipſis tamen reſervato illorum uſufructu, donec vixerint. Capitulum componitur ex geminis Dignitatibus, prima ſcilicet Archipresbyteri, & ſecunda Præpoſiti, quibus ineſt exercitium Curæ Animarum, nec non decem Canonicis, & quatuor Beneficiatis. Unicuique eorum annua aſſignata fuit Congrua, nimirum Archipresbytero in ſcutis quadraginta, Præpoſito verò in ſcutis triginta & octo, quæ ſummę ſunt illæ met ipſæ, quæ ab unoquoque eorum ab exercitio Curæ Animarum ante erectionem Collegiatæ percipiebantur, cuique Canonico in ſcutis vigintiquinque, & unicuique Beneficiato in ſcutis quindecim, cum onere alternatim ſubeundi quotidianum Chori ſervitium, præter præſcriptum Miſſarum lectarum numerum tàm à Canonicis, quàm à Beneficiatis quotannis celebrandarum.

Hæc tamen adjecta fuit lex, quòd durante Fundatorum vita, quilibet Canonicus pro ſua Congrua percipere tantùm debeat annua ſcuta decem, & quilibet Beneficiatus annua ſcuta quinque cum onere inſimul incumbendi Chori ſervitio omnibus anni diebus Dominicis, aliiſque feſtis de præcepto, & Quadrageſimæ, & Adventus tempore etiam diebus feriatis, ſed alternatim.

Fundatores adhuc vivunt, Attenta igitur in præſens tenuitate Præbendarum, Capitulum exorat Eminentias Veſtras pro diſpenſatione ab onere applicationis Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in Feriis Adventus, & Quadrageſimæ, donec, & quouſque Fundatores ſuperſtites fuerint,

Epiſcopus, qui fuit pro informatione, & voto de more requiſitus, tranſmiſſo Fundatorum conſenſu in ſcriptis præſtito, rationabiles, & unanimes Capituli preces confirmat, concluditque his verbis = *Quapropter attento tenuiſſimo Præbendarum redditu, & omnium intereſſe habentium conſenſu mihi videtur, quòd ab EE. VV. benigne poſſit Oratorum inſtantiæ ad tempus indulgeri, eoſdem diſpenſando ab applicatione Miſſæ Conventualis in Feriis Adventus, & Quadrageſimæ tantùm, durante Fundatorum vita; prout petitur.*

Præbendarũ redditus valde tenues nunc ſunt; Reductio enim applicationis Miſſæ Conventualis petitur dumtaxat tempora-

poranea, non autem perpetua, quam etiam ad dies tantùm festos de præcepto solet hæc Sacra Congregatio præcipere, quoties exiguitas reddituum Præbendarum concurrat, ut in specie *in Placentina Missæ Conventualis* 1. *Martii* 1777., *& in Thelesina Missæ Conventualis* 19. *Julii ejusdem anni* 1777.

Dubium proponitur.

An sit locus reductioni oneris applicationis Missæ Conventualis in casu &c.

ÆSINA MISSÆ CONVENTUALIS. Ad petitionem Priorum, & Confratrum Confraternitatis S. Mariæ Mortis Æsinæ Civitatis anno 1744. eorum Ecclesia fuit in Collegiatam erecta, unica inibi instituta Dignitate titulo Archipresbyteri, & octo institutis Canonicis cum onere annuas ab Archipresbytero, & Canonicis æquali inter ipsos celebrandi Missas lectas mille quingentas vigintiquatuor distributas in alternas hebdomadas pro Benefactoribus dictæ Confraternitatis, quarum celebrationis onus eidem incumbebat; Pro eorum Præbendis assignata fuit annua summa scutorum quatuorcentum triginta duorum à Confratribus ex reditibus ejusdem Confraternitatis persolvenda, *ex quibus* (sunt verba Apostolicarum Litterarum Erectionis) *futuri Archipræsbyter videlicet sexaginta tria, Sacrista verò major quinquaginta tria, & Camerarius quadraginta octo, & primus Confessarius alia quadraginta octo, & secundus Confessarius alia quadraginta octo, & quilibet ex primo, & secundo Præsbyteris, ac ex Diacono, & Subdiacono Canonicis respectivè nuncupandis prædictis singuli quadraginta tria scuta monetæ hujusmodi annuatim percipiant, & lucrentur.* *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Canonici preces nuperrimè porrexerunt huic Sacræ Congregationi exponentes, ipsos ignorantes Encyclicam sa: mem. Benedicti XIV., quæ incipit *cum semper oblatas*

tas, celebrasse quotidiè Missam Conventualem, eam tamen non applicasse pro Benefactoribus in genere, habitaque post triennium de ea notitia, considerantes onus illius applicationis ipsos ferre non posse, attenta modicitate reddituum, institisse penes prædefunctum Æsinum Antistitem pro absolutione, & dispensatione, & ab eo sub die 7. Februarii 1748. absolutos fuisse, & dispensatos ab onere applicationis, exceptis diebus festis de præcepto, quod hactenus observatum fuit tam ab ipsis, quàm ab aliis quatuor Canonicis, qui eorum Capitulo fuerunt à piis Benefactoribus superadditi particulari constituta Præbenda; Jure autem dubitantes de præfati Episcopi auctoritate reducendi Missam Conventualem ad dies tantùm festos de præcepto, supplicant pro dictæ reductionis confirmatione cum absolutione quoad præteritum.

Litteræ pro Informatione, & voto cum relatione annui redditus uniuscujusque Canonicatus datæ fuerunt hodierno Episcopo, qui exposita confirmat, Canonicos verò, ut exaudiantur dignos esse arbitratur = *ea maxime ductus ratione quod eorum Præbendæ (si de novem primis Canonicis agatur) detractis Missarum oneribus adeo tenues sint, ut vix, & ne vix quidem ad honestam Canonicorum sustentationem sufficiant. Archipræsbyter enim Præbendam possidet scutorum tàntum quadraginta sex; Primus Sacrista scutorum triginta sex; tertius, quartus, & quintus Canonicus scutorum triginta unum; tandem postremi quatuor Canonici Præbendam possident scutorum viginti sex, ex quibus detractis insuper expensis pro vestium Canonicalium manutentione, pro strenis, aliisque de jure, & consuetudine expendendis, Præbendarum fructus minime ad eorum sustentationem sufficiunt.*

Addit = *quod iidem Canonici Missas mille quingentas viginti quatuor ex ipsa institutione quotannis celebrant pro Benefactoribus Societatis, ex cujus Bonis novem Præbendæ dicti Capituli constant, qui quidem Missarum numerus ultro exuberat numerum Missarum quotidianaram* = ideoque = *expeditam gratiam concedendam fore judicarem.*

Requisitus iterum fuit Episcopus, ut referret, quomodo Præbendarum primævus fructus sit imminutus, & an facta sit separatio pro distributionibus, & quæ summa unicuique Canonico ex ipsis annuatim obveniat ultra redditum respectivarum Præbendarum, & demum an Chori servitium sit quotidianum.

His

His omnibus ſatisfecit Epiſcopus. Is enim retulit, quòd= *Dos ex ipſa Collegialis Eccleſiæ inſtitutione à Prioribus, & Confratribus Societatis Mortis primitus conſtituta nequaquam imminuta fuit, ſed eadem ſumma ſcutorum nempe quatuorcentum triginta duorum quotannis, & de bimeſtre in bimeſtre perſolvitur ab Æconomo Societatis mortis in manibus Canonici Camerarii* = Subditque = *Cùm autem Archipræsbyter, & Canonici, ut Inſtitutionis Decreti verbis utar, annuas mille quingentas viginti quatuor Miſſas lectas, alias præfatæ Confraternitatis onus, inter prædictos Archipræsbyterum, & Canonicos æqualiter alternis hebdomadis diſtributis celebrare teneantur, nempe unuſquiſque eorum Miſſas* 170.; *ſequitur, ut unuſquiſque Canonicus onus ſcutorum decem, & ſeptem ſuſtineat, atque ideo quælibet Præbenda in ſcutis decem, & ſeptem imminuatur* = ita ut = *Præbenda Archipræsbyteri erit tantum ſcutorum* 46., *Sacriſtæ Majoris* 36., *Camerarii, primi, & ſecundi Confeſſarii* 31., *primi, & ſecundi Præsbyteri, Diaconi, & Subdiaconi* 26. *compræhenſis etiam Diſtributionibus quotidianis. Quæ quidem proviſio inſufficiens omnino videtur ad honeſtam dictorum Canonicorum ſuſtentationem.*

Ulterius retulit = *Facta quidem fuit ſeparatio pro diſtribu= tionibus ad formam Litterarum Apoſtolicarum; Ex integra enim ſumma ſcutorum* 432. *detrahitur quolibet anno tertia pars in uſum Diſtributionum quotidianarum inter Archipræsbyterum, & Canonicos perſonaliter inſervientes dividendarum juxta Decretum Erectionis. Hujuſmodi autem Diſtributiones nihil revera accreſcunt Canonicis perſonaliter inſervientibus niſi in caſu, in quo aliquis legitimo ceſſante impedimento, perſonaliter non inſerviat, & Choro non adſiſtat, ac proterea quòd uni adjungitur, alteri detrahitur.*

Retulitque demum, quòd = *Chori ſervitium quotidianum eſt, cui feſtis diebus, & in majori Hebdomada intereſſe tenentur omnes, feriatis, verò diebus alternatim pro medietate* = iterumque in voto eſt pro poſtulatæ gratiæ conceſſione.

Pro decernenda ſufficientia, vel inſufficientia Præbendarum, ſeu Beneficii onera, & præſertim Miſſarum detrahenda eſſe reſpondit Sacra Congregatio *diei* 19. *Martii* 1639. *lib.* 16. *Decr. pag.* 158., prout refert *Scarfant.*

Lu-

Lucubr. Canon. tom.2. Animadverſ. ultim. num. 22.. Paſſim enim eadem Sac. Congregatio, attenta tenuitate fructuum Præbendarum, applicationem Miſſæ Conventualis reducendam eſſe ad dies tàntum feſtos de præcepto decrevit in ſpecie *in Amerina Miſſæ Conventualis* 12. *Martii* 1746., *& in Placentina Miſſæ Conventualis* 1. *Martii* 1777.

Quæritur.

An, & quomodo ſit locus reductioni applicationis Miſſæ Conventualis in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 5. Auguſti 1780. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX *Folio* poſtremæ *Congregationis* habitæ *die* 15. *ſuper elapſi menſis Julii*, quinque, quas primò ſubiicimus, Cauſæ expediendæ ſuperſunt. Rogamus itaque Eminentiſsimos Patres, ut idem *Folium* conſulant, quo ſpecies, rationeſque, quæ in Cauſis illis proponuntur, ad memoriam revocare poſsint.

MACERATEN. JURIS FUNERANDI; cujus duo ſunt Capita. *Seſs.25.cap.13. de Reform.*

I. *An, & cui competat jus peragendi exequias, aliaſque functiones funebres occaſione tumulationis Cadaverum in Eccleſia S. Joannis Maceratæ in caſu &c.*

II. *An, & cui debeantur emolumenta funeralia pro Cadaveribus, quæ ſepeliuntur in dicta Eccleſia in caſu &c.*

Dilata ad Primam poſt aquas citato Parocho S. Mariæ della Porta.

CIVITATIS PLEBIS, in qua reſpondendum eſt. *An ſit ſtandum vel recedendum à deciſis in caſu &c.* *Seſs.25. cap. 5. de Reform.*

In Deciſis, & amplius.

Sess.24.cap.18. de Reform. SUTRINA PRÆBENDÆ THEOLOGALIS, in qua ambigitur.

An constet de mala relatione Examinatorum, itaut Præbenda Theologalis adjudicanda sit Sacerdoti Ludovico Janni in casu &c.

Non proposita, & Scribatur Episcopo juxta mentem.

Sess. 25. cap.4. de Reform. CIVITATIS CASTELLANÆ MISSÆ CONVENTUALIS, cujus Dubium est.

An sit locus reductioni oneris applicationis Missæ Conventualis in casu &c.

Dilata, & Scribatur Episcopo qui referat quantumquisque ex tribus Fundatoribus assignaverit tradendum post uniuscujusque Fundatoris mortem.

Sess. 25. cap.4. de Reform. ÆSINA MISSÆ CONVENTUALIS, cujus est unum Caput.

An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ Conventualis in casu &c.

Quoad præteritum ad D. Secretarium facto verbo cum Sanctissimo, quò verò ad futurum negativè.

NUL-

NULLIUS FARFEN. PUNCTATURARUM. In Collegiata Ecclesia Terræ Tophiæ Nullius Farfen. provisus fuit Canonicatu Clericus Calixtus Ranfi ex dicta Terra. Is studiorum causa se contulit ad Seminarium S. Salvatoris Majoris ejusdem Abbatiæ, prævio tamen abessendi Indulto causa Studiorum, ad biennium valituro amissis distributionibus quotidianis ab hac Sacra Congregatione obtento, quod sub die 29. Novembris 1677. fuit ad aliud biennium prorogatum. *Sess. 6. cap. 2. de Reform.*

Ast quia Canonici dictæ Collegiatæ Ecclesiæ in respectivis eorum absentiis à Choro vicissim sese tolerabant, spretis omnibus pro Punctaturarum solutione latis Decretis in Sacris Visitationibus, hinc hodiernus Archiepiscopus Administrator deputatus in ejus postrema Sacra Visitatione superiori anno 1779. peracta præcepit, ut Canonici absolutè, certa indicta pecuniarum pœna, eorum debito satisfacerent. Quare Canonici Punctatores omnium Canonicorum numerarunt absentias, quas inter numerarunt etiam illas Canonici Calixti Ranfi ascendentes ad scuta 31., pro quorum solutione in jus vocarunt eumdem Canonicum Calixtum coram Abbatiali Curia Farfen, & contra ipsum Mandatum executivum retulerunt.

Quapropter idem Canonicus Calixtus Ranfi recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem, exhibitisque precibus, duo postulavit, primum, quòd à Punctaturis absolveretur, & alterum, ut Indultum abessendi à Choro, & à residentia ad aliud biennium prorogaretur, studiorum adhuc perdurante causa.

Archiepiscopus Administrator Abbatiæ Nullius Farfen., qui fuit pro Informatione, & Voto requisitus, quæ supra relata sunt, & ipse quoque retulit, confirmavitque, & Votum suum aperuit his verbis = *In hoc absentiæ à Choro illorum distingui debent, qui desiderantur vel ob negligentiam, vel ob negotia ab iis, qui ob studiorum causam non interfunt, & ideo necessariam licentiam benigne ab EE. VV. consequuntur cum Clausula = Dimissis distributionibus quotidianis, si ascenderint ad tertiam partem fructatus, sin minus dimissa tertia parte = Ita res est de Canonico Ranfi, qui se ad Seminarium contulit S. Salvatoris Majoris cum hujus Sacræ Congregationis licentia, & consensu Capituli; idem denuo deprecatus est EE. VV. ad aliud biennium anno 1777., & adnexum obtinuit Rescriptum, de quo consulente Capitulo, adversus Ranfi schismata, con-*

trariaque argumenta exorta ſunt . Veritas tamen eſt , neminem unquam , qui Studiorum cauſa non interfuit Choro , perſolviſſe , nec tertiam partem dimiſiſſe fructatus , unde æquum arbitror , ne Canonicum quidem Ranfi perſolvere debere , vel tertiam dimittere partem , dummodo pondera per alium ſatisfiant .

Certum enim eſt , Dominicum Ranfi Archipræsbyterum Collegiatæ , dum incumbebat ſtudiis in Seminario Romano , ſub *die* 27 *Septembris* 1732. obtinuiſſe abeſſendi Indultum ab hac Sacra Congregatione uſquequo vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum compleverit , omnibus interim perceptis fructibus , amiſſis dumtaxat diſtributionibus quotidianis , ut *in lib.* 82. *Decr. pag.* 510. Idemque Indultum cauſa Studiorum ad triennium obtinuiſſe ſub *die* 15. *Januarii* 1749. Canonicum Ignatium Antoniani ætatis ſuæ annorum decem , ut *in lib.* 99. *Decret. pag.* 24. , quod eidem *ſub die* 20. *Novembris* 1751. prorogatum fuiſſe ad aliud aliud bennium patet *ex lib.* 101. *Decr. pag.* 524. *terg.* : Neutrum verò multatum fuiſſe teſtatus eſt Archiepiſcopus Adminiſtrator , dum dixit in ſua Relatione = *neminem unquam , qui ſtudiorum cauſa non interfuit Choro, perſolviſſe , nec tertiam partem dimiſiſſe fructatus* ,

Videtur igitur , Canonicum Oratorem non eſſe ad punctaturarum ſolutionem condemnandum , quoties ipſe fuit abſens à reſidentia , & Chori ſervitio cauſa ſtudiorum in Seminario S. Salvatoris Majoris , obtento prius Indulto ab hac Sacra Congregatione , *Fagnan. in cap. Cum ad hoc de Cleric. non reſident. fere per tot.* , *Barboſ. ad Concil. Trident. Seſſ.* 5. *cap.* 1. *de Reform. num.* 56. , *Card. Petr. in Comment. ad Conſtit. X. Bonifacii VIII. num.* 7. , *& ſeqq. tom.* 3. , *& Scarfant. ad Ceccoper. lib.* 2. *tit.* 11. *num.* 30.

Idem Canonicus Calixtus adhuc in dicto Seminario degit Studiorum cauſa . Nunc docet , ipſum per alium , nimirum per Canonicum Dominicum Palombi , & per Sacerdotem Horatium Benedetti hactenus adimpleviſſe , & adimplere tum onera ſui Canonicatus , tum Cappellaniæ eidem relictæ à Canonico Joanne Baptiſta Blaſini , ut patet ex eorum juratis , exhibitiſque depoſitionibus : Docetque pariter , exhibita Baptiſmatis fide, ipſum eſſe in vigeſimo ſuæ etatis anno conſtitutum , utpotè natum

die

die decimaquarta mensis Octobris anni 1760.. His perpensis deliberandum erit.

I. *An debeantur Punctaturæ in casu &c.*

II. *An sit locus prorogationi Indulti in casu &c.*

Ad I. negativè amissis tamen distributionibus quotidianis ad formam Indulti; Ad II. affirmativè ad aliud biennium ad formam præcedentis Indulti.

Reliquæ non propositæ.

MELEVITANA LEGATI: Raphael Paulus Callus e Civitate Vallettæ Melitensis Diæcesis anno 1753. suum condidit Testamentum, in quo inter cætera mandavit, quòd plures certis cujusvis anni præscriptis diebus Missæ, & Anniversaria celebrarentur: Jussit etiam, quòd triennio post ejus obitum à Maria Theresia Clodovæa ejus unigenita filia, quam universalem ex asse sibi scripserat hæredem, = *de pecuniis, vel Censibus bullalibus hæreditariis ipsius D. Testatoris secernantur scuta mille, & quingenta, ut administrentur separatim per ipsam met D. infrascriptam ejus hæredem, & in hujus defectu per aliquem, vel aliquam ejus Descendentem majorem natu* = Voluit, quòd de hujusmodi administratione particularis retineatur Codex, & Arca pro conservatione Capitalis, & fructuum, quòdque = *scriptis, & adnotamentis dictæ Dominæ ejus filiæ, quæ fient in dicto libro omnino præstetur plena fides absque ulla necessitate alterius probationis* = quòdque demum dicta scuta mille, & quingenta cum eorum fructibus multiplicari deberent *per annos saltem triginta, vel quadraginta circiter*. *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Præcepit insuper, quòd elapso decennio à die incæpti Multiplici, dicta Missarum, & Anniversariorum onera essent cum ejusdem Multiplici fructibus satisfacienda, quòdque ex Multiplici fructibus annua scuta quinque illius Administratori solverentur. Præcepit pariter,

ter, quòd cum Multiplicum attigisset summam scutorum quinque, vel sex millium, *quot arbitrabitur ejusdem Cumuli Administrator masculus, vel fœmina, esse necessaria, ut investiantur, & convertantur* = tunc Testator investiri, & converti mandavit in emptionem Bonorum Stabilium annui redditus saltem scutorum centum, ex quibus, demptis præfatis Missarum, & Anniversariorum oneribus, totum id, quod supereffet ex dictis scutis centum, legavit Possessori Canonicatus à Camilla Testaferrata, & Cagnani fundati in Collegiata Ecclesia S. Pauli Apostoli dictæ Civitatis Vallettæ, cujus jus nominandi, & præsentandi ad eumdem Testatorem, ejusque Descendentes pertinebat, dummodo tamen Canonicus esset *de descendentia, vel saltem Extraneus præsentatus à Descendentia ipsius D. Testatoris*, quin imò quatenus Canonicus esset legitimus, & naturalis descendens à Testatore, tunc præcepit, quòd *post lapsum, & multiplicationem fructuum solius temporis annorum viginti*, suspenso Multiplico, omnes illius fructus excedentes onera prædicta eidem Legati titulo traderentur, donec viveret, eoque defuncto, Multiplicum prosequendum esset *per cursum dictorum annorum triginta, vel quadraginta circiter*.

Anno 1755. idem Testator Codicillum exaravit, in quo plura addidit circa Fideicommissum per ipsum Testamento conditum super ejus Bonis. Alterum Testator explevit Codicillum anno 1756. super Multiplico, quod in Testumento fieri jusserat: Præcepit primò, Testamentum non valere in ea Multiplici parte huic Codicillari dispositioni contraria; Voluit sècundo, quòd si ipse Bibliothecam suam non alienaverit, tunc esset illa alienanda ab ejus hærede, ejusque pretium unà cum supplemento ab eadem hærede ex pecuniis hæreditariis faciendo usque ad summam scutorum trium millium, *vuole, che lo debba tenere, e conservare separatamente in una Cassa fermata à chiave, con tenervi in essa due Libri, in uno de quali si scriverà l'introito, e nell' altro l' esito di detto danaro, e suo frutto separatamente dall' altro suo danaro, senza però esser tenuta di render conto veruno à chi che sia, mà solamente alla di lei propria Coscienza*.

Jussitque, dicta scuta tria millia erogari in emptionem tot Censuum, eorumque fructus multiplicari per lapsum tri-

triginta annorum numerandorum à die, quo hæres Bibliothecam vendiderit; Voluit tamen, quòd ejus hæres de eo, quod suppleverit usque ad summam scutorum trium millium post quindecim annos ex Multiplico se ipsam reintegraret, nec aliter hæc reintegratio fieret, nisi in casu, quo in Multiplico superextarent scuta quatuor millia, *quali dovranno proseguire il loro multiplico per il rimanente delli anni trenta, dopo li quali anni trenta vuole, che si prosegui sca il moltiplico, benchè d'allora in poi dalli frutti, che si caveranno si diano scudi Cento per anno in primo luogo à quello, che sarà Canonico di detta Collegiata, e descendente di detto Signor Codicillante, e dopo il detto Canonico, e non essendovi tale Canonico, vuole, che dalli frutti, che avanzaranno, siano provisti li Giovani descendenti di detto Testatore, che dopo laurati col privilegio del Dottorato vorranno esercitare la professione d'Avvocato, ed avranno compita l'età di annì ventidue, quali esercitando la professione in Malta avranno scudi mille per comprare li libri delia professione.*

Sub hisce dispositionibus decessit Testator anno 1758.: Illius autem Bibliotheca vendita fuit ab hærede anno 1764., recepto pretio scutorum 1279., ita ut pro supplemento summæ scutorum trium millium multiplicandorum, ut ipse Testator in Codicillo præceperat, eadem Clodovæa, ejusque filia Rosalinda, Testatoris respective Filia, ac Neptis ipsius hæredes summam hactenus scutorum 1600. in tot Censibus cum pecuniis hæreditariis emptis assignaverint.

Vacato Canonicatu, ad illum fuit institutus Joseph Calleja vi nominationis ei cessæ à dicta Rosalinda. Authumans Canonicus, Multiplicum nunc ascendere debere ad summam scutorum 3337. satis idoneam pro emendis Bonis Stabilibus, quæ redderent annua scuta centum eidem legata, hinc preces porrexit huic Sacræ Congregationi, exoratque pro facultate adigendi Rosalindam, ut deponat antedictam summam scutorum 3337. ad effectum emendi tot Bona stabilia annui redditus scutorum centum.

Auditus Melitensis Antistes retulit, in contradictricem Canonici se præbere præfatam Rosalindam, censuitque, Canonicum in ejus instantia exaudiendum. Causa proponitur. Utraque Pars sua jura deducit in circumferendo

do libello. Animadvertendum tamen est, Canonicum jus suum desumere ex Testamento; Rosalindam autem ex Codicillo. Quod dispositum fuit in Codicillo, non autem in Testamento attendendum esse voluit ipse Testator, præcipitque juris dispositio, de qua *Textus in Leg. Ante Tabulas in fin.*, & *Leg. Divus §. licet de Jur. Codicill.*

Animadvertendum pariter est, an Canonicus jus habeat ad assequendum Legatum, dum ipse extraneus est, & Testator in suis Codicillaribus Tabulis Legato honoravit Canonicum illum, qui ex sua esset descendentia, & post elapsum triginta annorum tempus.

Et quantumvis jus Canonici metiendum esset ex Testamento, in quo Testator ad assecutionem Legati vocaverit tam Canonicum descendentem, quàm Extraneum, dummodo fuerit præsentatus à Descendentia ipsius Testatoris, inferius tamen suæ mentis arbitrium declaravit his ponderandis verbis = *quòd si in dicto Canonicatu fuerit institutus aliquis, qui non sit descendens ipsius D. Testatoris, sed Extraneus quamtumvis fuerit præsentatus à Descendente ipsius D. Testatoris Patrono in sua alternativa, non poterit talis Extraneus habere dictam prærogativam interrumpendi cursum dicti Multiplici, & consequendi fructus dicti Legati, nisi post lapsum, & cursum dictorum annorum triginta, vel quadraginta circiter decurrendorum in multiplicatione dictorum fructuum, itaut fuerint acquisita jam dicta Bona Stabilia annui redditus dictorum scutorum centum, & non aliter.*

Quæritur.

An sit locus consecutioni Legati in casu &c.

Negative & amplius & ad mentem, & mens est quod Episcopus incumbat executioni piæ dispositionis fundatoris & amplius.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

NOVARIEN. REDUCTIONIS. Hieronymus Pescatori degens in Oppido Momi Novariensis Diœcesis anno 1608. per Contractum inter vivos quosdam Census annui redditus scutorum octodecim circiter, ac præterea Domum unam, unumque Terræ petium stariorum decem, & octo donavit Confraternitati SSmi Sa-

Sacramenti dicti Oppidi, onere adjecto; quòd Confraternitas eligeret Præsbyterum, qui deberet Missam celebrare singulis diebus Dominicis, aliasque quatuor in hebdomada, nec non gratis grammaticæ rudimenta pauperes pueros ejusdem Oppidi, ac etiam diebus festis Doctrinam Christianam docere teneatur.

Hæc accepto tulit Confraternitas, sibi tamen reservato jure petendi onerum reductionem, quatenus Bonorum donatorum redditus impares essent pro illorum implemento. Et reapse, antequam eadem Donatio suum sortiretur effectum, ipse met Donans ad instantiam Confraternitatis publico stipulato Instrumento anno 1610. prædictas quatuor Missas in qualibet hebdomada ad tres tàntum reduxit, quo onere imminuto, Confraternitas donationem in omnibus acceptavit, oneraque adimpleri curavit.

Onera alia fuerunt per Confraternitatem adjecta huic Præsbytero, seu Cappellano: Vèrum cum à pluribus mensibus vacaverit Cappellania, nemo Præsbyter nunc reperitur, qui eam postulet, vel oblatam acceptare velit propter tenuitatem reddituum pro ferendis oneribus prorsùs imparium. Quare Confraternitas hanc Sacram Congregationem supplicavit pro Missarum reductione.

Super his precibus requisitus Episcopus post relatos Contractus initos Donantem inter, & Confraternitatem, sic ait = *Tractu verò temporis huic Cappellaniæ Laicali per dictam Confraternitatem unitæ fuerunt aliæ donationes, & onera, ut constat ex Inventario anni* 1699. *in forma probante mihi exhibito, ex quo colligitur, redditus dictæ Cappellaniæ esse scutorum* 36. *circiter provenientium ex quibusdam Domibus, Censibus, fundis, & ex mutuis pro majori parte. Onera verò Cappellano pro tempore imposita esse, celebrare Missam singulis festis diebus, & quinquies in hebdomada in Aurora, & præterea septem alias Missas infra annum, litteras docere pueros pauperes, & Doctrinam Christianam, audire Sacramentales confessiones, interesse omnibus functionibus Ecclesiasticis, & præcipue quolibet Sabbato recitationi, seu cantui Antiphonæ Salve Regina.*

Subdit, Missarum reductionem, quæ postulatur, non esse admittendam ex sententia Sacræ hujus Congregationis, quia illarnm celebratio provenit ex fundatione, & ex

Contractu, redditus verò non esse imminutos, imò pares pro Missarum celebratione, impares autem pro aliis ferendis oneribus, = *quorum præcipuum videtur Sacramentales Confessiones audiendi: Porro attenta Populi illius Loci multitudine, ac attenta qualitate Paræciæ, cujus plura membra distant ab Ecclesia Parochiali per milliare unum, & amplius, solus Parochus impar est Fidelium Confessiones excipere.*

Addit = *nullum adesse in loco Sacerdotem (quod, & in futurum persæpe eveniet ob Incolarum paupertatem) Extraneus igitur ad Cappellaniam est eligendus: Ast is Domum Cappellaniæ redditus scutorum 5. $\frac{1}{2}$ inhabitabit; quæ proinde scuta in redditus Cappellaniæ computari non debent, prout juxta stylum hujus Curiæ in admissione titulorum ad Ordines non computantur redditus Domus inservientis pro habitatione Clerici, seu Sacerdotis.*

Concluditque sequentibus verbis = *Quamquam igitur juxta generalem regulam sapientissime adoptatam nullus prædictarum Missarum reductioni locus adsit, tamen ut perpetuo dictæ Cappellaniæ adimplemento, utque bono spirituali Populi Momi quoquo modo salubriter consulatur, opportunum, ac Deo gratum fortasse erit petitæ reductioni benigniter indulgere.*

Regula juris est, Missarum celebrationem ex Contractu profilientem reductioni non subiicere ex traditis per *Card. de Luca disc.* 33. *Miscellan. Eccles. num.* 5., *Pignattel. Consult.* 69. *num.* 2. *tom.* 6., Sacra Congregatio *in Faventina Oneris Missarum* 27. *Februarii* 1735., *& in Faventina Reductionis Missarum* 18. *Novemb.* 1747., præsertim in casu, in quo redditus Bonorum assignatorum imminuti non sunt, quinimo pares pro Missarum celebratione, quæ in concursu cum aliis oneribus, si redditus non suppetunt pro omnium onerum implemento, præferri debet cæteris oneribus, quæ potius minuenda, vel reducenda sunt, *Fagnan in Cap. Ex parte* 24. *de Constit.*, *Monacell. in formular legal. tom.* 1. *formul.* 19. *tit.* 10. *num.* 25., *& seqq.*, & *san. mem. Benedictus XIV. de Synodo Diæces. lib.* 13. *cap. ultim. n.* 23. Dubium est.

An, & quomodo Confraternitatis precibus sit annuendum in casu &c.

LEO-

LEODIEN. In Collegiata Ecclesia Munsterblisiensi Leodiensis Diœcesis duo fuerunt perantiquis temporibus fundata, erectaque Beneficia, unum scilicèt sub invocatione S. Andreæ, & alterum S. Nicolai. Utrumque Beneficium onus habet Missarum celebrandarum, nam illud S. Andreæ fert onus annuarum Missarum centum quatuor, nunc auctum ad alias Missas duodecim annuatim ex nuperrima fundatione facta à Baronissa de Dienheim, & sic onus incumbit Beneficiato annuas in totum celebrandi Missas centum sexdecim pro Beneficio S. Andreæ. Illud autem S. Nicolai adnexum habet onus celebrationis annuarum Missarum centum triginta. *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Utrumque Beneficium nunc possidet Joannes Fock, qui Missarum onus implevit per totum annum 1765., non ita tamen posterioribus annis, quoniam Beneficiatus in decursu quatuor annorum ab anno scilicèt 1767. inclusivè usque ad annum 1770. celebrationem omisit quingentarum triginta quinque Missarum ad utrumque Beneficium pertinentium. Ast perdurante Beneficiati contumacia, Capitulum suis utens juribus prætermissam Missarum celebrationem adimplere curavit per alios Beneficiatos, eisdem de proprio soluto stipendio, cujus reintegrationem Capitulum petiit à Beneficiato, qui eam negavit contendens nullum Missarum onus Beneficiis suis inhærere.

Quare pro parte Abbatissæ, & Capituli Munsterblisiensis porrectæ fuerunt preces huic Sacræ Congregationi, ut cogatur Beneficiatus ad restitutionem pecuniarum, quas Capitulum de proprio rependit pro honorario celebratarum Missarum, quas Beneficiatus per quatuor annos omiserat.

Litteræ datæ fuerunt Apostolico Nuntio Colonienſi, ut moris est, pro Informatione, & Voto. Is post relatas utriusque Partis longa informatione rationes, censuit = *Rev. D. Joannem Fock ad satisfactionem, seu reintegrationem Missarum omnium teneri, quas ipse legere prætermisit, quasque Capitulum Munsterblisiense prævia signanter monitione aliis Sacerdotibus legendas distribuisse probabit.*

Longum esset hìc referre jura, quæ à Capitulo deducuntur in ejus circumferendo Libello, in quo ea legere poterunt EEmi Patres. A Joanne Fock nihil hactenus habuimus. Tria sunt, quæ proponuntur, Dubia.

I. *An Beneficia S. Andreæ, & S. Nicolai habeant adnexum onus celebrationis, & applicationis Missarum in casu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An, & in qua quantitate Missarum anno quolibet celebrare teneatur Rector utriusque Beneficii in casu &c.*

III. *An, & in qua quantitate Missarum teneatur Rector eorumdem Beneficiorum reintegrare Capitulum Munsterblisiense de eleemosynis solutis aliis Beneficiatis, quibus distribuit celebrandas Missas neglectas à Rectorpræfatorum Beneficiorum ab anno 1766. in posterum in casu &c.*

Die Sibbathi 26. Augusti 1780. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DUÆ, quæ sequuntur, Causæ *in ultima Congregatione* habita *die* 5. *hujus mensis* proponi non potuerunt, Rogamus igitur Amplissimos Patres, ut *resumpto folio dictæ Congregationis* eas expediant.

NOVARIEN. REDUCTIONIS, in qua disquiritur, *An, & quomodo Confraternitatis precibus sit annuendum in casu &c.* *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Negativè quoad onera expressa in donatione Pescatoris, & per sodalitium acceptata,

LEODIEN., cujus tria sunt Capita.

I. *An Beneficia S. Andræe, & S. Nicolai habeant adnexum onus celebrationis, & applicationis Missarum in casu &c.* = & quatenus affirmativè. *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

II. *An, & in qua quantitate Missarum anno quolibet celebrare teneatur Rector utriusque Beneficii in casu &c.*

III. *An, & in qua quantitate Missarum teneatur Rector eorumdem Beneficiorum reintegrare Capitulum Munsterblisiense de eleemosynis solutis aliis Beneficiatis; quibus distribuit celebrandas Missas neglectas à Rectore præfatorum Beneficiorum ab anno 1766. in posterum in casu &c.*

Dilata ad primam post aquas;

SUTRINA PRÆBENDÆ THEOLOGALIS. Species hujus Causæ data fuit *in Folio Congregationis diei* 15. *præteriti mensis Julii*, sed ea die proponi non potuit: In postrema verò *Congregatione* habita *die* 5. *currentis mensis* *Sess. 24. cap. 18. de Reform.*

sis Sacrum hoc Tribunal rescripsit = *Non proposita* = Hujus Rescripti ratio non alia extitit, nisi quia cum Eminentissimis Patribus nullum factum fuerit verbum de resignatione sub reservatione Apostolicæ dispensationis facta, dubium illis, & quidem justum subortum est, eam factam fuisse in manibus Episcopi à Canonico Cajetano Suscioli favore Sacerdotis Janni, quæ jure nec admitti, nec sustineri poterat. Huic errori occurrens Sacerdos Janni *nunc exhibitis* Documentis probat, Canonicum Suscioli Procuræ Mandatum obsignasse sub die 25. Septembris superioris anni 1779., ex quo constat, eumdem Canonicum non aliter Theologalem Præbendam suam liberè renunciasse Sacerdoti Janni, nisi sub Beneplacito Apostolico, & pro hujusmodi effectu certum hìc in Urbe Roma constituisse Procuratorem, ut pro resignatione admittenda supplicationem exhiberet SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO *fæliciter Regnanti*, utque juramentum interponeret super realitate renunciationis cum declaratione, quòd in ea nullus dolus, nulla fraus, nullaque Simoniæ labes interceserit.

Probat insuper Sacerdos Janni, Supplicationem factam Summo Pontifici pro obtinenda Collatione præfatæ Præbendæ Theologalis vi dictæ Resignationis, seù renunciationis præsentasse in Dataria Apostolica usque à die 27. ejusdem mensis *S*eptembris 1779., Apostolicarumque Resignationis, & Collationis Litterarum expeditionem fieri nequivisse, deficientibus Testimonialibus Episcopi, qui eas dare renuit, nisi Resignatarius approbatus fuisset in examine, quod ipse subivit die 18. mensis Novembris dicti anni 1779. cum illius reprobatione, à qua fuit reclamatum, inquirendumque nunc est de ejusdem reprobationis justitia, vel injustitia.

Causa reproponitur. Novus Libellus erit à Sacerdote Janni circumferendus. Quod autem juris est, pertinet ad Eminentias Vestras *resumpto Folio dictæ Congregationis diei* 15. *transacti mensis Julii* perpendere simul, & definire Dubium, quod iterum datur.

An constet de mala relatione Examinatorum, ita ut Præbenda Theologalis adjudicanda sit Sacerdoti Ludovico Janni in casu &c.

Non proposita.

ASTEN.

ASTEN. JUBILATIONIS. Sacerdos Carolus Dominicus Valenti Canonicus Theologus Cathedralis Ecclesiæ Astensis ætate gravis annorum septuaginta sex, & mala affectus valetudine preces porrexit huic SacræCongregationi narrans, præstitisse servitium dictæ Cathedrali Ecclesiæ per longum tempus annorum quadraginta-quatuor, nimirum à die 9. Aprilis 1736. ad annum usque 1751. tamquàm Coadjutorem, & post obitum sui Coadjuti tamquam Canonicum ad hæc usque tempora: Narravit insuper, quòd idem, dùm, erat Coadjutor, simul,& semel publicus erat Anteceſſor SacræTheologiæ in reali Collegio Astensi, quòdque hanc facultatem professus est usque ad obitum Coadjuti; quòd tempore Coadjutoriæ solitus erat peragere præscriptis temporibus Sacræ Scripturæ Lectionem, nec non diebus omnibus festis, aliisque feriatis, in quibus erant Scholasticæ vacationes, interessendi horis tàntum matutinis, dùm pro cœteris horis Canonicis, & pro assiduo Chori servitio interfuit Coadjutus; eo verò defuncto, cum Orator in Canonicatu Theologali succesſerit, idem hactenus servitium assiduum, & laudabile Choro, & Ecclesiæ præstitit.

Sess.24.cap.12. de Reform.

Postulavit itaque, ut ejus attento servitio quadragintaquatuor annorum, & ratione suæ senectutis, & malæ valetudinis dispensaretur Jubilationis Indulto à servitioChori & Ecclesiæ, promptum sese offerens, Indulto non obstante, prosequendi præfinitis temporibus Lectionem Sacræ Scripturæ in satisfactionem oneris, quod secumfert ejus Theologalis Præbenda.

Episcopus Litteris datis die 10. proximè præteriti mensis Maii refert, vera esse, quæ in precibus Orator exposuit, subdens = *animadvertendo signanter, quòd in quadraginta quatuor annis, quibus dictus Orator huic Cathedrali Ecclesiæ suum servitium laudabiliter præstitit, quindecim itidem anni comprehenduntur, in quibus Orator ipse fuit insimul Coadjutor, & Anteceſſor Sacræ Theologiæ in hoc reali Collegio; atque hìc incidenter mihi liceat subjungere, Viros plurimos Ecclesiasticos ex ejusdem institutionibus doctrina præclaros, ac in Theologica facultate Magistros prodiisse, qui tùm ad Animarum regimina, tùm ad Ecclesiasticas Dignitates obtinendas meritò delecti fuerunt* = Quare licèt Orator præfatus per dictos annos quindecim non continuò, videlicèt non per omnes quotidianas horas Canonicas Ecclesiæ conservierit, censeo nihilominus, ipsum, attenta præsertim ejus gravi ætate

an-

annorum *septuaginta sex, ac infirma valetudine, petitum Jubilationis Indultum promereri, ea tamen limitatione æquitative servata, ut idem Orator quotidianas percipere valeat distributiones, quas per servitium Ecclesiæ ab eo personaliter præstitum, aut alia ex justa causa de præterito lucrari conquerit. Hæc omnia Capitulum Ecclesiæ meæ per me auditum Jubilationi hujusmodi consentiens plene confirmat.*

In aliis verò litteris scriptis die 21. Junii proxime præteriti Episcopus addit his verbis = *de novo affirmo, omnia in eisdem precibus exposita vera esse, & præsertim quindecim annorum tempore, quo Orator fuit insimul Coadjutor, & publicus Sacræ Theologiæ Professor, Coadjutum suum servitio Ecclesiæ assidue suppleviſſe.*

Mos est, & consuetudo hujus Sacræ Congregationis concedendi Jubilationis Indultum Canonicis, qui Ecclesiæ suæ continuum, & laudabile servitium præstiterint per annos quadraginta, de qua consuetudine testantur plurimæ illius Resolutiones, & præsertim in Causa *Calaguritana Jubilationis ad II. Dubium 2. Maii 1733., in Civitatis Castellanæ 29. Novembris 1766., & in Lauretana Jubilationis 2. Decembris 1775. ad I. Dubium*, ita ut Canonici vi hujus Indulti nedum integros percipiant eorum Præbendæ fructus, sed etiam lucrifaciant quotidianas distributiones, fallentias, cæteraque emolumenta, quæ ab Intereſſentibus lucrantur, & eos inter distribuuntur, perinde ac si adesſent in Choro præsentes *Pignatell. tom 3. Consult. 19., Scarfant. ad Ceccop. lib. 2. tit. 6. num. 17., & tit. 11. num. 26., & seq.*, Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana lib. 3. cap. 4. §. 6., & lib. 13. cap. 9. §. 15.*, & Sacra Congregatio *in Romana Jubilationis 29. Januarii, & 5. Martii 1678. lib. 30. Decret. pag. 16., & 36., & in dicta Lauretana Jubilationis ad II. Dubium 2. Decembris 1775.*

E contra verò Jubilationis Indultum non conceditur, vel conceſſum revocatur, si forte conſtiterit, Canonicos spatio quidem quadraginta annorum, sed vel non continuò, vel non laudabiliter Ecclesiæ, & Choro inserviſſe, prout rescripsit Sacra Congregatio *in Romana Jubilationis 6. Augusti 1712. lib. 62. Decret. pag. 296., & in Constantien. Jubilationis 4. Maii 1737.*

Quibus præmiſſis, duo sunt in subjecta Facti specie ponderanda; Primum, an tempus quindecim annorum, quo Canonicus Valenti fuit Coadjutor, numerandum sit in spatio quadraginta annorum pro obtinenda Jubilatione,

& qua-

& quatenus affirmative: Secundum, an præfatus Canonicus tempore suæ Coadjutoriæ Choro, & Ecclesiæ continuò, & laudabiliter inservierit. Ad primum quod attinet, licèt Coadjutor, durante vita Coadjuti, fictus sit, non verus Canonicus *Pignatell. tom.* 4. *consult.* 185. *num.* 7., attamen quia idem etiam eo tempore Ecclesiæ, & Choro inserviit, ut Jubilationis Indultum obtineat, faciendam esse temporum conjunctionem sæpius definivit hæc Sacra Congregatio, & in specie *in Bergomen. Jubilationis* proposita 4. *Julii*, & resoluta *die* 8. *Augusti* 1716. ut in *lib.* 66. *Decret.*, & *in Dubia Jubilationum* 17. *Decembris* 1718. *ad II. Dubium*.

Quò verò ad secundum ponderandum erit, an servitium præstitum à Canonico Valenti fuerit *continuum*, & *laudabile*. De *laudabili* nulla est hæsitatio: *Continuum* autem an dici queat, dubitatur, eo quòd idem Canonicus toto tempore suæ Coadjutoriæ veluti publicus Sacræ Theologiæ Lector interfuerit dumtaxat horis Matutinis diebus festis, aliisque vacationum, impleta tamen semper Teologiæ lectione in Cathedrali Ecclesia, nec non aliis diebus, cæterisque Canonicis horis quotidie intereſſente Coadjuto.

Præ oculis habendum est, Coadjutoriam dari dumtaxat pro servitio, & necessitate Ecclesiæ, ne propter impedimentum Coadjuti Divinus Cultus detrimentum patiatur, ex Concilio Tridentino *Sess.* 25. *cap.* 7. *de Reform.*, *Pignatell. tom.* 4. *Consult.* 185. *num.* 3. *in fin.* Dum autem Coadjutus Ecclesiæ inservit, & Choro interest, cessare videtur causa, cur etiam Coadjutor eidem interesse debeat. Non enim prohibetur Coadjutus, Coadjutoria non obstante, per se ipsum Choro, & Ecclesiæ Inservire, ut declaravit Sacra Congregatio *in Florentina Præeminentiarum* 9. *Aprilis* 1718. *ad I. Dubium*: Nec tenetur Coadjutor servitium præstare, nec peragere functiones de Hebdomada, ac de Turno ad Coadjutum pertinentes, nisi in casu, quo Coadjutus nolit, vel non possit Ecclesiæ, & Choro interesse sicuti definivit eadem Sacra Congregatio *in d. Florentina Præeminentiarum ad II. Dubium*. Videndum igitur, an juge, & assiduum servitium à Coadjuto præstitum prosit etiam Coadjutori, ne is culpa, vel negligentia redargui queat, eo quòd ipse, Coadjuto intereſſente, Choro, & Ecclesiæ non interfuerit.

Animadvertendum hinc est, Canonicum Valenti Coadjutorem non ex otio, vel desidia quotidie non inserviſse,

sed impeditum ob publicas Lectiones Sacræ Theologiæ; Ipsum singulis diebus festis, aliisque Vacationum horis matutinis interfuisse vel nolente, vel impedito Coadjuto, vel eo etiam intereſſente; Ipsum Theologicas Lectiones *omnibus præscriptis diebus* in Cathedrali Ecclesia *laudabiliter* habuisse; Ipsumque demùm, vix defuncto Coadjuto, statim renunciasse publicæ Lectioni, ut assidue Choro intereſſet, prout revera eidem usque ad præsens *continuum* præstitit, & *laudabile* servitium.

Definiant EE. PP.

An sit concedendum Indultum Jubilationis in casu &c.

Affirmativè.

Sess. 25. cap. 11. de Reform.

MACERATEN. BENEPLACITI. Prior, & Patres Excalceati Ordinis S. Augustini Civitatis Maceratæ inter cætera duas possident in eadem Civitate Domos, quarum altera affecta est Cappellaniæ fundatæ usque ab anno 1677. à Francisco Compagnoni cum onere tot celebrandi Sacra ad rationem eleemosynæ perpetuæ, quot essent redditus suorum omnium Bonorum, quorum dictos Patres excalceatos hæredes instituerat; Et altera vi permutationis factæ cum Comite Turri assignata est unà cum aliis Bonis pro dote alterius Cappellaniæ, quam anno 1714. fundaverat Canonicus Augustinus Norsini onere adjecto Missarum certis, præscriptisque diebus celebrandarum.

Cum autem redditus utriusque Domus, demptis expensis pro necessariis reparationibus, manutentione viæ publicæ, & pro oneribus Cameralibus, factoque computo per decennium, non excedant annua scuta 29. 31. 2.: Et è contra Patres excalceati plurimo gravati sint ære alieno per ipsos contracto pro reædificatione Conventus cum quinque Apothecis, ex quibus anno quolibet retrahuntur annua scuta 37. 50., ideo supplicarunt hanc Sacram Congregationem pro facultate alienandi utramque Domum, ejusque respective pretium erogandi in dimissionem dicti æris alieni, nec non pro Cappellaniarum jure, & intereſſe subrogandi dictas Apothecas; Supplicarunt itidem, ut præfiniatur Missarum numerus relative ad Domum Cappellaniæ Compagnoni, pro qua Sacra juxta Bonorum redditus celebranda sunt, se-

se

se obstringentes iidem Patres post lapsum Decennium subinde decurrendum quotannis deponendi scuta quindecim, seu viginti pro reintegrandis Cappellaniis de pretio ex alienatione Domorum retrahendo, quoniam superextantes redditus hoc decurrenteDecennio in absolvendo opere Conventus sunt erogandi.

Litteræ datæ fuerunt Maceratensi Episcopo, ut Sacram hanc Congregationem super expositis instructam redderet, votumque suum aperiret. Is retulit quæ supra narrata fuerunt, censuitque, Oratores esse exaudiendos quoad petitam alienationem Domorum cum Apothecarum subrogatione, adjecta tamen eisdem Oratoribus lege annuatim deponendi in eorum Ærario scuta quinquaginta usque ad reintegrationem valoris dictarum Domorum, se tamen abstinuit à præfinienda Missarum quantitate pro Cappellania Compagnoni.

Jura sua deducunt Oratores, sustinentque, quòd licèt Bona Ecclesiæ alienari non possint, id prohibente notissima *Extravag. Ambitiose de Reb. Eccles. non alienand.*, tribus tamen ex causis illorum alienatio permittitur, quarum *prima* est, si urgeat æs alienum, vel alia necessitatis causa *ex can. Ea enim vers. Hoc jus Caus.* 10. *quæst.* 2., & *cap. ad nostram de Reb. Eccles. non alien. Secunda*, si evidens Ecclesiæ concurrat utilitas, *ex Can. fine exceptione Caus.* 12. *quæst.* 2., & *cap. ut super* 8. §. *final. de Reb. Eccl. non alienand.*, demumque *tertia*, si Bona fructus non reddant, nisi magnis cum expensis ex *can. Terrulas*, ibique *Gloss. cit. Caus.* 12. *quæst.* 2.

Contendunt insuper, unamquamque ex dictis tribus causis in hypothesi concurrere, siquidem Conventus gravatur ære alieno in sorte scutorum 1960., in cujus partialem redemptionem erogandum est pretium Domorum, quæ æstimatæ fuerunt valoris scut. 1467. 90. Itemque pro usuris æris alieni persolvunt Oratores annua scuta 58. 50., & ex Domibus percipiunt annna tantùm scuta 29. 31. 2., itaut, extincto ære alieno, vel in totum, vel pro parte cum Domorum pretio, lucrifacerent annua scuta viginti, ut supra, deponenda, cum quibus tractu temporis erunt Cappellaniæ reintegratæ pro valore Domorum, Conventus verò solutus erit ab ære alieno pro illius reædificatione contracto. Ac demùm cum utraque Domus jam vetusta sit, indigeatque plurimis reparationibus, majores erunt in posterum reparationum, & manutentionis expensæ pensiones minuen-

nuentes in diminutionem Missarum, & Animarum Fundatorum damnum.

Sacra Congregatio, una, vel altera ex dictis tribus concurrente causa, Beneplacitum pro alienandis Bonis Ecclesiæ concessit, ut videre est *in Reatina* 28. *Septembris* 1726., *in Neapolitana Domus* 13. *Januarii* 1731., *in Bononien. Beneplaciti* 28. *Martii* 1744., *& in Celsonen., seu Urgellen. Beneplaciti* 18. *Novembris* 1752.

Addunt Oratores, per hanc Domorum alienationem nullam fieri Fundatorum voluntati, injuriam, quippe quæ non immutatur, nec ullam induci Missarum reductionem, quarum celebratio futuris temporibus integrè servanda est, ut hactenus factum fuit, nimirum diebus in erectione Cappellaniæ Norsini præfinitis, & pro Cappellania Compagnoni relative ad redditus alterius ex dictis alienandis Domibus in annuis scutis quatuordecim, & obulis triginta septem, prout per vicennium adnotatum reperitur in Codice, cui titulus = *Introito, ed esito della Cappellania Compagnoni* = Dubium est.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Pro gratia Concessionis Beneplaciti super venditione Bonorum, de quibus agitur facta subrogatione Apothecarum, donec completa fuerit reintegratio pretii dd. Domorum medio annuo deposito scut. 50. statim incipiendo, & ad mentem, & mens est, quòd Episcopus liquidet reditus subrogandos oneri Missarum Legati Compagnoni.

Sess. 21. cap. 7. de Reform., & Sess. 25. decret. de Invoc. Vener., & Reliq. Sanct., & Sacr. Imag.

ÆSINA DEMOLITIONIS. In fine Suburbii Castri Montis Cerotti Æsinæ Diœcesis antiquissimum Templum adest Beatæ Mariæ Virgini de Populo dicatum, ac pertinens ad simplex Beneficium sub eadem invocatione, quod modò possidetur à Sacerdote Josepho Fenili Præposito Congregationis Oratorii S. Philippi Æsinæ Civitatis: In eo adest B. M. Virginis simulacrum, quod ab Incolis dicti Castri, ab exteris, & à Viatoribus pio cultu honoratur. In eodem sunt plura Missarum onera præter illud duarum Missarum à Rectore dicti Beneficia mense quolibet celebrandarum, ac præter Cappellaniam per Turnum à Sacerdotibus Castri possidendam cum one-

re

re Missarum omnibus diebus Dominicis, ac festis Beatæ Mariæ Virginis, nec non feria quinta cujuslibet hebdomadæ celebrandarum fundatam à Philippo Guglielmi.

Dicti Beneficii, ac Templi Rector exponens, Templi Porticum, ipsumque Templum, illiusque Sacrarium effectum esse perditorum Hominum receptaculum, & ad illicitos, ac inhonestos usus conversum, absque eo quòd nullus modus ad hæc avertenda mala superfit, supplicavit pro omnimoda Templi demolitione, translatis Missarum oneribus, quæ in eo sunt, sacrisque supellectilibus ad Parochialem, & Collegiatam Ecclesiam supradicti Castri cum erogatione cæmentorum demoliendi Templi in Fabricam jam inceptam mox dictæ Parochialis Ecclesiæ.

Audito Episcopò, hic Rectoris votis adhæsit. At verò de his omnibus pervulgata notitia, totus concitatus est Castri Populus, publicisque indictis Comitiis, decretum fuit, quòd tuerentur jura Templi, & ne illud demoliretur, & pro hujusmodi effectu in deputatione nominati fuerunt Franciscus de Benedictis, & Cæsar Ridolfi.

Quòd autem Templum sit perditorum Hominum confugium, id provenire ex facto, culpa, negligentia, & consensu Beneficiati testatur Populus, deponitque juratus Testis de facto proprio. Translationi verò onerum faciendæ ad Ecclesiam Parochialem, & Collegiatam adversantur Sacerdotes Castri, qui jus habent ad Cappellaniam Guglielmi in eodem Templo fundatam. Tandem Canonici dictæ Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ tamquam plurimis oneribus gravati renuunt suscipere onera demoliendi Templi, quæ ejus Rector ad præfatam Collegiatam, & Parochialem Ecclesiam transferenda postulat:

Sacra Congregatio, petitionem demolitionis ruralis Ædiculæ, vel Sacelli ratione scandali, receptionis perditorum Hominum, & similium, ne Populi pietas, devotio, & religio imminuatur, rejecit *in Ravennaten.* 29. *Julii* 1775., *& in Ariminen. Commutationis voluntatis* 2. *Decembris ejusdem anni* 1775.

Prout etiam justa, urgenti, & necessaria deficiente causa, translationem Onerum, & Missarum constantissime denegavit, ut *in Romana Translationis Oneris Missarum* 28. *Julii* 1731., *in Ariminen. Translationis Cappellaniæ* 20. *Decembris* 1732., *in Neapolitana Commutationis voluntatis* 7. *Februarii* 1733., *in Panormitana Translationis Oneris Missarum* 26. *Septembris* 1739., *& in Vicen. Translatio-*

slationis Oneris Missarum 19. *Aprilis* 1766., maxime si Testator pro Missarum celebratione certam Ecclesiam designaverit, nam tunc eò difficilius esse translationem concedendam sustinet *Ricc. in Prax. part.* 4. *resolut.* 69. *per. tot.*, & *Pax. Jordan. tom.* 1. *var. resol. lib.* 4. *tract.* 1. *de Sacrif. Miss. num.* 540.

Jura ab utraque Parte circumferuntur, ex quibus EE. PP. cognoscere poterunt, quod juris erit, quod expediat, quodque sequentibus Dubiis dandum sit responsum.

I. *An sit locus demolitioni ruralis Ecclesiæ S. Mariæ de Populo Castri Montis Carotti, & respective translationi ejus Cæmentorum, nec non Fundationum, Utensilium, & Onerum in ea existentium ad Ecclesiam Parochialem ejusdem Castri in casu &c.* = & quatenus negativè,

II. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

Ad I. negativè in omnibus; Ad II. Episcopus provideat omnibus juris remediis contra quos de Jure.

Reliqua non proposita.

Sess. 22. *cap.* 6. *de Reform.*

FIRMANA DOTIS. Dominicus Frontoni Firmanus anno 1767. suum ultimum condidit Testamentum, in quo jussit, post ejus obitum ab Executore Testamentario conficiendum esse Inventarium suorum omnium Bonorum hæreditariorum consignandum subinde Uxori suæ, quam hæredem usufructuariam vita ejus naturali durante reliquerat, eaque defuncta, vetuit nunquam Prædium in Vocabulo *Fontana*, quod utrique Conjugi relictum fuerat à Nicolao Scoccia, alienari posset, ejusque redditus præcepit ut erogarentur in celebrationem tot Missarum ad Altare Beatæ Mariæ Virginis *Succursus* nuncupatæ situm in Ecclesia Patrum Ordinis S. Augustini. Hæredem proprietariam instituit ejus Animam, voluitque post Uxoris obitum, quòd Mobilia venderentur, eorumque pretium investiri deberet in Bonis Stabilibus, quorum, aliorumque suorum Bonorum cum reditibus, excepto supradicto Prædio *Fontana*, tot essent celebranda Sacra præsertim omnibus diebus festis in Ecclesia, & ad Altare Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo.

Nonnulla insuper scripsit Legata adjecto Missarum celebrandarum onere. Exemptum tamen à quovis onere fuit Legatum scriptum favore Petri Frontoni ejus germani Fratris,

tris, illiusque filiorum, & respectivè Nepotum Testatoris, nam filiabus Petri reliquit scuta decem pro qualibet, Petro autem, ejusque filiis masculis scuta quinque pro unoquoque, addita ratione = *Per avergli dato dopo la morte di Archangelo mio Fratello, e rilasciato tutta la Porzione, che mi si doveva, ed aspettava dal fù mio Padre.*

Decessit Testatoris Uxor sibi scripto hærede extraneo, quem inter, & Executorem Testamentarium supradicti Dominici Frontoni orta est lis adhuc indecisa in Archiepiscopali Firmana Curia super separatione Bonorum hæreditariorum Dominici, quæ extraneus hæres ex juribus suæ Auctricis pro virili sibi deberi contendit.

Interea præfatus Petrus Frontoni preces porrexit Sanctissimo D. Nostro subinde ad hanc Sacram Congregationem, ablegatas, quibus postulavit, ut attenta maxima, qua ipse ætate gravis premitur paupertate, ejusque spectato septem filiorum numero, ex prædefuncti Dominici Fratris substantia ad Causas pias relicta detrahatur summa scutorum centum eroganda in dotem ejus filiæ, & Dominicæ Neptis de proximo nupturæ.

Super precibus auditus fuit anno 1777. Firmanus Vicarius Capitularis, tunc Sede Archiepiscopali vacante. Is, quæ in precibus exposita fuerant, confirmavit, retulitque his verbis = *Ex his itaque summam nummorum centum sibi assignari expostulat Orator Petrus Frontoni pro dote unius filiæ, quæ Conjugium carnale inire exoptat. Æquitati sane, & naturæ legibus consonas hujusmodi preces deprehendo, quandoquidem Orator carnalis Frater Testatoris existit, & paupertate prægrandi adeo laborat, ut nedum ob senectutem, qua afficitur, sed & ob Filiorum numerum, quibus circumdatur, impar omnino sit pro dote ejus Filiæ comparanda, quæ cæteroquin honestatem colit, bonosque mores sectatur.*

Nec obstare putat litem, quæ adhuc pendet indecisa: *Nam*, ut ipse prosequitur, *extra dubium est, quod illo per Judicem absoluto, Bona prò piis Legatis in valore mille nummorum circiter remanebunt; ex quibus si detrahatur in causam dotalis subsidii pro Supplicantis Filia relata nummorum centum quantitas, nil officere piæ Causæ deprehenditur, quæ nil aliud continet, quàm indeterminata Missarum suffragia.*

At verò quatenus esset petitæ gratiæ indulgendum, ponderandum esse dixit = *An hæc assignatio sit nunc determinanc*

minanda solum ob Litis pendentiam, tradenda vero cum effectu post absolutum Judicium, vel nunc reipsa eonsignanda Dos, data facultate Executori Testamentario vendendi quamplurima, quæ extant Mobilia, vel potius adjudicandi sint in causam hujus Dotis fructus omnes, quos pendente Lite Executor retrahit, licet hi modici sint ad præsens, & portio spectet ad Testatoris Uxoris hæredem.

Preces renovat Orator. Sacra Congregatio nuperrime rejecit instantiam, quam promoverat Hieronyma Nesoli pro consequenda Dote super Locis Montium assignatis à Paula Bandiera pro Fundo Cappellaniæ ab eadem Paula institutæ, ut videre est *in Sutrina Dotis* relata *in Folio Congregationis* habitæ *die 17. Junii proximè præteriti*, ac iterum data *in Folio subsequentis Congregationis diei 15. transacti mensis Julii*, in qua proposito Dubio = *An, & quomodo*, & *in qua summa Hieronymæ Nesoli assignanda sit Dos ex Locis Montium Cappellaniæ, de qua agitur in casu &c.* = responsum fuit = *Ex hactenus deductis Negative*.

Animadvertendum tamen est, quòd in illa Causa *Sutrina* agebatur de Puella ex Sorore germana Pronepte Paulæ Fundatricis Cappellaniæ, hìc agitur de Puella ex Fratre germano Nepte Dominici Frontoni Testatoris. Rursus in illa agebatur de jam exequuta voluntate Testatricis, hìc de exequenda. Quid autem fit ex his statuendum, judicium erit Eminentiarum Vestrarum, ad quas pertinet, decernere.

An, & quomodo, & in qua summa sit locus assignationi Dotis pro filia Petri Frontoni super hæreditate Dominici Frontoni in casu &c.

Sess. 14. cap. 7. de Pœniten., & Sess. 24. cap. 6. de Reform.

BENEVENTANA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Vacata mense Novembris anni 1778. Patronali Ecclesia Vicariali Curata perpetua Casalis Sancti Nazarii Beneventanæ Diœcesis, Patroni intra legitima tempora ad illam nominarunt, præsentaruntque Sacerdotem Antonium Soricelli ejusdem Casalis. Hìc ad examen accessit. Antequam autem Antonius ingrederetur Conclave pro ineundo suæ idoneitatis experimento, Vicarius Generalis Beneventanus de mandato Eminentissimi Archiepiscopi solemni forma præcepit sub pæ-

na suspensionis à Divinis ipso facto incurrendæ Præsbytero Marcello Verdone Archiepiscopalis Curiæ Notario, ac ad assistendum examini deputato, ne sineret, Soricellum egredi è loco examinis, vel uti libris, aut scriptis manu pro dissolvendis datis casibus opportunis. Legem servavit Notarius, fuitque Soricellus ab Examinatoribus reprobatus.

Paucis vix elapsis diebus, Soricellus institit iterum ad examen admitti, ejusque recepta instantia, fuit idem præceptum sub eadem indicta pœna suspensionis à Divinis à præfato Vicario Generali ex iterato Mandato Emi Archiepiscopi renovatum Notario Verdone. Legem tamen violavit Notarius, permisitque, ut Soricellus in contermina ingressus mansione ex inferioribus Januæ rimulis resolutionem datorum casuum acciperet, unde fuit Soricellus ab Examinatoribus approbatus.

Hæc repentina Soricelli scientia, & identitas maximam ingessit suspicionem factæ fraudis in examine. Quocirca, suspensa Bullarum expeditione favore Soricelli, hac de re fuit incæptus criminalis Processus. Quare Notarius Marcellus Verdone ad pedes Archiepiscopi provolutus, se peccasse fassus est connivendo, taciteque permittendo, ut Soricellus quidquid ei placuisset, faceret in actu examinis, idque asseruit se peregisse ab alio Curiæ Ministro instigatum.

Absoluto Processu, Sententia prodiit, qua definitum fuit quoad Notarium Marcellum, constare de ejus conniventia, & tacita permissione Soricello concessa faciendi in examine quidquid ei libuisset; Ast quia conniventia nullum pepererat effectum, decretum fuit, quòd Carcer, & postea mandatum Marcello datum de habendo Domum loco Carceris in pœnam cederent ejusdem.

Hoc absoluto, cum Notarius Marcellus post incursam pœnam suspensionis à Divinis ab Archiepiscopo indictam Sacra celebraverit, hinc supplicem Libellum exhibuit huic Sacræ Congregationi pro dispensatione ab Irregularitate.

Datis Litteris Eminentissimo Archiepiscopo, hic suum sensum aperuit his verbis = *Quum Marcellus carcere, & mandato pœnam jam luerit, participatio fraudis, seú conniventia suum sortita non sit effectum, nam in præcitata sententia dictum est, quòd Soricellus novo examini se subjiciat, & de hoc idem Soricellus se gravatum senserit, nulla Simoniæ labes intervenerit, & tandem Marcellus rei familiaris angustia prematur, ita ut demptis stipendiis Mis-*

sarum, in quibus consistit Beneficium Mansionariatus, quod possidet, id quod supereſt, sui, sucque numerosæ Familiæ sustentationi non suppetat, idcirco petita dispensationis gratia mihi dignus videtur.

Ponderandum est, hìc non agi de homicidio, nec de aliqua Corporis mutilatione, sed agi de conniventia, & permissione Marcelli, ut Soricellus in examine benè responderet, eaque de causa in pœnam incidisse suspensionis à divinis indictæ ab Archiepiscopo, subindeque prolapsum esse in Irregularitatem, ex quo post quàm fuerat à Divinis suspensus, Sacra celebravit; Videtur igitur, mitius cum eo agendum esse, quoniam ex illius conniventia nulla provenerunt mala, nec per eam Innocentes damnati, nec Rei absoluti fuerunt, ita ut nemo sit, qui passus fuerit, vel patiatur detrimentum, quemadmodum in terminis Falsi criminis animadvertit *Cap. Dura sæpe de Crimine falsi, Leg. Falsi* 13. §. *Imo, Leg. Qui duobus* 21. *Cod. eod. tit.* Sacra Congregatio *in Ugentina Dispensationis ab Irregularitate* 14. *Martii* 1778.

Maximè quia res est de Clerico jam promoto, cui facilius dispensatio conceditur, ut in durioribus terminis patrati homicidii firmarunt *Fagnan. lib.* 5. *Decret. Cap. Henricus num.* 23. *cum seqq. de Cleric. pugn. in Duell.*, & *Fargn. de Jurepatr. part.* 1. *can.* 5. *cap.* 11. *num.* 68.

Dubium est.

An sit locus dispensationi ab Irregularitate in casu &c.

Sess. 25. *cap.* 5. *de Reform.*

CIVITATIS PLEBIS CAPPELLANIÆ. Anno 1636. Sacerdos Hannibal Fazi Terræ Montis Leonis Civitatis Plebis Diœcesis ultimum condidit Testamentum, in quo perpetuam fundavit Cappellaniam ad Altare Sanctissimæ Annunciationis hæredem universalem institutum situm in Parochiali Ecclesia S. Petri dictæ Terræ: Voluntatis suæ Executores designavit, quibus, eorumque Descendentibus potestatem fecit nominandi = *à detta Cappellania un Cappellano, che sia Persona Religiosa, e chè non abbia altri obblighi, e che sia obligato celebrare nel detto Altare, e Cappella Messe quindici per ciascun*

mese

meſe in perpetuo per l'Anima di detto Signor Teſtatore &c. e ſia anche obligato detto Cappellano frequentare i Divini Officii in detta Chieſa.

Voluit inſuper, quòd = *eſſendovi qualche Perſona atta, e piú di ſtretta parentela di detto Signor Teſtatore tanto nata, quanto da naſcere. quella, poſpoſta ogn' altra Perſona, ſi debba eleggere in Cappellano perpetuo, ed in vita di detta Cappella, e così ſucceſſivamente s'intendino ſempre Cappellani perpetui, e non amovibili li Parenti &c.: E caſo non vi foſſero de ſuoi Parenti atti a tale ſervizio, elegghino un' altro Religioſo per Cappellano amovibile, e non perpetuo, & ad ogni loro cenno lo poſſino levare, e mettere un' altro* = Deficiente verò Executorum Teſtamentariorum linea, præſcripſit Teſtator, quòd jus nominandi Cappellanum ſub iiſdem honoribus, & oneribus deferretur ad Sodalitium ſub invocatione SSmæ Annunciationis ſupradictæ Terræ Montis Leonis.

Teſtamentariorum Executorum linea extincta eſt, vacavitque Cappellania de anno 1774., & à Confratribus dicti Sodalitii die 17. Aprilis ejuſdem anni cum ſuffragiorum pluralitate fuit in novum Cappellanum electus Clericus Bernardinus Tenti extraneus in ætate dumtaxàt annorum tredecim conſtitutus, hac tamen explicita declaratione, quòd electio, & Cappellaniæ collatio intelligenda ſit *perpetua*, quatenus Eccleſia in Collegiatam erigeretur, aliter cenſeatur facta collatio cum clauſula = *donec provideatur* =. Aſt quia electo Clerico Canonica deerat ætas ad capiendam Cappellaniæ poſſeſſionem, hinc preces obtulit huic Sacræ Congregationi pro facultate illã apprehendendi poſtquã ad legitimam perveniſſet ætatem, impletis interea Cappellaniæ oneribus per ejus Patruum Sacerdotem.

Sicuti autem antedictam Clerici Tenti nominationem ægre tulerant nonnulli Confratres, hi quoque precibus exhibitis huic Sacræ Congregationi poſtularunt, ut ea revocata, liberum eſſet Confraternitati Patronæ novam explere Cappellani Præsbyteri nominationem juxta Teſtatoris voluntatem.

Epiſcopus, qui fuit auditus, annuendum eſſe cenſuit precibus Clerici Bernardini, quarum executionem Sacra Congregatio delegavit ejuſdem arbitrio Epiſcopi, qui Bernardinum in realem, & actualem Cappellaniæ poſſeſſionem immiſit.

Diſputant nunc Confratres recurrentes, nullam fuiſſe nominationem, & electionem Bernardini Clerici, quia

Testator fundavit Cappellaniam Sacerdotalem, mandavitque, ut in Cappellanum eligi deberet actu Sacerdos, tàm si eligendus suus esset Consanguineus, quàm si Extraneus, dum voluit, quòd nominandus esset in Cappellanum = *Persona Religiosa* = quòdque = *sia obligato celebrare nel detto Altare, e Cappella Messe quindici per ciascun Mese*, quòdque demum = *sia obligato detto Cappellano frequentare i divini Officii in detta Chiesa* = Quæ omnia sicuti important personale servitium Cappellani ex firmatis per *Rot. cor. Ratto decis.* 150. *num.* 14., ita nominatio facta de simplici Clerico sustineri non possit ad tradita per *Rot. decis.* 580. *num.* 1., *& seqq.*, *& dec.* 607. *num.* 1. *& seqq. part.* 18. *recen.*

Itemque disputant, subreptitium, & obreptitium esse Rescriptum Sacræ Congregationis cum subsequuta Collatione Cappellaniæ ab Episcopo facta favore Clerici Bernardini, quia ipse in suis precibus huic Sacro Tribunali porrectis nihil aliud expressérat, nisi suæ ætatis defectum, reticuerat tamen qualitatem Sacerdotalem Cappellaniæ, reticuerat, eam esse ad nutum amovibilem quoad Extraneum, ut est Bernardinus, cui illa contra expressam voluntatem Testatoris collata fuerat ad ejus vitam, vel donec aliter provideatur, demumque reticuerat, Cappellanum alias habere non posse Officiaturas, ut per semetipsum adimplere posset onera Cappellaniæ: Quæ si huic Sacræ Congregationi narrata fuissent, gratiam non concessisset, ideoque per illam tamquam obreptitiam, & subreptitiam non revalidari factam Cappellaniæ collationem tradit *Constant. vot. decis.* 252. *n.* 14., *Rota cor. Falconer. de Fideicom. dec.* 74. *num* 10.

Hæc, & alia sunt in Libello à Confratribus circumferendo. A'Clerico Bernardino Tenti nihil habuimus. Pertinet ad Eminentias Vestras respondere.

An sustineatur Collatio Cappellaniæ, de qua agitur facta favore Clerici Bernardini Tenti in casu &c.

Dic

Die Sabbathi 16. *Septembris* 1780. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

EX *Folio poſtræmæ Congregationis* habitæ *die* 16. *ſuperioris menſis Auguſti* tres ſuperfuerunt Cauſæ, quæ nunc ab EE. VV. *dicto reſumpto Folio* definitionem expectant.

FIRMANA DOTIS, in qua reſpondendum eſt. *Seſs.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

An, & quomodo, & in qua ſumma ſit locus aſſignationi Dotis pro filia Petri Frontoni ſuper hæreditate Dominici Frontoni in caſu &c.

Negativè.

BENEVENTANA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE, in qua quæritur. *Seſs.* 14. *cap.* 7. *de Pœnitent, &* *Seſs* 24. *cap.* 6. *de Reform.*

An ſit locus diſpenſationi ab Irregularitate in caſu &c.

Affirmativè, facto verbo cum Sanctiſſimo.

CIVITATIS PLEBIS CAPPELLANIÆ, cujus Dubium eſt. *Seſs.* 25. *cap.* 5. *de Reform.*

An ſuſtineatur Collatio Cappellaniæ, de qua agitur, facta favore Clerici Bernardini Tenti in caſu &c.

Affirmativè.

FA-

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FANEN. UNIONIS. Hujus Cauſæ ſpecies, & rationum momenta data fuerunt *in Folio Congregationis diei* 18. *præteriti menſis Martii*. Dubio quod erat = *An Bona Hoſpitalis Convaleſcentium Civitatis Fani unienda ſint Bonis Hoſpitalis Infirmorum ejuſdem Civitatis in caſu &c.* =, quodque in ea Congregatione proponi non potuit, in ſequenti tamen, quæ habita fuit *die* 15. *Aprilis currentis anni*, Ampliſſimi Patres reſponderunt = *Negativè* = At verò cum EE. PP. ea ducti religione, & pietate, qua pauperes Infirmos proſequuntur, ſcire exoptaverint ordinem, ſeù methodum, quæ ſervatur in Xenodochio Convaleſcentium à Præpoſito Petro Galaſſi fundato, ut Convaleſcentes in ſtatum priſtinæ reſtituantur valetudinis, hinc dato *negativo* reſponſo ſuperaddere voluerunt = *& ad mentem, & mens eſt, quòd ſcribatur Epiſcopo, qui referat; an Convaleſcentes retineantur per tres dies tantùm, vel limitatum tempus, vel potius per tantum temporis, quantum judicio Medici neceſſe ſit, ut retineantur, ad hoc ut perfectè convaleſcant* = quemadmodum Litteræ datæ fuerunt Epiſcopo, cujus relatio expectatur.

Adverſus hanc definitionem audiri poſtulavit Archiconfraternitas S. Crucis. Cum igitur ad ampliſſimi hujus Ordinis judicium nunc redeat unionis Xenodochiorum diſputatio, non pigeat Eminentiſſimos Patres *folium dictæ Congregationis* habitæ *die* 18. *menſis Martii proximè præteriti reaſſumere*, ut decernere poſſint ea, qua præſtant, juriſprudentia.

An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.

In deciſis juxta modum, & modus eſt, quòd Epiſcopus curet retentionem Convaleſcentium in Domo Teſtatoris, donec reconvaluerint judicio Medici, reditus verò adhuc ſuperexantes ex hæreditate Teſtatoris applicentur Hoſpitali Infirmorum etiam in futurum.

Seſs. 25. cap. 5. de Reform.

PAPIEN. DISPENSATIONIS. Anno 1613. Ludovicus Taberna tunc Epiſcopus Laudenſis Teſtamentum condidit, quo univerſalem ſibi ſcripſit hæredem Cæſa-

rem

rem Tabernam ejus ex germano Fratre Nepotem. Anno verò 1615. juſſit perpetuam eſſe erigendam Cappellaniam, quàm congruè dotavit, ad Altare Beatæ Mariæ Virginis ſitum in Parochiali Eccleſia S. Victoris Loci Landriani Papienſis Diœceſis: Jus nominandi Cappellanum contulit in dictum Cæſarem Nepotem, & hæredem ſuum, mox in ejus Primogenitum, & ſubinde de Primogenito in Primogenitum, ad quem ejuſdem Fundatoris hæreditas, & Bona pervenerint: Voluit, quòd reditus aſſignatæ Dotis eſſent *pro eleemoſyna, & mercede Cappellani Sacerdotis, qui teneatur quotidie Miſſam unam per ſe ipſum, & non per Subſtitutum celebrare ad dictum Altare, & qui teneatur continuò in ipſa Terra Landriani reſidere, ac inſervire Rectoribus dictæ Parochialis Eccleſiæ in cantando Miſſam ſolemnem, & Veſperas, ac alia divina Officia diebus feſtis.*

Hæres implevit omnia, quæ ſibi fuerant à Fundatore præſcripta. Patronatum unà cum ejuſdem Fundatoris hæreditate modò poſſidet Laurentius Taberna Primogenitus, qui ad nuperrimè vacatam Cappellaniam ſub reſervatione reportandi quamcumque magis opportunam, & neceſſariam Diſpenſationem Apoſtolicam nominavit, præſentavitque Balthaxarem Volpi de Loco Zemidæ ejuſdem Papienſis Diœceſis conſtitutum in ætate annorum viginti duorum, & nondùm Clericali Tonſura initiatum quia Lex viget in illis Reigionibus, neminem prima Clericali Tonſura poſſe inſigniri, niſi poſt triennalem Clericalis habitus delationem, & poſt triennale Eccleſiæ ſervitium, ac niſi ad Tonſuram promovendus jam fuerit de Patrimonio, vel de aliqua Eccleſiaſtica Cappellania proviſus,

Hinc Balthaxar nominatus ad aſſequendam Cappellaniam, ut ejus titulo Clericali poſſit Tonſura initiari, ſubindeque tùm ad minores, tùm ad Sacros Ordines promoveri, ſupplicavit *SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM* pro diſpenſatione ſuper defectu ætatis, ejuſque ſupplicatio fuit ab Eminentiſſimo Pro-Datario huic Sacræ Congregationi delegata.

Requiſitus fuit pro Informatione, & Voto Archiepiſcopus Epiſcopus Papienſis, qui ſupra narrata confirmat, retulitque quòd = *à triennio, & ultra dictus Volpi, habitum Clericalem defert, atque Eccleſiæ inſervit: nequaquam tamen valuit hactenus prima Clericali Tonſura inſigniri*

gniri ex defectu Patrimonii, vel Beneficii licet vigesimum secundum ejus ætatis annum modò compleverit.

Addit, neminem interesse habere hac in re, præter dictum Laurentium hodiernum Patronum, *qui libenti animo annuit, ut dictus Balthaxar Volpi dictam Cappellaniam perpetuam assequatur* =, nec ullum adesse =, *qui speciale jus, vel vocationem habeat ad ipsam Cappellaniam, ad eamque velit admitti.*

Votumque demùm suum his verbis aperuit = *Hinc censerem posse prædictum Balthaxarem Volpi ex benignitate Apostolica de dicta perpetua Cappellania provideri, & super defectu ejus ætatis cum eo de gratia speciali opportune dispensari cum decreto, quòd ante assequutionem prædictæ perpetuæ Cappellaniæ dictus Volpi prima Clericali Tonsura sit initiatus, & cum decreto, quòd idem Volpi se successive quamprimùm ad Minores, nec non ad Subdiaconatus infra annum, atque cum ad ætatem legitimam pervenerit, ad Diaconatus, & Præsbyteratus Sacros Ordines se promoveri facere omnino teneatur; Ac demum de idoneo substituto Sacerdote provideat, qui interim omnia onera eidem Cappellaniæ perpetuæ adnexa debitè, & congruè sustineat, & fideliter adimpleat.*

Ponderandum est, Testatorem non præscripsisse, quòd nominandus esset actu Sacerdos, vel actu Clericus, quo in casu sat est, quòd præscripta qualitas in nominato verificetur tempore Institutionis, utcumque in eo vacationis, & præsentationis tempore defeciisset juxta distinctionem, de qua *Rota in Aretina Beneficii* 20. *Junii* 1735. §. 4. *coram bon. mem. Peralta, & in Placentina Beneficii* 21. *Aprilis* 1749. §. 13. *coram bon. mem. Canilliac.*, nec prohibetur Patrono præsentare etiam incapaeem, dummodò ante institutionem, vel tempore debito fiat capax sive naturaliter, sive per dispensationem ex communiter traditis per *Card. de Luc. de Jurepatr. disc.* 70. *num.* 16., & 27., *Piton. discept. Eccles.* 13. *num.* 40.; *Rota in Tusculana Canonicatus* 29. *Maii* 1756. §. 6., & *seqq. coram Illustrissimo Stadion.*, & *in Mediolanen. Beneficii* 6. *Junii* 1757. §. 8. *coram clar. mem. Card. Paracciano*, & hæc Sacra Congregatio *in Calaguritana Dispensationis* 8. *Augusti* 1761.

Est insuper animadvertendum, nullum adesse, qui jus, & vocationem passivam habeat ad præfatam Cappellaniam; Gratiam verò, quæ postulatur, nemini præjudicium in-

inferre ; Orator em esse bonis moribus imbutum, spemque præbere, se utilem Ecclesiæ futurum Ministrum, nec in longum protrahi tempus , cùm duo nec integri Oratori desint anni, ut ad Ordines possit promoveri, demùm nec commutari , seù fraudari Testatoris voluntatem , si serventur conditiones ab Archiepiscopo Episcopo in ejus Voto propositæ, quibus omnibus perpensis, dignabuntur Eminentiæ Vestræ respondere.

An sit relaxanda supplicatio , & respectivè concedenda dispensatio in casu &c.

Affirmativè juxta Votum Archiepiscopi Episcopi Papien.

AVENIONEN. CAPPELLANIÆ. Sacerdos Jacobus Nance è Villa Relhone Aquensis Diœcesis an. 1613. fundavit Cappellaniam ad Altare S. Annæ situm in Parochiali , & Collegiata Ecclesia S. Petri Avenionensi : Voluit, quòd Cappellanus pro duabus primis tantùm vicibus nominandus à Philippo Melva Canonico dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, subindeque ab ejusdem Fundatoris hæredibus , & Successoribus , annuas dumtaxàt quinque Missas certis , præscriptisque diebus celebraret : Pro dote verò Cappellaniæ , & pro ea Rectoribus pro tempore instituendis Fundator cessit , donavitque pensionem annuam scutorum novem ex solidis sexaginta Turonensibus pro quolibet scuto , quam præcedenti anno 1612. sæpedictus Fundator emerat pretio scutorum similium centum viginti octo , & solidorum triginta sex à Benedicto Moine unà cum Michaela Guigardo Moine ejus Matre è Loco de Thoro nuncupato Cavallicensis Diœcesis : Adjecta tamen Lege , quòd in casu , quo cessa pensio restituto pretio redimeretur à debitore , nequiret Cappellaniæ Rector idem pretium, seù Capitale recipere , nisi coram Archiepiscopo Avenionensi ad effectum illud erogandi in acquisitionem alterius pensionis , vel alicujus Prædii favore dictæ Cappellaniæ. *Sess. 22. cap. 11. de Reform.*

Primus hujus Cappellaniæ Rector fuit præfatus Canonicus Melva , qui post obitum Fundatoris ad erectam Cappel-

pellaniam se ipsum nominavit, eoque defuncto, illius hæredes in novum Cappellanum præsentarunt Sacerdotẽ Philippum de Robert. Utercue Cappellanus pensionem annuam, sive fructus Census pro Cappellaniæ Dote assignatos proprio arbitratu favore illius Debitoris imminuit, atque reduxit; Nam primus Cappellanus Melva anno 1637. eam reduxit ad anuuas Libras viginti septem; Secundus verò de Robert ad annuas Libras viginti, tres solidosque duos anno 1687.

Sequuto obitu Cappellani de Robert anno 1697., nemo fuit, qui novum nominaret Cappellanum, unde Cappellania destituta fuit Rectore suo à dicto anno 1697. usque ad annum 1778., quo tempore à Curia Legationis Avenionensis de ea provisus fuit Sacerdos Antonius Alexius Arnavon Canonicus Coàdjutor in Capitulo Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Agricolæ ejusdem Avenionensis Civitatis, qui coram Auditore Generali dictæ Legationis in jus vocavit Spiritum Martinum Moine tamquam hæredem, & Successorem præfatorum Debitorum pensionis pro Dote Cappellaniæ assignatæ, ut eam solveret tàm decursam à dicto anno 1697., quàm imposterum decurrendam.

Dum acta in Curia Legationis agebantur, Moine debitor superiori anno 1779. recursum habuit ad Rev. Fabricam S. Petri de Urbe postulans compositionem cum absolutione ejus debiti tam decursi, quàm decurrendi, eo sub titulo præsumptæ illius extinctionis ob non solutam, nec requisitam pensionem per tanti temporis lapsum, votique compos edito Rescripto effectus fuit quoad præteritum tantùm, delegata quoad futurum illius petitione ad hanc Sacram Congregationem.

Ut autem vi hujus Rescripti Debitor absolveretur ab annua præstatione Pensionis, seu fructuum dicti Census, preces idem Debitor exhibuit huic Sacro Tribunali, datisque litteris, ut moris est, Archiepiscopo Avenionensi pro Informatione, & voto, is retulit, quæ supra dicta sunt, censuitque, non esse adhærendum juribus Debitoris, eumque propterea teneri ad solutionem annuæ Pensionis, sive fructuum Census in annuis scutis novem ab anno 1697., quo vacavit Cappellania, geminis non obstantibus illius reductionibus expletis à primis Cappellanis de anno 1637., & 1687., quia factæ fuerunt nulla intercedente vel Ordinarii, vel Apostolicæ Sedis

auctoritate, nec etiam obstante compositione per ipsum Debitorem clam, & in fraudem litis pendentis in Curia Avenionensi super solutione dictæ Pensionis, impetrata à Rev. Fabrica S. Petri, quia res non est de Missarum onere ab Auctore Moine debitore relicto, & ab ejus hæredibus neglecto, unde compositionem mereatur, sed agitur de ejus debito solvendo Cappellanis Cappellaniç fundatæ à Jacobo Nance, ut præscriptæ ab ipso Missæ celebrarentur, eaque fuit in Sententia laudatus Archiepiscopus, exigendas esse pensiones, seu fructus Census ab anno 1697. decursos, & non solutos ad annum usque 1778., quo fuit de Rectore provisa Cappellania, in istius, & Cappellanorum pro tempore existentium commodum, & in augumentum esse investiendas.

Quòd autem nullæ sint factæ reductiones pensionum, seu fructuum Census à Cappellanis pro tempore existentibus absque Beneplacito Apostolico, utraque maturè perpensa Doctorum hinc inde pugnantium opinione, definivit hæc Sacra Congregatio *in Senogallien. Censuum diei 2. Julii* 1718., in qua cum Officiales Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti reduxissent absque Apostolico Beneplacito fructus duorum Censuum favore Hyppoliti Leopardi debitoris, petitum fuerat, quòd reductio vel declararetur valida, vel tam pro prçterito, quàm pro futuro tempore revalidaretur; geminisque propositis Dubiis, quorum primum erat = *An reductio fructuum Census sine Beneplacito Apostolico sustineatur in casu &c.* = & alterum = *An sit locus revalidationi, & confirmationi Contractus reductionis tam pro præterito, quàm pro futuro* = responsum fuit = *Ad Primum Negative in casu, de quo agitur. Ad secundum Negative quoad præteritum, reservato jure Hyppolito agendi contra Priores, qui reduxerint Censum, & quoad futurum arbitrio Eminentissimi Episcopi.*

Itemque sustinet hodiernus Cappellanus, præsumendam non esse Census, sive Pensionis extinctionem, ex quo illius fructus soluti non fuerit ab anno 1697., quo vacavit Cappellania; nàm ut præsumatur Census extinctio, centenaria concurrat necesse est, quç in hoc casu excluditur, dum adhuc septem anni deficiunt, Centenaria quippe, quæ in actibus Ecclesiæ præjudicium, Divinique cultus decrementum inferentibus, plenè, integre-

que completa requiritur veluti poſt notiſſimam Conſtitutionem *ſan. mem. Urbani VIII.* incipien. *Romanus Pontifex* unanimiter firmant *Barboſ. de Poteſt. Epiſc. alleg.* 95. *num.* 72., *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 867. *num.* 50., & *Rota in Romana Oblationis* 25. *Junii* 1725. §. 5. *cor. bo. mem. Criſpolto*.

Contendit inſuper Cappellanus, compoſitionem per Debitorem Cenſus impetratam à Sacra Congregatione Rev. Fabricæ S. Petri obeſſe non poſſe, quin ille damnetur ad ſolutionem fructuum dicti Cenſus ab anno 1697., quia Compoſitio pro Cappellania, & pro Cappellano tàntum admiſſa fuit, & obtenta quippe quia Debitor Cenſus poſtulavit in precibus, ut eadem Sacra Congregatio Rev. Fabricæ = *ſi degni benignamente aſſolvèrlo dal ſuppoſto peſo* [quod ſuum non eſt] *di tale Cappellania* =: putavitque dicta Sacra Congregatio rem verſari non ſuper ſolutione fructuum decurſorum, & decurrendorum Cenſus ab Oratore facienda, ſed ſuper inadimpleta Miſſarum celebratione, dum in ejus Reſcripto mandatum fuit = *Oratorem ſuper Miſſis de præterito tantúm non celebratis, ut in precibus, ad petitam Compoſitionem* = eſſe admittendum: Idem habetur ex Decreto Judicis Rev. Fabricæ, qui = *Oratorem ſuper Miſſis de præterito tàntum non celebratis, ut in precibus, ad petitam Compoſitionem admiſit, & admittit, ac ab illarum ulteriori celebratione abſolvit, & liberavit* = Idemque conſtat ex depoſito facto in Menſa Nummularia S. Spiritus, in quo exprimitur = *per compoſizione ottenuta à favore di Spirito Martin Moine ſopra Meſſe non adempite*.

Hæc, & alia ſunt in libello ab Antonio Alexio Arnavon hodierno Cappellano circumferendo. A Spirito Martino Moine Penſionis, ſeu fructuum Cenſus debitore nihil habuimus. Pertinet nunc ad EE. VV. decernere.

An, & à quo tempore, & in qua ſumma debeantur annuæ Penſiones, ſeu fructus Cenſus in caſu &c.

Affirmativè in annuis ſcutis novem tàntum monetæ Gallicæ ab anno 1697. impoſterum, & quoad annualitates præcedentes, deducet jura ſua, ut iterum omninò audiatur à S. C. Rev. Fabrica Sancti Petri.

MAS-

MASSANEN. Ecclesia Cathedralis Massanensis novem tantum numerat Canonicos, nullumque habet Mansionarium, Beneficiatum, vel Cappellanum, qui Ecclesiæ, Choro, Sacrisque functionibus inserviant: Hinc est, quòd diebus festis etiam solemnibus Missæ ferè sine Ministris decantantur, Sacræque functiones, quarum nonnullæ prætermittuntur, absque debito decore propter defectum Ministrorum explentur. Residet penes Canonicos cura Animarum habitualis, quæ per alterum ex ipsis exercetur. Sæpius quæsitum est de augendo Ministrorum numero, sed sine effectu, nam redditus Episcopales, & Canonicales tenues sunt, ac insuper nullum adest liberum Beneficium, quod Capitulo uniri possit. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Pertinet ad Capitulum jus nominandi Rectorem ad Cappellaniam SSmæ Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis annui redditus scutorum septuaginta fundatam à Canonico Mariano Lotti ad Altare B. M. V. Rosarii ejusdem Cathedralis cum onere Rectoris solvendi Capitulo annua scuta 2. 70. pro Anniversario, & Festo SSmæ Annunciationis, & ex residualibus redditibus celebrandi totidem Missas per se ipsum in dicto Altari ad rationem obulorum vigintiquatuor pro qualibet. Ut itaque Divino cultui, ac Ecclesiæ decori, & servitio provideretur, Capitulum supplicavit hanc Sacram Congregationem pro gratia dividendi dictam Cappellaniam, & ex ea geminas constituendi pro duobus Sacerdotibus ab Episcopo, & à Capitulo eligendis, quibus, si erunt ex Incolis, & habitatoribus Civitatis Massanensis, assignentur scuta duo de viginti pro quolibet, & quod superest ex dictis redditibus, erogetur in eleemosynas Missarum ad eamdem taxam juxta mentem pii Fundatoris, seu potius eligatur tertius Cappellanus, & quod ex redditibus supererit, teneantur Canonici impendere in recolendo Festo Annunciationis B. M: Virginis, in geminis celebrandis Anniversariis ex præcepto Fundatoris, & in manutenendo Fundo, seu Dote Cappellaniæ.

Si autem erunt Exteri, unicuique assignentur annua scuta triginta præter omnes Paræciæ fructus tàm certos, quàm incertos quotannis ascendentes ad scuta vigintiquatuor inter ipsos exteros Cappellanos æqualiter dividendos: Quod autem ex Cappellaniæ redditibus supererit, pro reco-

recolendo Festo, Anniversariis celebrandis, Fundisque manutenendis impendatur : Adjectis tamen unicuique Cappellano infrascriptis oneribus.

Primò, quòd quilibet Cappellanus teneatur celebrare annua Sacra triginta in Ecclesia Cathedrali ad Altare Rosarii, seu Annunciationis B. M. Virginis juxta mentem Fundatoris.

Secundò, alternatim celebrare Missam Conventualem sive lectam, sive cum cantu, sine tamen applicatione supplenda à Canonicis more consueto.

Tertiò, omnibus diebus festis de præcepto celebrare Missam in eadem Ecclesia Cathedrali sub ortu Solis sine applicatione ad commodum Populi, & cum explicatione Evangelii diebus Dominicis.

Quartò, Missam itidem celebrare iisdem diebus festis post Sacras Functiones, quæ vulgò dicitur *l' ultima Messa* sine applicatione Sacrificii.

Quintò, deficientibus Clericis Seminarii, inservire Canonicis Missam, seu Vesperas canentibus in Ministerio Diaconi, & Subdiaconi.

Sextò, Parochiale munus exercere tàm in Civitate, quàm in Agro Massano, Infirmis etiam Hospitalis Sacramenta ministrare.

Septimò, Sacramentales Confessiones signanter diebus festis excipere in Ecclesia Cathedrali.

Octavò demùm, interesse cæteris Sacris functionibus, & recitationi Officii divini in Choro cum Canonicis.

Inquit enim Capitulum, maxime indecorum esse, Sacras functiones in Ecclesia Cathedrali vel omitti ob Ministrorum defectum, vel absque debita dignitate, & decore expleri præsertim diebus festis solemnioribus, & in Functionibus Pontificalibus. Hinc tanto malo consulendum esse. Nullum verò auxilium sperari posse ex redditibus sive Episcopalibus, sive Canonicalibus, qui admodum tenues sunt, multoque minus ex unione Beneficiorum liberæ collationis, cum hæc undique deficiant. Nihil ideò aptius, quàm ope dictæ Cappellaniæ duos adiicere Sacerdotes, quorum auxilio tot absurdis, ac necessitatibus occurratur.

Addit, nulli injuriam, damnumque irrogari. Non Capitulo, cui est jus nominandi, cum ipsum hanc postulet gratiam pro Ecclesiæ decore, ac necessitate: Non Fundato-

datori, cum eidem adhuc præſerventur annua Sacra ſexaginta pro ejus Suffragio; & in uberiorem uſum ipſius commutetur voluntas favore illius met Eccleſiæ Cathedralis, cujus membrum, & Canonicus fuerat; Contra verò maximum exurgere cultûs Divini, Eccleſiæ, Animarumque ſalutis augumentum. Sic enim Eccleſiæ Miniſtros augeri, nec non adjutores in excipiendis Sacris Confeſſionibus, & in exercitio Curæ Animarum, & ita conſuli Populi commoditati, ac neceſſitati.

Nec ad tot onera ferenda impar eſſe ſtipendium ſingulis Cappellanis præſertim exteris aſſignandum. Habere ſingulos ex redditibus Cappellaniæ annua ſcuta triginta, nec non ex fructibus Paræciæ tam certis, quàm incertis alia annua ſcuta duodecim, unde ſingulos habituros eſſe annua ſcuta quadraginta duo haud paria pro congrua ſuſtentatione: Et revera ſingula onera ſuperius expreſſa mere perſonalia eſſe, implendaque à quovis probo Sacerdote: Jam plures adeſſe, qui eaſdem Cappellanias expetunt, ac peſtulant.

Epiſcopus Maſſanenſis in ejus Informatione maxime commendat, adjuvatque Capituli preces, ut tantæ neceſſitati, ac utilitati conſulatur, cum nullo alio modo prædictis, quæ ipſe met in dicta ſua Informatione accuratiſſime retulit, occurri valeat.

Plura ſunt onera, quibus juxta preces Capituli Cappellani gravarentur. *Alia* reſpiciunt ipſum Eccleſiæ, Chorique ſervitium, ut Sacræ Functiones debito cum decore, & ſplendore impleantur, prout eſt onus intereſſendi Choro, & ſerviendi in Sacris peragendis functionibus. *Alia* reſpiciunt Curam Animarum, prout eſt onus exercendi Parochiale munus tàm in Civitate, quàm in Agro Maſſano. *Alia* præſeferunt commoditatem, & utilitatem Populi, quemadmodum eſt onus celebrandi Sacra ſummo mane, & prope meridiem poſt ſacras expletas functiones, nec non onus audiendi Sacras Confeſſiones ſignanter diebus feſtis in Eccleſia Cathedrali. *Alia* demùm ſolam reſpiciunt utilitatem Canonicorum, ut eſt onus celebrandi Miſſam Conventualem ſive lectam, ſive cum cantu.

An autem hæc omnia onera præſcribenda ſint Cappellanis in caſu, in quo eſſet dividenda Cappellania à Canonico

Lot-

Lotti fundata ; dijudicent Eminentiſſimi Patres. Petitur.

An, & quomodo Capituli Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

CAMERINEN. REDUCTIONIS ONERUM. Joſeph Tamburelli e Terra S. Gineſii Camerinenſis Diæceſis anno 1582. Teſtamentum condidit, quo mandavit, ut anno quolibet in perpetuum convocatis omnibus Regularibus, & Confraternitatibus dictæ Terræ in Eccleſia S. Mariç Macularum, Anniverſarium inibi celebraretur. Hæredem ſuam univerſalem inſtituit Laviniam Marcucci ejus Uxorem, & poſt ejus obitum ſubſtituit æquis portionibus tria Sodalitia dictæ Terræ nimirum Sanctiſſimi Sacramenti, Sanctiſſimæ Trinitatis, & Sanctiſſimæ Conceptionis reſpectivè nuncupata, onere adjecto unicuique Sodalitio quotannis ſolvendi florenos quinquaginta pro una pauperrima dotanda Puella dictæ Terræ à reſpectivis Prioribus dictarum Confraternitarum unitim nominanda, itaut pro dote conſequi deberet florenos centum quinquaginta ex fructibus totius ejus hæreditatis detrahendos.

Anno 1618. hæreditas Tamburelli per obitum Laviniæ coaluit in dicta Sodalitia ad hæreditatem ſubſtituta, à quibus confectum fuit Bonorum omnium Inventarium, & Bona inter eadem Sodalitia diviſa fuerunt.

Nunc Sodalitia preces porrexerunt huic Sacrç Congregationi, quibus expoſuerunt, ipſa pro tempore præterito nec in totum, nec juxta Defuncti voluntatem, adjecta onera adimpleviſſe, pro quo tamen inadimplemento adire intendunt Rev. Fabricam S. Petri pro obtinenda compoſitione.

Quò verò ad futurum tempus duo poſtularunt, *primùm*, quòd pro annuo celebrando Anniverſario ſtatuatur tùm modus illius celebrationis, tùm expenſa in eo eroganda, & *alterum* pro reductione Dotis uni Puellæ, ut præſcri-

ſcripſerat Teſtator, conferendę in annuis ſcutis ſeptuaginta quinque reſpondentibus florenis centum quinquaginta, quoniam attenta diminutione Capitalium alienatorum pro dimittendo ære alieno Teſtatoris, ac pro reſtituenda Dote Laviniæ illius Uxori, nec non attenta imminutione reddituum, integrum Tamburelli Patrimonium, demptis expenſis, oneribuſque realibus, non excedit annuos redditus ſcutorum quadraginta.

Epiſcopus auditus retulit, vera eſſe à Sodalibus narrata, cenſetque eroganda pro Anniverſario cum celebratione unius Miſſæ cum cantu, ac recitatione Officii pro Defunctis, & apparatu Cereorum annua ſcuta duo. Ad dotem verò, quod attinet, putat eam eſſe reducendam ad annua ſcuta quadraginta, vel conferendam de biennio in biennium in ſcutis ſeptuaginta quinque juxta voluntatem Teſtatoris. Opportunum tamen cenſuit, hanc hæreditatem eſſe adminiſtrandam ab uno tàntum Œconomo, ut retractos fructus deponat pro faciliori, promptiorique ſolutione Dotis, & expenſarum Anniverſarii, eidem aſſignato emolumento ex ſuperextantibus redditibus d. hęreditatis.

Sodalium petitio propoſita fuit *per Summaria Precum* in Congregatione *diei* 11. *Januarii* 1777., fuitque reſcriptum = *Dilata, & firmetur Status, & deinde ponatur in Folio*.

Datis pro hujuſmodi effectu Litteris Epiſcopo, hic ſervatis ſervandis citato etiam Promotore Fiſcali proceſſit ad firmationem Status hæreditarii Joſephi Tamburelli, cujus Proceſſum unà cum ejus relatione tranſmiſit ad hanc Sac. Congregationem. Inquit Epiſcopus = *Cum itaque, prout reſultat ex hujuſmodi Proceſſu, redditus prædictæ hæreditatis ad præſens pæne attingant ſummam ſcutorum quadraginta, impares certe ſunt ad ſupportanda onera à Teſtatore imperata, & celebrationis annui Miſſarum officii, & aſſignationis in quolibet anno ſubſidii dotalis ſcutorum ſeptuaginta quinque. Quamobrem exiſtimo, quòd perneceſſe erit, ab EE. VV. decerni vel reductionem ejuſmodi Dotalium ſubſidiorum juxta quantitatem reddituum, vel illorum diſtributionem de biennio in biennium, prout alias retuli alia mea humillima Epiſtola ad EE. VV. data*.

Iterum à Sodalibus dd. trium Sodalitiorum jura circumfe-

runtur. Munus nunc erit Eminentiarum Vestrarum decernere.

An, & quomodo sit locus reductioni Onerum, de quibus agitur, in casu &c.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

NULLIUS, SEU NONANTULANA TRANSLATIONIS MISSARUM. In ultimo, cum quo anno 1753. decessit elogio Nicolaus Scotarini Civitatis Pergulæ Nonantulanæ in spiritualibus Jurisdictionis usufructuariam sibi scripsit hæredem Catharinam ejus Fratriam, qua defuncta, voluit, ut redditus medietatis suæ hæreditatis erogarentur in subsidiorum dotalium distributionem, ex redditibus verò alterius medietatis tot celebrarentur Missæ, quot fructibus responderent, ad gentilitium Testatoris Altare Beatæ Mariæ Virginis in Ecclesia Patrum Minoris Observantiæ S. Francisci Pergulanæ Civitatis. Celebrationis onus injunxit Præsbytero Cherubino de Cherubinis, quem etiam in Executorem suæ voluntatis elegit, eidemque Testator potestatem fecit = *di sostituire la celebrazione de' Sacrificj in altri Sacerdoti, che à lui piacerà, e parerà, ovvero col fruttato della detta metà della mia Eredità erigere una Cappellania, affinchè possino celebrarsi perpetuamente tanti Sacrificj per l' anima di noi come sopra.*

Nondum adimpleta voluntate Testatoris, decessit Cherubinus Executor Testamentarius. Quare Episcopus Eugubinus tamquam Nonantulæ Abatis delegatus cum rata Bonorum dicti Nicolai, & cum Bonis Hieronymi ejus fratris pro Cappellania erigenda destinatis, unam, cumulatis Bonis utriusque Fratris, Cappellaniam erexit ad Altare majus Parochialis, & Prioralis Ecclesiæ Divi Marci præfatæ Civitatis Pergulæ, eamque ordinariæ Collationis perpetuis futuris temporibus esse declaravit, mandavitque, quòd Sacra relativè ad redditus Bonorum Nicolai celebrarentur in Ecclesia S. Antonii Patavini RR. PP. S. Francisci de Observantia, in qua Nicolai

Ca-

Cadaver tumulatum fuerat ; Sacra verò jnxta redditus Bonorum Hieronymi in præfata Eccleſia Divi Marci celebrarentur.

De hac Cappellania providit Epiſcopus Clericum Joannem Baptiſtam Caſſoni, qui ad illius titulum fuit ad Sacrum Præsbyteratas Ordinem promotus ; Vix ad Patres Minores Obſervantes S. Franciſci perventa notitia erectionis Cappellaniæ, illiuſque collationis in Clericum Sæcularem, pati noluerunt, ut Sæcularis Præsbyter Miſſas in eorum RegulariEccleſia celebraret, recuſata etiam, quæ ipſis oblata fuit, Utenſilium ſolutione. Propterea Cappellanus Caſſoni ſupplicem huic Sacræ Congregationi porrexit libellum, poſtulavitque translationem oneris Miſſarum à dicta Eccleſia Patrum Minorum Obſervantium ad aliam Eccleſiam.

Super his auditus Eminentiſsimus Abbas Commendatarius ſenſum ſuum aperuit his verbis = *Quamobrem non electo per Teſtatorem Altari, in quo erigenda eſſet Cappellania, facilius utique aſſentiendum eſt translatiooi, cum agi videatur de commutanda non tam voluntate Defuncti, quàm ſimplici, & fortaſſe imprudenti Altaris deſtinatione* = ſubditque = *Agitur de Miſſarum onere per ipſum Teſtatorem directo in eoſdem Sæculares Præsbyteros, à quibus iniquum eſt avelli, ut detur Regularibus, quia nolunt, detrectantque Miſſas in eorum Eccleſia celebrari, ſpreta etiam oblata ſolutione Utenſilium.*

Requiſitus etiam ſubinde fuit Eugubinus Antiſtes, ut referret, an Patres Minores Obſervantes præſtiterint conſenſum in erectione Cappellaniæ, & quatenus non præſtiterint dictum conſenſum, tunc præfigatur terminus ad declarandum, an velint admittere dictam Cappellaniam.

Reſpondit Epiſcopus = *Opportunas in primis adhibui diligentias ut penes acta hujus meæ Cancellariæ recognoſcerem, an Fratres Minores de Obſervantia S. Franciſci degentes in Conventu S. Antonii dictæ Civitatis aſſenſum præbuerint pro erigenda Cappellania Scutarini, Miſſiſque celebrandis in eorum Eccleſia. Quædam dumtaxat epiſtola, cujus exemplar adnecto, reperta eſt, conſcripta à Patre Guardiano illius temporis, in quo ab Epiſcopo meo Anteceſſore uti Delegato Abbatiæ Nonantulanæ erecta fuit prædicta Cappellania, de anno videlicet* 1765. ; *Cum au-*

tem ex ea non ſatis clare eruatur hujuſmodi conſenſus, operæ pretium duxi nomine Sacræ Congregationis, prout ab EE. VV. in mandatis habui, ipſos Fratres in præfato Conventu S. Antonii modò commorantes audire, à quibus folium recepi ſigillo munitum, & à ſingulis eorum ſubſcriptum, quod pariter traſmitto =, ex quo folio patet, dictos Patres litteraliter, & expreſsè diſſentire, ut Sæcularis Præsbyter Sacra celebret in eorum Eccleſia.

Et profectò, hoc Patrum concurrente diſſenſu, locum eſſe translationi Oneris Miſſarum ad aliam Eccleſiam definivit hæc Sacra Congregatio *in Papien. Oneris Miſſarum* 28. *Novembris*, & 12. *Decembris* 1733., & nuperrimè *in Firmana Translationis Cappellaniæ diei* 17. *Aprilis* 1779., cujus rationum momenta relata *in Folio Congregationis* habitæ *die* 6. *Martii dicti anni* plurimum ad rem conferre videntur. Dubium eſt.

An, & quomodo ſit locus translationi Miſſarum in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 2. Decembris 1780. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRES priores, quæ ſubjiciuntur, Cauſæ *in ultima Congregatione diei 16. præteriti menſis Septembris* proponi non potuerunt. Rogantur itaque Eminentiſſimi Patres *pro reaſſumptione dictæ Congregationis folii*, ut illarum dubia definiant.

MASSANEN.; in qua definiendum eſt. *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo Capituli Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Negativè.

CAMERINEN. REDUCTIONIS ONERUM, in qua ambigitur. *Seſs. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni Onerum, de quibus agitur in caſu &c.

Affirmativè, nempe ſolutis ſcutis duobus pro Anniverſario, redditus ſuperextantes, detractis expenſis erogentur in ſubſidium dotale quotannis conferendum uni Puellæ, juxta diſpoſitionem Teſtatoris, & Epiſcopus incumbat rectæ bonorum adminiſtrationi.

NULLIUS, SEU NONANTULANA TRANSLATIONIS MISSARUM, in qua diſputatur. *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus translationi Miſſarum in caſu &c.

Affirmativè, & transferantur Miſſæ ad Eccleſiam Parochialem S. Marci, & ad Altare ſub invocatione B. M. V.

MACERATEN. JURIS FUNERANDI. Dilationem in hac Cauſa poſtulante Univerſitate Studiorum Civitatis Maceratenſis *in Congregatione* habita *die 5. præteriti menſis Auguſti*, Eminentiſſimi Patres eam indulgendam *Seſs. 25. cap. 13. de Reform.*

dam esse censuerunt edito rescripto = *Dilata ad primam post Aquas citato Parocho S. Mariæ della Porta* = Obsequimur eorum imperio nunc eam dantes, ut repetita lectione *Folii Congregationis* habitæ *die* 15. *Julii proximè præteriti*, in quo hujus Causæ merita relata fuerunt, gemina ejus Dubia definiant.

I. *An, & cui competat jus peragendi exequias, aliasque functiones funebres occasione tumulationis Cadaverum in Ecclesia S. Joannis Maceratæ in casu &c.*

II. *An, & cui debeantur emolumenta funeralia pro Cadaveribus, quæ sepeliuntur in dicta Ecclesia in casu &c.*

Ad I. quoad Cadavera eorum, qui sunt de gremio Capituli spectare ad Capitulum; In reliquis iterum proponatur; Ad II. pro Cadaveribus eorum, qui sunt de gremio Capituli, emolumenta spectare ad idem Capitulum; In reliquis iterum proponatur.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

LEODIEN. In hac etiam Causa, quæ data fuerat *in Folio Congregationis diei* 5 transacti *mensis Augusti*, in sequenti *Congregatione* habita *die* 26. *ejusdem mensis* Joannes Folch Collitigans *Dilationem ad primam post Aquas* postulavit, obtinuitque. Nunc igitur eam damus obsequentes mandatis Eminentissimorum Patrum, quibus grave non erit prædictum *Folium* iterum consulere, ut expediant tria Dubia, quæ sunt.

I. *An Beneficia S. Andreæ, & S. Nicolai habeant adnexum onus celebrationis, & applicationis Missarum in casu &c.* = & quatenus affirmativè.

II. *An, & in qua quantitate Missarum anno quolibet celebrare teneatur Rector utriusque Beneficii in casu &c.*

III. *An, & in qua quantitate Missarum teneatur Rector eorumdem Beneficiorum reintegrare Capitulum Munsterblisiense de eleemosynis solutis aliis Beneficiatis, quibus distribuit celebrandas Missas neglectas à Rectore præfatorum Beneficiorum ab anno* 1766. *in posterum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, & amplius: Ad II. teneri ad celebrandas duas Missas qualibet hebdomada pro unoquoque Beneficio cum applicatione pro Fundatoribus Beneficiorum, & præterea alias duodecim Missas annuas pro Baronissa Diereheim; Ad III. provisum in secundo juxta liquidationem faciendam coram Nuncio Apostolico, exhibitis libris per Capitulum.

Reliquæ non propositæ.

FANEN. . Hujus Cauſæ ſpecies data fuit *in Folio Congregationis* habitæ *die* 15. præteriti *menſis Aprilis*, ſed in ea proponi non potuit . Propoſita itaque fuit in ſequenti *Congregatione diei* 29. *ejuſdem menſis Aprilis* , & quatuor illius Capitibus , quæ erant , I. *An Archidiacono Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi Carticeti debeatur eleemoſyna ex Maſſa communi pro celebratione Miſſæ pro Populo in caſu &c.* = & quatenus affirmativè . II. *An , & à quo tempore debeatur eadem eleemoſyna in caſu &c.* = III. *An quilibet ex Canonicis hebdomadariis teneatur celebrare Miſſam Conventualem abſque ulla eleemoſyna , ſeu potius hæc ſit præſtanda ex communi Maſſa in caſu &c.* = , & quatenus affirmativè ad primam partem . IV. *An, & à quo tempore reintegranda ſit Maſſa communis pro eleemoſynis indebitè perceptis in caſu &c.* = reſpondit Sacrum Tribunal = *Ad I. Affirmativè . Ad II. Affirmativè à die motæ Litis . Ad III. Affirmativè ad primam partem, compræhenſo per Turnum Archidiacono, negativè ad ſecundam . Ad IV. Affirmativè à die motæ Litis .* *Seſs. 23. cap. 1. de Reform. , & Seſs. 25. cap. 7. de Reform.*

Adverſus hanc reſolutionem facta poteſtate Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ Terræ Carticeti deducendi jura ſua , quæ in anteacta jurium diſcuſſione non deduxerant, Cauſa repropoſita fuit *in Congregatione diei* 15. *præteriti menſis Julii* , & Dubio , quod unicum effectum fuerat , nimirum = *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis in caſu &c.* prodiit reſolutio = *Ad I. in deciſis , & amplius . Ad II. In deciſis , & amplius , nempe à die motæ litis . Ad III. Prævio receſſu à deciſis negativè ad primam partem , affirmativè ad ſecundam . Ad IV. Proviſum in Tertio .*

Non acquieſcentes ſupradicti Canonici adiverunt Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Pro-Auditorem SSmi , & ab eo reportarunt *novam Audientiam* adverſus *primi , & ſecundi Dubii* definitionem , prout etiam cum Archidiacono non placuerit poſtrema reſolutio *tertii , & quarti Dubii* , iterum audiri poſtulavit . De iiſdem quæſtionibus repetita lectione *Folii ſupradictæ Congregationis diei* 15. *Aprilis proximè præteriti* pro tertia vice nunc eſt cognoſcendum . Archidiaconus ſupplicat pro reaſſumptione ſuorum jurium in præfatis Congregationibus diſtributis . A Canonicis nihil hactenus habuimus. Duo ſunt expedienda Dubia .

I. *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis quoad primum , & ſecundum Dubium in caſu &c.*

II. *An*

II. *An ſit ſtandum in primo, vel ſecundo loco deciſis quoad tertium, & quartum Dubium in caſu &c.*

Seſs. 25. cap. 4. de Reform.

MUTINEN. SUSPENSIONIS, VEL REDUCTIONIS ONERUM. Duo ſunt in Parochiali Archipræsbyterali Eccleſia Terræ S. Fælicis Mutinen. Diœceſis canonicè erecta Sodalitia, quorum primum venerationi, & cultui SSmi Sacramenti deſervit; Alterum ſub invocatione Beatiſſimæ Virginis Roſarii congregatum eſt. Utrumque proprium habet Altare in præfata Eccleſia, & utrumque proprium pariter, diſtinctum, & publicum Oratorium in dicta Terra S. Fælicis, intra tamen limites memoratæ Paræciæ. At verò Altaria, & Oratoria nunc in eo ſunt adeo deplorabili ſtatu, ut prompta indigeant reparatione. Accedit, quòd Sodalitium SSmi Roſarii Sacris caret Supellectilibus, ideoque ad Eccleſiaſticas obeundas functiones ea conquirere neceſſe eſt. Vèrum utrumque Sodalitium tenues habet redditus, qui imminuti ex reductione facta fructuum Cenſuum, ex vectigalibus noviter impoſitis, ac demùm ex aucto pretio Ceræ, Olei, & ſimilium adeo impares ſunt pro adimplendis Oneribus Miſſarum, & Anniverſariorum, ad quæ tenentur dicta Sodalitia, ut quidquam non ſuperſit pro reparandis Altaribus, & Oratoriis, Sacriſque Supellectilibus renovandis.

In his rerum anguſtiis Archipresbyter dictæ Parochialis Eccleſiæ, & Officiales utriuſque Sodalitii humiliter ſupplices ſunt apud hanc Sacram Congregationem pro gratia ſuſpenſionis adimplementi dictorum Onerum, vel ſaltem illorum reductionis per lapſum viginti annorum, ut facto pecuniarum cumulo, præfatis Altarium, Oratoriorum, Sacrarumque Supellectilium neceſſitatibus occurri poſſit.

Epiſcopus auditus vera dicit ea, quæ fuerunt in precibus ab Oratoribus expoſita. Retulit, quòd Sodalitium Sanctiſſimi Sacramenti *ex antiquis piorum Benefactorum diſpoſitionibus Miſſas octingentas quadraginta novem* = Sodalitium verò Bmæ Virginis Roſarii = *Miſſas quadringentas triginta quatuor annuatim celebrari facere tenentur*.

De redditibus utriuſque Sodalitii, ac de illius expenſis pro reſpectivorum onerum implemento ſic ait Epiſcopus = *Societas SSmi Sacramenti habet annuum redditum ſcutorum quadraginta quinque circiter monetæ Romanæ pro-*

ve-

venientem pro majori parte ex fructibus Censuum : Expensæ autem ordinariæ, quibus gravata est, scilicet pro celebratione Missarum, provisione Ceræ, Olei, Vini, ac stipendio Officialium annuatim ascendunt ad scuta pariæ centum octoginta circiter, quæ licet annuos redditus superent, attamen annuatim supplent Fidelium Oblationes, & Eleemosynæ. Societas verò SSmi Rosarii reddítum habet annuum scutorum centum circiter, illiusque onera ut supra annuatim ascendunt ad scuta centum decem circiter monetæ prædictæ.

Itemque retulit, quòd facienda reparatio Altarium, & Oratoriorum, Sacrarumque Supellectilium renovatio = *judicio Peritorum insimul expensam exigunt scutorum septingentorum circiter monetæ Romanæ* = concluditque = *Cum autem de præmissis mihi certo certius constet, & Societatibus prædictis nulla alia media suppetant pro expensis prædictis faciendis, humillime sum in voto, implorata gratia temporaneæ suspensionis dictorum onerum Missarum dignas esse.*

Otatorum preces fuerunt *per Summaria Precum* propositæ *in Congregatione diei* 18. *Martii labentis anni*, rescriptumque fuit = *Dilata, & scribatur Episcopo, qui mandet confici statum œconomicum ultimi decennii reddituum tàm Ecclesiæ Parochialis, quàm Confraternitatum, nec non, & Onerum ipsis incumbentium, & quantitatis expensarum necessariarum tam pro restauranda Ecclesia, quàm pro comparandis Supellectilibus Sacris, & referat, an aliquæ Missæ celebrentur ex devotione tantum, & demum an, quæ fiunt à Confraternitatibus expensæ, sint omnes necessariæ, seu potius indifferentes.*

His omnibus satisfecit Episcopus, transmisitque folia reddituum, & expensarum tùm Parochialis Ecclesiæ, tùm etiam utriusque Sodalitii, facto computo per decennium ab anno scilicet 1770. ad annum usque 1779.. Ex Folio introitus, & exitus Ecclesiæ Parochialis constat, Archipræsbyterum annuos habere redditus, omnibus demptis oneribus, librarum mille biscentum triginta quatuor. Ex alio Folio constat, introitum Sodalitii SSmi Sacramenti per lapsum totius dicti decennii fuisse librarum 21146. 19. 4.: Exitum verò librarum 27504. 12. 4., & sic exitum superasse introitum in libris 6357. 13.: Demùmque patet ex alio Folio, Sodalitium SSmi Rosarii recepisse libras 30518. 0. 6., at pro oneribus impendisse libras 32816. 1. 11., proindeque expensas toto decennii tempore majores fuisse redditibus in libris 2298. 1. 4.

Rursus ex Folio Missarum patens fit, Sodalitium SSmi Sacramenti onus habere, die 3. Maii cujuslibet anni celebrare facere *ex consuetudine* tot Missas, quot sunt Presbyteri in prædicta Terra S. Fælicis in expiationem Animarum illius Confratrum, & Benefactorum, & pro eisdem pariter *ex consuetudine* sequenti die Anniversarium; cæteras verò Missas, & Anniversaria esse celebranda *ex piorum Benefactorum dispositionibus*. Alterum autem Sodalitium SSmi Rosarii onus habere celebrare faciendi pariter *ex consuetudine* annua sex Anniversaria, nec non Missam unam primo die Dominico cujuslibet mensis, cætera verò Anniversaria, & Missas *ex Testamentis*.

Repetit Episcopus in hac secunda relatione, quòd = *ad expensas necessario subeundas pro reparatione Altarium in Parochiali Ecclesia, ac duorum Oratoriorum de juribus dictarum Societatum, ac pro comparandis Supellectilibus Sacris judicio Peritorum vix scuta septingenta monetæ Romanæ sufficient*.

Prosequiturque = *Præmissis addo, Parochialis Ecclesiæ redditus annuos, deductis oneribus, vix ad honestam Parochi sustentationem sufficientes esse: Expensas, quæ pro dictis Societatibus annuatim fiunt, esse de precisa, ac indispensabili necessitate, proinde neque nihil omnino tolli posse, donec provisum fuerit Fabricæ memoratæ, & tandem parum, aut nihil in præsenti rerum statu ex Fidelium Oblationibus sperandum esse* = Tandem iterum votum suum aperuit his verbis = *Quibus stantibus, humillimè censeo, Oratores dignos esse implorata temporanea suspensione onerum Missarum, de quibus in precibus*.

Reproposita similiter *per Summaria Precum* Oratorum instantia *in Congregatione diei* 16. *Septembris proxime præteriti*, rescriptum prodiit = *Ponatur in Folio pro prima Congregatione* =; ideoque nunc eam damus, ut Eminentissimi Patres, quid juris esse censuerint, definiant.

Sacra Congregatio urgente necessitate non raro concessit gratiam temporaneæ suspensionis onerum Missarum, earum tamen nonnullis annualiter celebratis, ut *in Interamnen* 29. *Novembris* 1777, & *in Nucerina Paganorum Reductionis Missarum* 5. *Septembris* 1778.. Dubium est.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

FIR-

FIRMANA CAPPELLANIÆ. Maria Angela Picucci ex Oppido Amandulæ Firmanæ Diœceſis condito Teſtamento, quod per ejus obitum ſequutum anno 1762. publicatum fuit, hæredes inſtituit Franciſcum Trovarelli, & Franciſcum Bongrazj. Tres in eo erigendas præcepit mere laicales Cappellanias, quarum *primam*, de qua eſt ſermo, ſub titulo Bm̃æ Virginis Lauretanæ fundavit ad Altare dicatum eidem Bm̃æ Virgini ſitum in Collegiata Eccleſia S. Donati nuncupata S. Martini dict Oppidi, cum onere celebrationis, & applicationis trium Miſſarum qualibet hebdomada. Jus autem nominandi Cappellanum, quem ad nutum amovibilem eſſe juſſit etiam poſt annum, & ſine cauſa, reliquit ſupradicto Franciſco Trovarelli, ejuſque filiis tam maſculis, quàm fœminis, eorumque Succeſſoribus in infinitum. Hac verò extincta Deſcendentia, Teſtatrix in jure nominandi ſubſtituit quamdam Congregationem Præsbyterorum Sæcularium, & Regularium, ut inſimul congregati per ſecreta ſuffragia Cappellanum Sacerdotem eligerent. *Sæſſ. 23. cap. 6. de Reform.*

In Codicillaribus Tabulis ſubinde exaratis ab eadem Teſtatrice, hæc mandavit, quòd onus trium Miſſarum qualibet hebdomada impleri poſſet à Cappellano pro tempore utcumque Regulari in ea Eccleſia, & Altari ſibi beneviſo, & in caſu illius infirmitatis onus per alium adimpleri deberet.

Franciſcus Trovarelli cohæres, & Patronus nullos habens filios Maſculos jus ſuum nominandi Cappellanum per ſyngrapham obſignatam die 13. Auguſti 176 . ceſſit Claræ Trovarelli ejus unìgenitæ filiæ, quæ nupta fuit Dominico Fedeli ex eodem Oppido. Ex hoc Matrimonio nonnulli jam adnati ſunt filii maſculi, proindeque è re ſua putavit Clara mater ſupplicem adire ſummum Pontificem pro facultate in poſterum eligendi in Cappellanum aliquem ex ſuis filiis, quin obſtricta ſit Præsbyterum eligere Caepellanum.

Ablegatis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus de more fuit Vicarius Capitularis Firmanus tunc Sede Archiepiſcopali vacante. Is confirmavit ea, quæ ex facto Clara retulit in precibus, concluditque = *Equidem, ſi res juxta Oratricis vota abſolvatur, Cauſa pia vel in minimo non labefactatur, & nulli, prout mihi videtur, præjudicium irrogatur.*

Cauſa proponitur. Suſtinet Oratrix, valere debere ſibi ceſſum à Patre jus nominandi Cappellanum utcumque ceſſio careat approbatione Ordinarii, quia ipſa poſt obitum Patris legitime ſuccedit in jure nominandi, quia res eſt de Cappellania mere laicali ad firmata per *Card. de Luc. tit. de Jurepatr. diſc.* 53. *num.* 2., *Rot. deciſ.* 62. *num.* 30. *poſt Scarſanton. ad Ceccoper.*, & quia Teſtatrix expreſſè mandavit, ne quilibet Superior Eccleſiaſticus jus aliquod ſibi adſcriberet in ſuis Cappellaniis *Piton. Controv. Patron. alleg*, 31. *num.* 1., & *alleg.* 34. *num.* 18., & *Rot. deciſ.* 22. *num.* 8., & *ſeqq. de Iurep. cor. Falconer.*, eamque propterea vivente Patre tamquam illius ceſſionariam jus habere nominandi in Cappellanum aliquem ex filiis ſuis Maſculis, utpote de genere Patronorum, ſive ſint in minori, ſive etiam in infantili ætate conſtituti, ut ſæpe definivit Sacra Congregatio, & in ſpecie *in Cornetana* 17. *Junii* 1755., *in Cremonen. Diſpenſationis* 20. *Januarii* 1776., & *in Auximana Diſpenſationis* 19. *Julii* 1777.

Contendit ulterius Oratrix, rem non eſſe de Cappellania Presbyterali cum onere celebrandi per ſe ipſum. Namquicquid ſit in caſu extinctionis ſuæ Familiæ, & Deſcendentiæ Trovarelli, in quo Teſtatrix mandaverit, quòd Cappellanus Præsbyter eligeretur à Congregatione Præſbyterorum in jure nominandi ſubſtituta, ſua tamen durante deſcendentia nullam Cappellano per ipſam nominando Sacerdotalem adjecit qualitatem, hinc quod ſcriptum fuit pro Cappellano à Subſtitutis nominando, trahi non poſſe contendit ad interpretationem nominationis à Patronis hæredibus faciendæ *Rota in Tridentina Cappellaniæ* 5. *Aprilis* 1715. §. 17. *cor. bo. me. Cerro*, & *in Aquilana Jurispatronatus* 10. *Martii* 5752. §. 8. *cor. bo. me. Amadeo*.

Nec Codicillum obſtare, quia voluntas Teſtatricis in eo pandita conciliari commodè poteſt, ac referri ad nominationem Cappellani in Præſbyteratus ordine conſtituti a Subſtitutis explendam, ſcriptamque in Teſtamento, ſecus autem ad nominationem ſimplicis Cappellani faciendam ab hæredibus ex Teſtamento, quam voluntatem Teſtatrix, vel corrigere, vel reformare, vel ab ea recedere, nunquam in Codicillo profeſſa eſt, nec talia ſcripſit, quæ Teſtamentum inter, & Codicillum evidentem inducant repugnantiam, *Rot. deciſ.* 1. *num.* 14. *de Teſtament. cor. Falconer.*, & *in Civitatis Caſtelli Cappellaniæ* 10. *Martii* 1758. §. 17. *cor. bo. me. Canilliac.*

Hæc

Hæc, & alia sunt in libello pro Oratrice circumferendo, quibus perpensis, munus erit Eminentissimorum Patrum definire.

An, & quomodo Oratricis precibus sit annuendum in casu &c.

VRBINATEN. Curator Mensæ Archiepiscopalis Vrbini preces porrexit Summo Regnanti Pontifici, narravitque, quòd inter Bona Mensæ Archiepiscopalis plurima sunt emphyteutica tam Vrbana, quàm ruralia, pro quibus à Mensa tenuissimi Canones exiguntur. Elapso quolibet quadragenario tempore, prout etiam extincta tertia Emphyteutarum generatione, Mensa cogitur Emphyteusim renovare favore Laicorum, qui laudemium pro renovationibus Mensę solvunt juxta antiquam Transactionem, antiquumque Bonorum valorem, ad rationem quatuor pro centenario; Loca pia vero Laudemium ad rationem trium pro quolibet centeno Mensæ rependunt: Occasione istarum renovationum renovantur etiam Bonorum Possessores: In dividendis autem Bonis emphyteuticis inter Fratres emphyteutas, nec non in constituendis dotibus favore Fæminarum, Emphyteutæ multiplicantur absque scientia Mensæ Archiepiscopalis, Confinia immutantur, vocabulorum appellationes confunduntur, tractuque temporis documenta, & memoriæ pereunt, ut hæc omnia fiunt maxima cum Bonorum emphiteuticorum jactura, maximoque cum Archiepiscopalis Mensæ detrimento. *Sess. 22. cap. 11. de Reform.*

Accedit, quòd ex Aquarum impetu, ex alluvionibus, & ex corrusionibus Fluminum rustica pereunt emphyteutica Prædia Fluminibus contermina, vel ex neglecta cultura sterilia siunt: Ædes autem Vrbanæ vel Possidentium incuriâ, vel intercedente ipsorum inopia, vel prætermissa urgenti illarum reparatione ruinam proximam patiuntur, ac successivè Mensæ damno solo æquantur.

Ad tot avertenda mala supplicavit idem Curator Mensæ pro facultate, accedente tamen consensu Archiepiscopi, & Capituli, solvendi Bona à nexu emphyteutico, annuentibus tamen, vel petentibus illorum Possessoribus,

ad

ad rationem decem pro quolibet Centenario rerum pretii, vel pro majori, seu minori summa juxta eorumdem Possessorum facultates, ad effectum tamen receptas pecunias deponendi, & investiendi cum probatione, & consensu præfatorum Archiepiscopi, & Capituli in tot Bona stabilia favore Mensæ Archiepiscopalis.

Hæc Curatoris preces remissæ fuerunt Sacræ huic Congregationi - Quod in illis expositum fuit, confirmavit Archiepiscopus, qui fuit pro Informatione, & voto requisitus audito Capitulo per secreta suffragia. Is retulit, Bonorum emphyteuticorum valorem juxta recentem eorum factam æstimationem ascendere ad præclaram summam scutorum 62725.; Canones autem, qui à Mensa pro iis omnibus exiguntur, vix annuam æquare summam scutorum sex. Et suam aperiendo sententiam, ita dixit= *satis opportunum, seu potius necessarium mihi videtur Oratoris instantiæ annuere, sibi licentiam tribuendo, si quos invenerit Emphyteutos libertatis beneficium exposcentes, Capita emphyteutico oneri obnoxia à servitute eximendi, dummodo scuta decem pro quolibet centenario etiam juxta antiquum valorem, & posthabita melioramentorum æstimatione pensitentur, ac etiam erga miseras Personas aliquid minoris indulgendo, dummodo tamen expostulanda libertas nulli concedatur, nisi in quolibet actu Capituli hujusce Metropolitanæ, necnon meus accedat assensus, ac stipulationis occasione redacta, solutaque pecunia Sacra in hac Æde deponatur, ad effectum ut subinde Fundi frugiferi, ac tuti comparentur* = transmisitque Capituli consensum, & approbationem habitam à Canonicis nemine discrepante.

Hanc concedendam esse facultatem sensit quoque Eminentissimus D. Cardinalis Borromeus requisitus, ut dignaretur rem perpendere, & votum suum aperire. Verum facta de his omnibus relatione *Sanctissimo D. N.*, idem præcepit, ut res *poneretur in folio*.

Obsequentes igitur eam nunc damus. Sacra Congregatio eamdem facultatem *sub die* 30. *Julii* 1757. dedit Curatori Mensæ Episcopalis Feretranæ, eamque novo ejusdem Mensæ Curatori confirmavit *die* 6. *Martii superioris anni* 1779.

Quid expediat, cognoscendum erit ab Eminentissimis Patribus, ad quos pertinet expedire.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Finis.

INDEX
RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Cauſis in Sac. Congregatione Concilii propoſitis anno 1780.

A

ABatiæ bonorum venditionem faciendam eſſe illius favore, qui minorem fecerat oblationem, reſcripſit Sac. Congregatio in *Nucerina Venditionis* 17. *Junii pag.* 82. *& ſeqq.*

Abeſſendi a Choro ob ſervitium per quadraginta & ultra annos laudabiliter præſtitum Canonico ætate gravi indultum fuit in *Aſten. Jubilationis* 26. *Auguſti pag.*119. *, & ſeqq.*

Abeſſendi a Civitate ob infirmitatem non facit Canonico fructus ammittere ſui Canonicatus, & quotidianas diſtributiones; ſicuti, recedendo a deciſis, ſtatuit Sacra Congregatio in eadem *Romana Fructuum* 29. *Aprilis pag.*55.

Abeſſendi a ſervitio Chori indultum cauſa ſtudiorum obtentum non facit ſubiicere Canonicum punctaturis, ut in *Nullius, ſeu Farfen. Punctaturarum* 5. *Auguſti ad I. Dub. pag.*108.

Verum facit ei ammittere quotidianas diſtributiones *ibid.*

Idem indultum ob eamdem cauſam per aliud biennium ipſo Canonico conceſſum fuit *ibid. ad II. Dub.*

Abeſſendi a ſervitio Eccleſiæ ob celebrationem Miſſæ quotidianæ in aurora indulgendum eſſe Cappellano, facto tamen verbo cum Sanctiſſimo, cenſuit S. Congregatio in *Taurinen. ad II. Dub. pag.*56.

Ab incurſa irregularitate per Sacerdotem cauſa homicidii ab eodem patrati, conſulendum eſſe Sanctiſſimo pro abſolutione, veluti, recedendo a deciſis, cenſuit Sacra Congregatio in *Termularum Diſpenſationis ab Irregularitate* 29. *Aprilis pag.* 56., *& ſeqq.*

Ab incurſa irregularitate propter celebratum Sacrum a Sacerdote, qui ab Archiepiſcopo ſuſpenſus fuerat, abſolvendum eumdem eſſe cenſuit S. Congregatio, facto verbo cum Sanctiſſimo, ut in *Beneventana Diſpenſationis ab irregularitate* 16. *Septembris pagin.* 133.

Abſolvendos eſſe Canonicos pro Miſſis in præteritum non celebratis, facto tamen verbo cum Sanctiſſimo, reſolvit S. Congregatio in *Faventina Miſſæ Conventualis ad IV. Dub. pag.*67.

Abſolutio conceſſa fuit Canonicis, qui ob defectum reddituum onera adimplere non potuerunt in *Faventina Reductionis Servitii Chori, & Miſſarum* 15. *Januarii pag.*1.

Reliqua vid. ſub verb. *Canonici*.

Abſolutionis gratiam ab incurſa irregularitate propter celebratum Sacrum a Sacerdote ſuſpenſo concedi poſſe cenſuit S. Congregatio, facto verbo cum Sanctiſſimo, ut in *Beneventana Diſpenſationis ab irregularitate* 16. *Septembris pag.*133.

Abſolutionis pro gratia ab incurſa irregularitate per Sacerdotem propter homicidium ab eodem patratum, conſulendum eſſe Sanctiſſimo, recedendo a deciſis, ſtatuit Sacra Congregatio in *Termularum Diſpenſationis ab Irregularitate* 29. *Aprilis pag.*56., *& ſeqq.*

Adimplementum Onerum Canonicis remiſſum fuit ob defectum reddituum in *Faventina Reductionis Servitii Chori, & Miſſarum* 15. *Januarii pag.*1.

Adimplendi cauſa conditiones præſcriptas in Inſtrumento donationis a Patribus Ordinis Excalceatorum S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum acceptatas, præfiniendum eſſe eis terminum unius anni, cenſuit S. Congregatio in *Anagnina* 15. *Aprilis ad II. Dub. pag.*40.

Adimplendi cauſa Teſtatoris voluntatem juſſit S. Congregatio, quod annuus fundus conſtitueretur pro Anniverſariis, & Miſſis lectis ab eodem præſcriptis *Vercellen.* 29. *Aprilis pag.*55.

Adminiſtratoris hæreditatum pro nunc ſuis ſumptibus firmationem ſtatus expleri, deinde cujus de jure mandavit S. Congregatio in *Viden. Legatorum* 18. *Martii pag.* 27.

Aegritudinem, ob quam abeſt ab Urbe Canonicus non facere ei ammittere fructus Canonicatus ſui, & diſtributiones quotidianas, recedendo a deciſis, ſtatuit Sacra Congregatio in *Romana Fructuum* 29. *Aprilis pag.*55.

Aes alienum, quo bona Ecclesiæ gravata erant, in finem dimittendi, Beneplacitum ea vendendi indulsit Sacra Congregatio, ad hoc tamen, ut subrogarentur alia bona, donec redintegraretur pretium dictorum bonorum in *Maceraten. Beneplaciti 26. Augusti pagin.122., & seqq.*

Commisit tamen Episcopo, ut liquidaret reditus oneri Missarum ex Legato celebrandarum subrogandos *ibid.*

Aetatis dispensatio Vid. *Dispensatio super ætate.*

Aetatis super defectu quoad Ordines Minores, & infra annum ad Subdiaconatum dispensationem indulgendam esse Clerico; quoad vero Diaconatum, & Presbyteratum legitimam ætatem expectare ipsum debere censuit Sacra Congregatio, juxta votum Archiepiscopi Episcopi *Papien, Dispensationis 16. Septembris pag.134., & seqq.*

Afflictum Bonorum Ecclesiæ ad novennium factam per Capitulum non sustineri rescripsit S. Congregatio in *Nullius, seu Sublacen. 15. Aprilis ad I. Dub. pag. 39.*

Ideoque jussit, ut nova affigerentur Edicta ad alliciendos alios Oblatores *ibidem ad II. Dub.*

Affixio Edictorum. Vid. *Edictorum affixio.*

Animæ Benefactorum. Vid. *Benefactorum Animæ.*

Anniversaria a Testatore præscripta, ut celebrentur jussit S. Congregatio quod constitueretur annuus fundus *Vercellen. 29. Aprilis pag. 55.*

Antistitis Decretum, quo commutatur voluntas Testatoris viventis, & inauditi, non sustineri præscripsit S. Congregatio in *Anagnina 15. Aprilis pag.40.*

Aperitio Oris. Vid. *Oris aperitio.*

Apostolicæ Litteræ. Vid. *Litteræ Apostolicæ.*

Apostolicum Beneplacitum. Vid. *Beneplacitum Apostolicum.*

Apostolicum Breve. Vid. *Breve Apostolicum.*

Applicatio Missarum. Vid. *Missarum applicatio.*

Ordinarii decretum, cujus tenore commutata fuit voluntas Testatoris adhuc viventis, & inauditi, non sustineri præscripsit Sac. Cong. in *Anagnina* 15. *Aprilis ad I. dub. pagin.* 40.

Ordines Minores ad effectum suscipiendi, dispensationem super defectu ætatis indulgendam esse Clerico, & infra annum Subdiaconatum, & cum ipse ad legitimam ætatem pervenerit ad Diaconatum, & Presbyteratum promoveri se faciat, censuit Sac. Congregatio, juxta votum Archiepiscopi Episcopi in *Papien. Dispensationis* 16. *Septembris pag.*134., *& seqq.*

Oris aperitionem denegavit Sac. Congregatio adversus Breve Apostolicum S. M. Clementis XIV., cujus vigore suppressa fuit Confraternitas S. Catharinæ V., & M. erectam in Ecclesia Castri S. Petri, in *Bononien. Aperitionis Oris, & Reintegrationis* 19. *Februarii ad I. dub. pag.* 20.

Nec constare de invaliditate dictæ suppressionis resolvit *ibid. ad II. dub.*

Quæ omnia confirmavit in *eadem* 3. *Junii pag.*67.

Itidemque denegavit illam adversus aliud Apostolicum Breve ejusdem Pontificis, quo, cum Bona a Testatore destinata pro erectione Collegii in Civitate Vetrallæ facienda, applicata fuerunt Collegio PP. Scholarum Piarum de Urbe, ut in *Viterbien. Aperitionis Oris* 15. *Julii pag.*91.

Causa defectus vitiorum obretsubreptionis *ibid.*

Orphanæ Puellæ Dotis annuatim faciendâ distributio, suspendi per viginti quinque annos mandavit Sac. Congr., ut interea reedificaretur Ecclesia, eaque Sacris ornaretur suppellectilibus, juxta votum Episcopi, facto tamen verbo cum Sanctissimo ut in *Aquilana* 17. *Junii pag.*81.

P

PArochialem Ecclesiam providendam esse ære suo ab ejus Rectore, seu Priore de Utensilibus, ac Suppellectili Sacra, ut decenter peragi possint Sacræ functiones, resolvit Sac. Congregatio in *Spoletana Restaurationis Ecclesiæ Parochialis, & Sacrarum Suppellectilium* 18. *Martii pag.*28.

Quo verò ad reparationem Ecclesiæ, præcepit Antistiti, quod eligeret Peritos, qui referant quænam essent restaurationes explendæ, & quantum importare possent *ibid.*

Parochialis Ecclesia habere potest etiam fontem Baptismalem, quamvis alium retineat Ecclesia Matrix; dummodo necessitas id urgeat, sicuti censuit Sac. Congr. in *Cæsenaten. Fontis Baptismalis* 19. *Februarii pagin.* 19.

Parocho assignati stipendii suspensionem, jam denegatam, etiam ad tempus, iterum Sac. Congr. confirmavit in *eadem Civitatis Plebis* 5. *Augusti pag.*105.

Reliqua vid. *Stipendium*.

Partitionem inter Beneficiatos, & Clericos Beneficiatos fructuum, & distributionum quotidianarum Canonico ob infirmitatem ab Urbe absenti spectantium, alias denegatam, confirmavit Sac. Congr. in *eadem Romana Fructuum* 29. *Aprilis pag.*40.

Patres Conventuales, uti Corneliæ Vernazzi hæredes, teneri ad præstationem Legatorum PP. Cappuccinis, & Minoribus de Observantia relictorum a Vincentio Vernazzi, jam definitum, denuo fuit confirmatum in *eadem Vaden. Legatorum* 18. *Martii pag.*27. *ad I. dub.*

Nec non ad exequutionem aliorum Legatorum relictorum tam a Vincentio, quam a Cornelia Vernazzi *ibid.*

Patribus Minoris Observantiæ S. Francisci Civitatis Pergulæ, in quorum Ecclesia Missæ celebrandæ veniunt, renuentibus assentiri, ut illæ celebrentur per Sacerdotem Sæcularem, censuit Sacra Congregatio hoc onus transferri posse ad aliam Ecclesiam, & ad Altare sub invocatione B. M. V., ut in *Nullius, seu Nonantulana Translationis Missarum* 2. *Decembris pag.*149.

Patribus Ordinis Excalceatorum S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum præfiniendum esse terminum unius anni, ad implendas conditiones in Instrumento donationis præscriptas, & ab ipsis acceptatas, statuit Sac. Congr. in *Anagnina* 15. *Aprilis ad II. dub. pag.*40.

Patroni nominationem Cappellaniæ Ecclesiasticæ pro futura vacatione, non sustineri censuit Sac. Congr. in *Romana Cappellaniæ* 19. *Februarii pag.*19.

Etiamsi per triennium illam possederit Cappellanus *ibid.*

Patronorum Ecclesiæ, qui erant Religiosi, dissensus, ne Missæ inibi celebrarentur per Sacerdotem Sæcularem, fuit causa sufficiens transferendi dictum onus ad aliam Ecclesiam, ut in *Nullius, seu Nonantulana Translationis Missarum* 2. *Decembris pag.*149.

Patronos, qui reduxerunt fructus pensionis Cappellaniæ per Testatorem assignatos Cappella-

pellanis, absque Beneplacito Apostolico, nulliter egisse, & integros fructus deberi censuit Sacra Congregatio in *Avenionen. Cappellaniæ* 16. *Septembris pag.* 137., & *seqq.*

Pauperi Nepti Testatoris Dotem in subsidium postulanti ex redditibus in causis piis erogandis abnegandam esse resolvit in *Firmana Dotis* 16. *Septembris pag.* 133.

Pensio annua in certa quota Cappellano relicta per Testatorem, eidem debetur integra, non obstante illius reductione facta per Patronos pro tempore, tamquam Beneplacito Apostolico destituta, ut in *Avenionen. Cappellaniæ* 16. *Septembris pag.* 137., & *seqq.*

Quo vero ad annualitates præcedentes mandavit Partes iterum audiri in Sac. Congregatione Rev. Fabricæ S. Petri *ibid.*

Perditorum hominum ne receptaculum esset Ecclesia potius Ordinario injunxit, ut procederet omnibus remediis contra quos de jure, quam illius demolitioni acconsentire in *Aesina Demolitionis* 26. *Augusti pag.* 124., & *seqq.*

Perfuga per viginti & ultra annorum Provisi de pluribus Ecclesiasticis Beneficiis, non facit illa vacare, ex resolutis per Sacr. Congreg. in *Firmana, seu Ripana* 18. *Martii pag.* 28.

Possessio triennalis nacta per Cappellanum non reddit validam nominationem Cappellaniæ Ecclesiasticæ a Patrono expletam pro futura illius vacatione, sicuti resolvit Sac. Congr. in *Romana Cappellaniæ* 19. *Februarii pagin.* 19.

Prælationem in emptione Bonorum Abbatiæ concessit Sac. Congr. Oblatori etiam in minori quantitate in *Nucerina Venditionis* 17. *Junii pag.* 32.

Presbyter profugus per viginti & ultra annos non amittit Ecclesiastica Beneficia simplicia, de quibus provisus evasit, ex resolutis per Sac. Congr. in *Firmana*, & *Ripana* 18. *Martii pag.* 28.

Presbyter, ut obtineat absolutionem ab incursa irregularitate ob homicidium per se ipsum patratum, consulendum esse Sanctissimo, recedendo a decisis censuit Sac. Cong. in *Termularum Dispensationis ab Irregularitate* 29. *Aprilis pag.* 56., & *seqq.*

Presbytero, qui Missas celebravit ad ratam manualis deberi integrum stipendium a Fundatore in hanc causam assignatum resolvit Sac. Congr. in *Civitatis Castellanæ* 3. *Junii pag.* 68.

Præcepit tamen Ordinario, ut inquireret, utrum Patronus celebrare fecerit Missas *ibid.*

Priori Parochialis Ecclesiæ spectare censuit Sac. Congr. illam providere de Utensilibus, & sacris Suppellectilibus, ut decentius peragi possint sacræ Functiones in *Spoletana Restaurationis Ecclesiæ Parochialis*, & *sacrarum Suppellectilium* 18. *Martii pag.* 28.

Profugus Sacerdos. Vid. *Sacerdos profugus.*

Pro Populo celebranti Missam deberi eleemosyna ex massa communi resolvit Sac. Cong. in *Fanen.* 29. *Aprilis pag.* 56.

Quam resolutionem confirmavit in *eadem* 15. *Julii pag.* 91.

Provisio Canonicatus. Vid. *Canonicatus provisio.*

Provisionem sacrarum Suppellectilium per hæredem Fundatoris ad formam Testamenti esse explendam censuit Sac. Congr. in *Arausicana* 17. *Junii pag.* 81., & *seqq. ad I. Dub.*

Provisus de Beneficiis SS. Andreæ, & Nicolai Leodii tenetur celebrare duas Missas qualibet hebdomada pro unoquolibet ex illis cum applicatione pro Animarum Fundatorum eorundem Beneficiorum, & præterea celebrandi alias duodecim Missas annuas in expiationem Animæ Baronissæ Diereheim, ex resolutione Sac. Cong. in *Leodien.* 2. *Decembris pag.* 150. *ad II. Dub.*

Reliqua vid. sub verb. *Beneficia.*

Provisus de pluribus ecclesiasticis Beneficiis simplicibus, & profugus, per viginti & ultra annos, illa non ammittit, ex resolutis per Sacr. Congr. in *Firmana*, & *Ripana* 18. *Martii pag.* 28.

Puellarum Dotes. Vid. *Dotes Puellarum.*

Puellæ orphanæ Dotis distributio annuatim facienda suspendi per vigintiquinque annos mandavit Sac. Congr., ut interim reedificaretur Ecclesia, ac sacris Suppellectilibus ornaretur, juxta votum Episcopi, facto tamen verbo cum Sanctissimo, ut in *Aquilana* 17. *Junii pag.* 81.

Puellæ pauperi a Testatore descendenti ex hactenus deductis non deberi dotem ex bonis assignatis pro celebratione Missarum resolvit Sacr. Congr. in *Sutrina Dotis* 15. *Julii pag.* 91.

Puellæ pauperi, & nepti Testatoris Dotem in subsidium postulanti ex redditibus in causis piis erogandis, abnegandam esse censuit Sacr. Congr. in *Firmana Dotis* 16. *Septembris pag.* 133.

Puellæ ut succurratur aliquo subsidio dotali, reducendos esse annuos redditus bonorum, juxta quos impleri debebant onera a Testatore præscripta, ut in *Camerinen. Reductionis Onerum* 2. *Decembris pag.* 149.

Reliqua vid. *Onerum reductio.*

Puellis a Testatore descendentibus, etiam in octavo gradu constitutis, deberi subsidia dotalia in scutis centum quinquaginta pro unaquaque ex eis, jam resolvit, sed in confirmatione statuit Sac. Congr. deberi in scutis biscentum pro unaquaque, sicuti habetur in *eadem Romana Subsidiorum Dotalium*, 18. *Martii pag.* 28.

Puellis Testatoris consanguineis abnegavit dotem

tem Sac. Congr. in concursu earum, quibus ipse distribuere præceperat in *Ferrarien. Suppositionum Dotalium* 18. *Martii pag.* 27.

Punctaturis non subiicit Canonicus ob inadimplementum servitii Chori, si Indultum obtinuerit, ut in *Nullius seu Farfen. Punctaturarum* 5. *Augusti ad I. Dub. pag.* 103.

Verum ammittit distributiones quotidianas ad formam ipsius Indulti *ibid.*

Q

QUadraginta & ultra annos oportere Canonicum laudabiliter præstare Ecclesiæ, servitium, ut jubilationem in futurum consequatur, *Asten. Jubilationis* 26. *Augusti pag.* 119., *& seqq.*

Quoad Ordines Minores, & infra annum Subdiaconatum suscipiendo, indulgendam esse Clerico dispensationem super defectu ætatis; quoad verò Diaconatum, & Presbyteratum ætatem legitimam expectare ipsum debere censuit Sac. Congreg. juxta votum Archiepiscopi Episcopi in *Papien. Dispensationis* 16. *Septembris pag.* 134., *& seqq.*

Quotam pensionis per Testatorem relictam Cappellano, & per Patronos redactam absque Beneplacito Apostolico, integram eidem deberi censuit Sac. Cong. in *Arimin. Cappellaniæ* 16. *Septembris pag.* 137., *& seqq.*

Quotidiana Missa in Aurora celebranda promeruit Cappellano indultum in Ecclesia non residendi, facto verbo cùm Sanctissimo, *Taurinen.* 29. *Aprilis pag.* 56. *ad II. Dub.*

Quotidianas distributiones omnes deberi Canonico ob infirmitatem ab Urbe absenti, recedendo a decisis, statuit Sac. Congr. in *Romana Fructuum* 29. *Aprilis pag.* 55.

Eas verò Beneficiatis, & Clericis Beneficiatis jam denegatas confirmavit *ibid.*

Quotidianum servitium Chori ab Antistite Canonicis præfinitum, non sustineri ob diminutionem reddituum resolvit Sac. Congr. in *Ferentina Servitii Chori* 15. *Januarii ad I. Dub. pag.* 1.

Immo illud diminuit juxta Votum Episcopi *ibid. ad II. Dub.*

R

REceptaculum ne esset Ecclesia perditorum hominum, potius injunxit Ordinario ut omnibus remediis procederet contra quos de jure, quam demolitioni illius esse locum, censuit in *Aesina Demolitionis* 26. *Augusti pag.* 124. *& seqq.*

Rectori Beneficiorum SS. Andreæ, & Nicolai Leodii injunctum fuit onus celebrandi duas Missas qualibet hebdomadá pro unoquolibet ex illis cum applicatione pro Anima Fundatorum eorundem Beneficiorum, & præterea celebrandi alias duodecim Missas annuas in expiationem Animæ Baronissæ Diereheim, ut in *Leodien.* 2. *Decembris pag.* 150. *ad II. Dub.*

Reliqua vid. *Beneficia*.

Rectori Ecclesiæ Parochialis spectare censuit Sacr. Congr. illam providere de utensilibus, ac sacris suppellectilibus, ut decenter peragi possint sacras functiones in *Spoletana Restaurationis Ecclesiæ Parochialis & Sacr. Suppellectilium* 18. *Martii pag.* 28.

Redditibus non diminutis, non reducuntur Missæ, ex resolutis *in Novarien. Reductionis* 26. *Augusti pag.* 117.

Redditus erogandi in causis piis deservire non possunt in Subsidium Dotale pauperis Neptis Testatoris, ut resolutum fuit in *Firmana Dotis* 16. *Septembris pag.* 133.

Reddituum ob defectum remissum fuit Canonicis Onerum implementum in *Faventina Reductionis Servitii Chori, & Missarum* 15. *Januarii pag.* 1.

Et ob diminutionem, diminutum eis fuit etiam quotidianum servitium Chori, ut in *Ferentina Servitii Chori* 15. *Januarii ad II. Dub. pag.* 1.

Reddituum ob diminutionem non satis constitam, Missarum reductio denegata fuit in *Taurinen.* 29. *Aprilis ad I. Dub. pag.* 56.

Reddituum reductio Vid. *Reductio reddituum.*

Reductio Missæ Conventualis. Vid. *Missæ Conventualis reductio.*

Reductio onerum Vid. *Onerum reductio.*

Reductio servitii Chori ob diminutionem reddituum concessa fuit in *Ferentina Servitii Chori* 15. *Januarii ad II. Dub. pag.* 1.

Quamvis ab Ordinario quotidianum præfinitum fuisset *ibid. ad I. Dub.*

Reductionem Missarum concedendam non esse censuit Sacr. Congr. tum propter onus susceptum ex contractu, tum ex eo, quod redditus diminuti non erant in *Novarien. Reductionis* 26. *Augusti pag.* 117.

Reductionem oneris applicationis Missæ Conventualis pro Benefactoribus, juxta Fundatorum vota, ob tenuitatem reddituum, Canonicis petentibus ad tempus, respondit Sac. Cong. = *dilata, & scribatur Episcopo, qui referat quantum quisque ex tribus Fundatoribus reliquerit tradendum post unusquisque Fundatoris mortem* = in *Civitatis Castellanæ Missæ Conventualis* 5. *Augusti pag.* 106.

Reductionem pensionis assignatæ Cappellano per Testatorem absque Beneplacito Apostolico factam a Patronis, nullam esse resolvit Sac. Congr. in *Aventionen. Cappellaniæ* 16. *Septembris pag.* 137., *& seqq.*

Reductionem reddituum bonorum a Testatore reli-

relictorum, juxta quos impleri debebant annuatim onera ab eodem præscripta, faciendam esse ad scut. duo singulis annis censuit Sac. Congr. in *Camerinen. Reductionis Onerum* 2. *Decembris pag.* 149.

Reliqua Vid. *Onerum reductio*.

Reedificatio Cappellæ ruinam minantis, ut impleretur ab hærede Fundatoris jussit in *Arausicana* 17. *Junii ad II. part. I. Dubii pag.* 81., & *seqq.*

Reedificatio Ecclesiæ debet confici ex dote annuatim distribuenda Puellæ Orphanæ juxta Votum Episcopi, ut in *Aquilana* 17. *Junii pag.* 31.

Proindeque per viginti quinque annos suspendi prædicta Dotis distributio censuit Sac. Congr., facto tamen verbo cum Sanctissimo *ibid.*

Religiosi Conventuales uti Corneliæ Vernazzi hæredes teneri ad præstationem Legatorum PP. Cappuccinis, & Minoribus de Observantia relictorum a Vincentio Vernazzi, jam definitam, denuo confirmata fuit in eadem *Vaden. Legatorum* 18. *Martii ad I. Dub. pag.* 27.

Nec non ad exequutionem aliorum Legatorum, tam a Vincentio, quam a Cornelia Vernazzi relictorum *ibid.*

Illos autem Terræ Tarani unam Lampadem, non duas accensam teneri ante Augustissimum Sacramentum præscripsit Sac. Congr. in *Sabinen Oneris* 3. *Junii ad I. Dub. pag* 68.

Ideoque pro præterito satis provisum in I. Dubio censuit *ibid. ad II. Dub.*

Religiosis Minoris Observantiæ S. Francisci, in quorum Ecclesia Missæ celebrandæ veniunt, renuentibus assentiri, ut illæ celebrentur per Sacerdotem sæcularem, censuit Sac. Congr. onus hoc transferri posse ad aliam Ecclesiam, & ad Altare sub Invocatione B.M.V., ut in *Nullius, seu Nonantulana Translationis Missarum* 2. *Decembris pag.* 149.

Religiosis Ordinis Excalceatorum S. Mariæ de Mercede Ordinis Redemptionis Captivorum præfinitum fuit terminum unius anni ad implendas conditiones in Instrumento donationis præscriptas, & ab ipsis acceptatas, in *Anagnina* 15. *Aprilis ad II. Dub. pag.* 40.

Remissio implementi oneris ob defectum reddituum Canonicis indulta fuit in *Faventina Reductionis Servitii Chori*, & *Missarum* 15. *Januarii pag.* 1.

Renovationes Ecclesiæ Parochialis Vid. *Restaurationes Ecclesiæ Parochialis*.

Renovationes Sacrarum Suppellectilium Vid. *Suppellectilium Sacrarum renovationes*.

Renovationes Utensilium. Vid. *Utensilium renovationes*.

Reparationes. Vid. *Restaurationes*.

Residendi in Ecclesia ob celebrationem Missæ quotidianæ in Aurora onus Cappellano ablatum fuit, facto tamen verbo cum Sanctissimo in *Tauri en. ad II. Dub. pag.* 56.

Restaurationes Ecclesiæ Parochialis, quæ necessariæ sint, & quantum importare possent, commisit Sac. Congr. Antistiti, ut referat, prævia Peritorum æstimatione in *Spoletana Restaurationis Ecclesiæ Parochialis*, & *Sacrarum Suppellectilium* 18. *Martii pag.* 28.

Ruinam minans Cappella. Vid. *Cappella ruinam minans*.

Ruralis Ecclesiæ demolitio. Vid. *Demolitio Ecclesiæ ruralis*.

S

Sacerdos ut obtineat absolutionem ab incursa irregularitate ob homicidium per ipsum patratum, consulendum esse Sanctissimo, recedendo a decisis, censuit Sac. Congr. in *Termularum Dispensationis ab Irregularitate* 29. *Aprilis pag.* 56., & *seqq.*

Sacerdoti, qui Missas celebravit ad ratam manualis deberi integrum stipendiam a Fundatore in hanc causam assignatum resolvit Sac. Congr. *in Civitatis Castellanæ* 3. *Junii pag.* 68.

Præcepit tamen Ordinario, ut inquireret utrum Patronus celebrare fecerit Missas *ibid.*

Sacerdotem habentem plura ecclesiastica Beneficia simplicia, ea non ammittere censuit Sac. Congr., quamvis ipse profugus per viginti, & ultra annos sit in *Firmana*, & *Ripana* 18. *Martii pag.* 28.

Sacræ Suppellectiles. Vid. *Suppellectiles Sacræ*.

Satisfactio onerum ob defectum Reddituum Canonicis remissa fuit in *Faventina Reductionis Servitii Chori*, & *Missarum* 15. *Januarii pag.* 1.

Sepeliendi jus Cadavera eorum, qui sunt de gremio Capituli, ad idem Capitulum pertinere censuit Sac. Congr. in *Maceraten. Juris funerandi* 2. *Decembris ad I. Dub. pag.* 149., & *seqq.*

Sicuti etiam emolumenta, quæ ex dictis funeribus retrahuntur *ibid. ad II. Dub.*

Servitium Chori quotidianum ab Antistite Canonicis præfinitum, non sustineri, ob diminutionem reddituum, resolvit Sac. Cong. in *Ferentina Servitii Chori* 15. *Januarii ad I. Dub. pag.* 1.

Immo illud diminuit, juxta Votum Episcodi *ibid. ad II. Dub.*

Reliqua Vid. *Chori servitium*.

Situs Cappellæ ruinam minantis venditionem fieri vetuit Sac. Congr. *in Arausicana* 17. *Junii ad I. Dub. pag.* 31.

Reliqua Vid. *Demolitio Cappellæ*.

Status hæreditarii firmatio. Vid. *Firmatio Status hæreditarii*.

Statutum Capitulare, seu Decretum Ecclesiæ Leodii anni 1728, recedendo a decisis, & confirmatione, sustineri censuit Sac. Congr., in qua resolutione etiam perstitit, iterumque approbavit in *eadem Leodien.* 15. *Aprilis pag.* 39.

Stipendii assignatio pro Missæ Conventualis celebratione non deberi nec Canonicis hebdomadariis, nec Archidiacono resolvit Sac. Congr. in *Fanen.* 29. *Aprilis ad III. Dub. pag.* 56.

Recessit tamen a decisis in *eadem* 15. *Julii pag.* 91.

Stipendii Parocho assignati suspensionem, jam denegatam etiam ad tempus, Sac. Congr. confirmavit in *eadem Civitatis Plebis* 5. *Augusti pag.* 105.

Nullibi spectato, quod plures Canonici se devinxerint munera Parochialia gratis obire *ibid.*

Stipendium ex massa communi deberi Celebranti Missam pro Populo resolvit Sac. Congr. in *Fanen.* 29. *Aprilis ad I. Dub. pag.* 56.

Quam resolutionem confirmavit in *eadem* 15. *Julii pag.* 91.

Stipendium integrum a Fundatore assignatum deberi Cappellano, non obstante reductione illius facta per Patronos, tamquam Beneplacito Apostolico destituta, censuit Sac. Congr. in *Avenionen. Cappellaniæ* 16. *Septembris pag.* 137., *& seqq.*

Stipendium integrum a Fundatore assignatum deberi Sacerdoti, qui Missas celebravit ad ratam manualis resolvit Sac. Congr. in *Civitatis Castellanæ* 3. *Junii pag.* 68.

Studiorum causa, ob quam vigore Indulti obtenti abest a servitio Chori Canonicus non facit eum plecti, sed amittit distributiones quotidianas, ut in *Nullius, seu Farfen. Punctaturarum* 5. *Augusti ad I. Dub. pagin.* 108.

Subsidia dotalia abnegavit Sac. Congr. Puellis Testatoris consanguineis in concursu earum, quibus ipse distribuere præceperat in *Ferrarien. Subsidiorum Dotalium* 18. *Martii pag.* 27.

Eaque quotannis Puellæ orphanæ distribuenda suspendi jussit per vigintiquinque annos, juxta votum Episcopi, ut interea reædificaretur Ecclesia, & Sacris Suppellectilibus ornaretur, facto tamen verbo cum Sanctissimo, ut in *Aquilana* 17. *Junii pagin.* 81.

Subsidia Dotalia deberi in scutis centum quinquaginta pro unaquaque Filia a Testatore descendente, etiam in octavo gradu constituta jam resolvit; sed in confirmatione statuit Sac. Congr. deberi in scutis *biscentum* pro unaquaque, ut in *eadem Romana Subsidiorum Dotalium* 18. *Martii pag.* 28.

Subsidia dotalia Nepti pauperi Testatoris postulanti ex redditibus in causis piis erogandis, abneganda esse censuit Sac. Congr. in *Firmana Dotis* 16. *Septembris pag.* 133.

Suppellectilium Sacrarum manutentionem, & renovationem spectare Priori, seu Rectori Ecclesiæ Parochialis resolvit Sac. Congr. in *Spoletana Restaurationis Ecclesiæ Parochialis, & Sacrarum Suppellectilium* 18. *Martii pagin.* 28.

Ipsarum provisionem per hæredem Fundatoris ad formam Testamenti esse explendam censuit in *Arausicana* 17. *Junii ad I. Dub. pag.* 81., *& seqq.*

Earumque renovatio mandavit confici ex dote quotannis distribuenda Puellæ orphanæ juxta Votum Episcopi, in *Aquilana* 17. *Junii pag.* 81.

Propter quod jussit per vigintiquinque annos suspendi prædicta Dotis distributio, facto tamen verbo cum Sanctissimo *ibid.*

Suppressio Confraterniratis S. Catharinæ V., & M. erectæ in Ecclesia Castri S. Petri facta vigore Brevis Apostolici, valida declarata fuit in *Bononien. Aperitionis Oris, & Reintegrationis* 19. *Februarii ad II. Dub. pagin.* 20.

Ideoque denegavit aperitionem Oris adversus Breve illud Apostolicum *ibid. ad I. Dub.*

Nec non fructuum restitutionem *ibid. ad III. Dub.*

Quæ omnia confirmavit in *eadem* 3. *Junii pag.* 67.

Suspensionem distributionis Dotis orphanæ Puellæ annuatim faciendæ mandavit Sac. Congr., juxta Votum Episcopi, per vigintiquinque annos, ut interim reædificaretur Ecclesia, eaque Sacris Suppellectilibus ornaretur, facto tamen verbo cum Sanctissimo, ut in *Aquilana* 17. *Junii pag.* 81.

Suspensionem Oneris Missarum usque ad reintegrationem summæ erogatæ in illarum celebratione, ultra annuos perceptos redditus jam abnegatam, iterum confirmavit Sac. Congr. *in eadem Placentina* 15. *Aprilis pagin.* 40., *& seqq.*

Suspensionem Stipendii Parocho assignati jam denegatam etiam ad tempus, Sac. Congr. iterum confirmavit in *eadem Civitatis Plebis* 5. *Augusti pag.* 105.

Suspensionem temporaneam applicationis Missæ Conventualis pro Benefactoribus, juxta Fundatorum Vota, ob tenuitatem redditum, Canonicis petentibus, Sac. Congr. respondit = *Dilata, & scribatur Episcopo, qui referat quantum quisque ex tribus Fundatoribus reliquerit tradendum post uniuscujusque Fundatoris mortem* = ut in *Civitatis Castellanæ Missæ Conventualis* 5. *Augusti pag.* 106.

T

TEmporanea ſuſpenſio . Vid. *Suſpenſio temporanea* .

Teſtatoris Nepti pauperi dotem in ſubſidium poſtulanti ex redditibus in cauſis piis erogandis, abnegavit Sac. Congr. in *Firmana Dotis* 16. *Septembris pag.*133.

Teſtatoris voluntas ut adimpleatur , juſsit Sac. Congr. , quod annuus fundus conſtitueretur pro Anniverſariis , & Miſsis lectis ab eodem præſcriptis , ut in *Vercellen.* 29 *Aprilis pag.*55.

Ex reliquis verò Bonis, erigeretur ab Ordinario Beneficium annui redditus deinceps taxandi , & quidquid ſupereſſet , erogaretur in dotibus Puellis diſtribuendis ab Ordinario taxandis *ibid.*

Teſtatoris voluntas , ut impleatur , abnegavit Sac. Congr. Dotem Puellis ejus Conſanguineis in concurſu earum , quibus ipſe diſtribuere præceperat , in *Ferrarien. Subſidiorum Dotalium* 18. *Martii pag.*27.

Teſtatoris voluntatem ab Ordinario commutatam illo vivente , & inaudito , non ſuſtineri præſcripſit Sac. Congr. in *Anagnina* 15. *Aprilis ad I. Dub. pag.*40.

Cenſuit tamen præfiniendum eſſe terminum PP. Redemptionis Captivorum ad implendas conditiones præſcriptas in Inſtrumento fundationis *ibid. ad II. Dub.*

Teſtatoris commutatio. Vid. *Commutatio voluntatis Defuncti* .

Transfuga per viginti & ultra annos Proviſi de pluribus eccleſiaſticis Beneficiis ſimplicibus, non facit illa vacare , ex reſolutis in *Firmana* , *&* *Ripana* 18. *Martii pag.*28.

Translatio Confraternitatis de una ad aliam Eccleſiam , propter incommoda , conceſſa fuit in *Sutrina Translationis* 15. *Julii ad I. Dub. pag.*92. , *&* *ſeqq.*

Reliqua Vid. ſub verb. *Confraternitas* .

Translationem Cappellaniæ ad Eccleſiam Cathedralem , ut decentius conſuli poſſet cultui Divino , & functionibus Eccleſiaſticis , ob tenujorem numerum Canonicorum , denegavit Sac. Congr. in *Maſſanen.* 2. *Decembris pag.*149

Translationem oneris celebrationis Miſſarum conceſsit Sac. Congr. , propter diſſenſum Patronorum Eccleſiæ , qui erant Religioſi , nè inibi Miſſæ celebrarentur per Sacerdotem Sæcularem , ut in *Nullius* , *ſeu Nonantulana Translationis Miſſarum* 2. *Decembris pag.* 149.

Translationem onerum Cappellæ ruinam minanti injunctorum ad alteram Eccleſiam abnegavit Sac. Congr. in *Arauſicana* 17. *Junii ad III. Dub. pag.*81. , *&* *ſeqq.*

Translationi Cæmentorum , onerum , & utenſilium ad Parochialem , ac demolitioni Eccleſiæ ruralis locum non eſſe cenſuit in *Teſina Demolitionis* 26. *Auguſti pag.* 124. , *&* *ſeqq. ad I. Dub.*

Ordinario tamen injunxit, ut omnibus remediis procederet contra quos de jure, ne Eccleſia receptaculum eſſet perditorum hominum *ibid. ad II. Dub.*

Triennalis poſſeſsio . Vid. *Poſſeſſio triennalis* .

Tumulandi jus Cadaverà eorum , qui ſunt de gremio Capituli , eidem Capitulo ſpectare reſolvit Sac. Congr. in *Maceraten. Juris funerandi* 2. *Decembris ad I. Dub. pag.* 149. *&* *ſeqq.*

Sicuti etiam emolumenta , quæ ex hiſce funeribus retrahuntur *ibid. ad II. Dub.*

V

VAcata non habentur Beneficia Eccleſiaſtica ſimplicia per transfugam , vel ob perfugam Proviſi per viginti & ultra annos , ex reſolutis in *Firmana* , *ſeu Ripana* 18. *Martii pag.*28.

Vacatio futura Cappellaniæ Eccleſiaſticæ reddit jnvalidam nominationem expletam a Patrono , ſicuti cenſuit Sac. Congr. in *Romana Cappellaniæ* 19 *Februarii pag.*19.

Etiamſi per triennium Cappellanus illam poſſederit *ibid.*

Vendendi bona Eccleſiæ in finem dimittendi æs alienum , quo ea gravata erant , beneplacitum impulſit Sac. Congr. , ad hoc tamen ut ſubrogarentur alia bona , donec redintegraretur pretium dictorum bonorum , ut in *Maceraten. Beneplaciti* 26. *Auguſti pag.* 122. , *&* *ſeqq.*

Commiſit tamen Epiſcopo , ut liquidarentur redditus , oneri Miſſarum ex legato celebrandarum ſubrogandos *ibid.*

Venditionem bonorum Abbatiæ faciendam eſſe illius favore , qui minorem fecerit oblationem , reſcripſit in *Nucerina Venditionis* 17. *Junii pag.*82. , *&* *ſeqq.*

Venditionem ſitus Cappellæ ruinam minantis fieri vetuit Sac. Congr. in *Arauſicana* 17. *Junii ad I. Dub. pag.*81.

Reliqua vid. ſub verb. *Demolitio Cappellæ.*

Vivente proviſo de pluribus Eccleſiaſticis Beneficiis ſimplicibus, etiamſi profugo per viginti & ultra annos , attamen illa non vacant , ex reſolutis per Sac. Congr. in *Firmana* , *&* *Ripana* 18. *Martii pag.* 28.

Vivente Teſtatore , & ipſo inaudito , commutationem ejus voluntatis ab Ordinario expletam , non ſuſtineri præſcripſit Sac. Cong. in *Anagnina* 15. *Aprilis ad I. Dub. pag.* 40.

Unionem Cappellaniæ ad Eccleſiam Cathedralem , ut decentius conſuli poſſet cultui Divino , & functionibus Eccleſiaſticis , ob tenujorem numerum Canonicorum , negavit Sac.

Sac. Congr. in *Maſſanen.* 2. *Decembris pagin.* 149.

Unionem Xenodochiorum contra voluntatem Defuncti admittendam non eſſe cenſuit Sac. Congr. in *Fanen. Unionis* 15. *Aprilis pag.*40.

Reliqua Vid. *Commutatio Voluntatis Teſtatoris.*

Voluntas Teſtatoris. Vid. *Teſtatoris voluntas.*

Utenſilium manutentionem, & renovationes ſpectare Priori, ſeu Rectori Eccleſiæ Parochialis cenſuit Sac. Congr. in *Spoletana Reſtaurationis Eccleſiæ Parochialis, & Sacrarum Suppellectilium* 18. *Martii pag.*28.

Utenſilium translatio. Vid. *Translatio Utenſilium.*

X

XEnodochium pro Convaleſcentibus erectum non eſſe uniendum cum illo pro Infirmis, contra voluntatem Defuncti, cenſuit Sac. Congr. in *Fanen. Unionis* 15. *Aprilis pag.*40.

Reliqua Vid. *Commutatio voluntatis Teſtatoris.*

FINIS.

INDEX CONCLUSIONUM,

Quæ adnotatæ fuerunt in foliis Causarum anni 1780.

A

A Beſſendi ab Eccleſia, & Choro non intereſſendi faciunt ammittere Canonicis fructus, & quotidianas diſtributiones *pag.*42. §. *Primam*.

Reliqua vid. ſub verb. *Canonici*.

Abſens a reſidentia, & Chori ſervitio, cauſa ſtudiorum, cum indulto Sacræ Congregationis Concilii, non ſubjacet punctaturis *pagin.* 108. §. *Videtur*.

Abſentia duplicis generis eſt; Alia a Chori, & Eccleſiæ ſervitio, & alia a loco reſidentiæ; in primo caſu Canonicus non ammittit fructus, nec quotidianas diſtributiones, in ſecundo, licet infimus, omnia perdit, niſi reportaverit Indultum *pag.*43., & *ſeqq.* §. *At Beneficiati*.

Adimplendi Miſſarum onus per alium, quod per ſe ipſum adimplere tenetur Patronus, huic ſæpiſsime facultas conceditur *pag.* 51. §. *Rurſus*.

Adminiſtratio Baptiſmatis vid. *Baptiſmatis collatio*.

Aediculi ruralis demolitio vid. *Demolitio Aediculi ruralis*.

Acquitas poſcit, ut in aſſequenda dote Affines, & conſanguineæ Teſtatoris, quamvis longiori gradu ab eo ſejunctæ, Puellis extraneis præferantur *pag.* 16. §. *Inquiunt*, & *pag.*17. §. *De paupertate*.

Reliqua vid. ſub verb. *Agnatæ*.

Aere alieno preſſa Bona Eccleſiæ alienari poſſunt cum Beneplacito Apoſtolico *pag.* 123. §. *Jura ſua*, & *pag.*124. §. *Sacra Congregatio*.

Affictus vide *Oblator*.

Affines vide *Agnatæ*.

Affixio Edictorum vid. *Edictorum affixio*.

Agnatæ, ſeu Cognatæ, dummodo ſint pauperes, ſemper extraneis Puellis præferuntur in aſſequutione dotis *pag.* 116. §. *Inquiunt*; & *pag.* 117. §. *De paupertate*.

Idque procedit ex præſumpta Teſtatoris voluntate *ibid.*

Quam laudavit continuò, approbavitque Sacra Congregatio *pag.*16. §. *Inquiunt*.

Utcumque nec tam arcta conjunctio cum Teſtatore concurrat; cum ex æquitate Affines etiam, & conſanguineæ, licet longiori gradu ab eo ſejunctæ, prælationem conſequantur *ibid.*

Nihil vetante eaſdem nuptas eſſe, ſi, ſub ſpe, & recurſu pendente pro aſſequenda dote, ſeſe in matrimonium copulaverint *ibid.* §. *Hanc æquitatem*.

Jus hoc prælationis nedum obtinent pro dotibus diſtribui aſſuetis, verum etiam pro effectu, ut eæ cumulentur ad congruam dotem ſtabiliendam *pag.* 17., & *ſeqq.* §. *De paupertate*.

Alienandi facultas vid. *Facultas alienandi*.

Alimenta debentur pauperibus Puellis, a Teſtatore quomodocumque deſcendentibus, ex parte bonorum, quæ in Eccleſiam collata fuere ab eorum Auctoribus *pag.* 86., & *ſeqq.* §. *Oratrix*.

Maximè ſi accedat voluntas Fundatoris imminuendi opus pium, imminutis redditibus *ibid.*

Altare, & Eccleſia certa deſignata a Teſtatore, non transferuntur ad aliam, niſi interveniente juſta, & neceſſaria cauſa *pag.* 77. §. *Translationem*.

Sicuti nec celebratio Miſſarum transfertur, ſi pro iſtis, etiam certam Eccleſiam ſtabilierit *pag.*125. §. *Prout*.

Maximè ſi deficiat juſta, urgens, & neceſſaria cauſa *ibid.*

Apoſtolicæ litteræ ſervari debent *pagin.* 53. §. *Probat*.

Apoſtolicum Beneplacitum vid. *Beneplacitum Apoſtolicum*.

Apoſtolicum Breve ob defectum vitii ſubetobreptionis ſuſtineri debet *pag.* 14. §. *Hoc Apoſtolicum*.

Applicatio Miſſæ Conventualis vid. *Miſſæ Conventualis applicatio*.

Archiepiſcopalis Menſæ bona, ut diſſolvantur a nexu emphyteutico, quandoque aſſentitur *pag.* 159. §. *Obſequentes*.

B

B Aptiſmalis fons conſtitutus eſt in Parochialibus diſcretis a Cathedralibus propter augumentum recipientium Baptiſma *pag.*8. §. *Et revera*.

Interdictum verò aliis Eccleſiis ſive filiabus,

bus, sive intra ambitum Parochiæ existentibus Fontem Baptismalem habere *ibid.*

Non autem illis, quæ vel desierint esse alicui subjectæ, vel longè sint a Matrici, nè contingat, infantes recenter natos mori sine baptismate *pag.* 8., & *seqq.* §. *Contendunt*, §. *Addunt*, & §. *Sacra Congregatio.*

Reliqua *vid. Parochialis Ecclesia.*

Baptismatis collatio antiquitus a solo Episcopo fiebat in Cathedralibus tantum *pag.* 8. §. *Et revera.*

Nunc ministratur tale Sacramentum in Parochialibus discretis a Cathedralibus a propriis Parochis, tamquam Episcoporum Vicariis, ac Coadjutoribus *ibid.*

Reliqua vide sub verb. *Parochialis Ecclesia.*

Beneficia adhuc vacatura conferre tantum valet Summus Pontifex, ratione suæ potestatis *pag.* 26. §. *Neque hic.*

Etiam vigore apertæ declarationis Tridentinæ *ibid.*

Reliqua vid. sub verb. *Gratiæ expectativæ.*

Beneficia tunc habentur ex jure Canonico pro derelictis, quando decennale tempus transactum est *pag.* 26. §. *Votum.*

Beneficiatus vid. *Parochus.*

Beneficiatus privatur Beneficio, nisi observet residentiam præcisam a Fundatore præscriptam *pag.* 51. §. *Quod verò.*

Beneficii Ecclesiastici promissio, vel nominatio, antequam vacet, expleta, nulla est a Sacris Canonis præscripta; & eam reiicit Sacra Congregatio *pag.* 12. §. *Et profectò.*

Reliqua vide *Nominatio.*

Beneficii redditibus diminutis, fit locus reductioni Missarum *pag.* 50. §. *Reductionem.*

Beneplacitum Apostolicum pro alienatione Bonorum Ecclesiæ regulariter non conceditur *pag.* 123. §. *Jura sua.*

Impartitur verò, si urgeat æs alienum, vel alia necessitas *ibid.*

Item, si evidens Ecclesiæ occurrat utilitas *ibid.*

Denique, si Bona non reddant fructus, nisi magnis cum expensis, *ibid.*

Una, vel altera ex dictis causis concurrente, Beneplacitum prædictum largitur *ibid.*, & *pag.* 124. §. *Sacra Congregatio.*

Bona Archiepiscopalis Mensæ, ut dissolvantur a nexu emphyteutico, aliquando permittitur *pag.* 159. §. *Obsequentes.*

Bona Ecclesiæ, aut gravata ære alieno, vel alia necessitate, aut occurrente evidenti utilitate, aut reddentia fructus magnis cum expensis, alienari possunt cum Beneplacito Apostolico *pag.* 123. §. *Jura sua*, & *pag.* 124. §. *Sac. Congregatio.*

Breve Apostolicum, ob defectum vitii subobreptionis, sustineri debet *pag.* 14. §. *Hoc Apostolicum.*

C

CAducati habentur illi a Testatore primo loco vocati, si commutata fuit ejus voluntas sine consensu Fundatoris, & aliorum omnium interesse habentium *pag.* 37., & *seqq.* §. *Accedit*, & §. *Neque verum.*

Ideoque fit locus substitutioni *ibid.*

Canonicales fructus amissi a Canonico, eidem condonari nequeunt absque consensu reliquorum ex Capitulo *pag.* 44. §. *Addunt.*

Canonici, qui in suis Ecclesiis non residunt, divinisque Officiis non intersunt, arcentur a percipiendis fructibus, & quotidianis distributionibus *pag.* 42. §. *Primam.*

Condonantur autem, si absentia evenerit sine malitia, juxta exempla allata *ibid.*, & *seqq.*, & *pag.* 43. §. *Instatque.*

Excipiuntur verò illi, quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret a servitio Ecclesiæ, & Chori *ibid.*

Qui in hoc casu nullo indigent indulto *pag.* 43. §. *Nec ullo.*

Maximè, si pro istis Coadjutor existat, qui resideat, & incumbat Chori, ac Ecclesiæ servitio *pag.* 42., & *seqq.* §. *Contenditque.*

Absentes denique a residentia, & servitio Chori causa Studiorum, & cum indulto Sacræ Congregationis Concilii, non subjacent punctaturis *pag.* 108. §. *Videtur.*

Canonici recedere non possunt ab iis, quæ per Apostolicas litteras, & per Fundatoris legem constituta fuere *pag.* 53. §. *Probat.*

Canonicis incumbit onus celebrandi Missam Conventualem per turnum, absque stipendio *pag.* 53., & *seqq.* §. *Rursus.*

Ratio est, quia ipsi celebrant Divina officia, incumbunt Ecclesiæ, Chorique servitio, ac fructus Canonicales percipiunt *ibid.*

Propter quod ad dictam celebrationem non solum, sed etiam ad applicationem illius pro Benefactoribus in genere tenentur Canonici omnes tum antiquæ, tum novæ erectionis *pag.* 60., & *seqq.* §. *Præ oculis.*

Quia est onus inhærens universo Canonicorum cœtui *ibid.*

Canonico, qui deservivit Ecclesiæ per annos quadraginta, ex consuetudine Sacræ Congregationis, indulgetur Jubilatio *pag.* 120. §. *Mos est.*

Reliqua vid. *Jubilatio.*

Canonicus coadjutor vid. *Coadjutor Canonicus.*

Canonicus coadjutus vid. *Coadjutus Canonicus.*

Canonicus utcumque abfuerit sine licentia privari non potest fructibus sui Canonicatus,

nisi prævíis canonicis monitionibus, ut ad residentiam redeat *pag.*42. §. *Nec ullo*.

Immo si habeat Coadjutorem potest lucrari nedum fructus sui Canonicatus, sed etiam quotidianas distributiones *pag.* 43., & *seqq.* §. *At Beneficiati*.

Absens verò a loco residentiæ causa infirmitatis, & sine indulto, amittit Canonicales fructus, ad quos percipiendos indultum requiritur copulativè cum infirmitate *ibid.*

Etiamsi habeat Coadjutorem, quia per istum non excusatur Coadjutus ab onere residendi in loco, ubi Canonicatum obtinet *ibid.*

Sicuti nec etiam lucratur, si Coadjutor quoque absens sit sine indulto, causa similiter infirmitatis *pag.*44. §. *Immò*.

Capituli integri consensus requiritur pro condonatione fructuum Canonicalium eidem qui eos amisit *pag.*44. §. *Addunt*.

Capituli jurisdictiones & Episcopi constituunt unum corpus *pag.*95. §. *Maximè*.

Cappellani qualitas actu non præscripta sufficit, ut verificetur vel institutionis tempore, vel vacationis, vel præsentationis *pag.* 136. §. *Ponderandum*.

Cappellania collata simplici Clerico sustineri non debet *pag.*131. & *seqq.* §. *Disputant*.

Intellige, quando onera a Testatore ordinata personalia sunt *ibid.*

Maximè quando collata fuerit per Rescriptum subetobreptitium *pag.*132. §. *Itemque*.

Cappellaniæ merè laicalis nominationem habere possunt etiam Fœminæ *pagin.* 156. §. *Causa*.

Reliqua vide sub verb. *Nominatio*.

Cappellaniæ, quando presbyteralis non sit, cum onere celebrandi per se ipsum, nominationem habere possunt etiam Infantes, & Minores *pag.*156. §. *Contendit*.

Reliqua vid. *Nominatio*.

Cappellaniæ redditibus diminutis, fit locus reductioni Missarum *pag.* 50. §. *Reductioni*.

Cappellaniam Patronus conferre valet etiam incapaci, si in ea præscripta non sit actu qualitas Cappellani *pag.* 136. §. *Ponderandum*.

Dummodo tempore debito fiat capax vel naturaliter, vel per dispensationem *ibid.*

Cappellaniarum promissio, vel nominatio, antequam vacent, expleta, nulla est præscripta a Sacris Canonis, eamque reiicit Sacra Congregatio *pag.* 12. §. *Et profecto*.

Magis si Cappellania ecclesiastica sit *ibid.*

Reliqua vid. *Nominatio*.

Cappellanus privatur Cappellania, nisi servet residentiam *præcisam* a Fundatore volitam *pag.*51. §. *Quod verò*.

Cappellanus redigere nequit pensionum vel fructuum census absque Beneplacito Apostolico *pag.*139. §. *Quod autem*.

Reliqua vid. sub verb. *Reductiones*.

Causa justa, rationabilis, & necessaria si concurrat, tunc commutatur voluntas Testatoris in aliud simile pium Opus *pag.*34., & *seqq.* §. *Et quamvis*.

Causativa residentia vid. *Residentia causativa*.

Celebratio Missæ Conventualis vid. *Missæ Conventualis celebratio*.

Celebratio Missarum vid. *Missarum celebratio*.

Census fructuum reductio vid. *Reductio fructuum Census*.

Centenaria immo plene, integreque completa debet esse consuetudo, quæ in actibus Ecclesiæ præjudicium, Divinique cultus decrementum infert *pag.*139. §. *Itemque*.

Chori servitium per quadraginta annos, aut non laudabiliter, aut interpollatè præstitum, jubilatione non meretur *pag.*120., & *seqq.* §. *Quibus*.

Choro non interessendi facit amittere Canonicis fructus, & quotidianas distributiones *pag.*42. §. *Primam*.

Reliqua vid. sub verb. *Canonici*.

Choro inservire non prohibetur coadjutus Canonicus, quamvis habeat Coadjutorem *pagin.*121. §. *Præ oculis*.

Reliqua vid. *Coadiutus*.

Choro vacandi indultum conceditur Canonico, qui deservierit Ecclesiæ per annos quadraginta, ex consuetudine Sacræ Congregationis, *pag.*120. §. *Mos est*.

Reliqua vid. *Jubilatio*.

Christifideles se debent abstinere diebus Festivis ab omni illicito, & servili opere; nec non audire Sacrum, juxta præceptum Ecclesiæ *pag.*68. §. *Quamvis*.

Et hoc sub gravibus pœnis *ibid.*

Ex indulgentia verò Summorum Pontificum diebus illis vacare possunt operibus servilibus, *ibid.*, & *seqq.*

Firma semper remanente obligatione Missæ interessendi *ibid.*, & *seqq.*

Ratio est, quia per hoc non desinunt illi dies esse festivos *pag.*70. §. *Videtur*.

Maximè autem si indulgentia prædicta procedat ex causa necessitatis, veluti piscationis, aut ex ratione pietatis *ibid.*

Clerico jam promoto facilius largitur dispensatio ab irregularitate incursa ob conniventiam, ex qua nulla provenere mala *pag.*130. §. *Ponderandum*.

Sicuti, ob patratum homicidium *ibidem* §. *Maximè*.

Promovendo autem conceditur ad preces, & petitionem Episcopi *pag.* 4., & *pag.* 58., & *seqq.* §. *Sacra*.

Clericum, qui aggressorem occidit ad propriæ vitæ defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ, non contrahere irregularitatem, communis est Doctorum opinio *pagin.*3. §. *Scribentes*.

Reliqua vid. sub verb. *Homicidium*.

Coa-

Coadjutor Canonicus, durante vita Coadjuti, fictus, non verus Canonicus dicitur *pag.* 120., *& seqq. §. Quibus*.

Proinde non tenetur præstare servitium, nec peragere functiones de hebdomada, ac de turno ad Coadjutum pertinentes, nisi in casu, quo Coadjutus nolit, vel non possit Ecclesiæ, & Choro interesse *pagin.* 121. *§. Præ oculis*.

Coadjutoria conceditur dumtaxat pro servitio, & necessitate Ecclesiæ, ne ista, propter impedimentum Coadjuti, Divini cultus detrimentum patiatur *pag.* 121. *§. Præ oculis.*

Coadjutus Canonicus non excusatur per Coadjutorem ab onere residendi in loco, ubi Canonicatum obtinet; nisi habeat indultum *pag.* 43., *& seqq. §. At Beneficiati*.

Immo nec lucratur fructus, & quotidianas distributiones, si Coadjutor quoque absens sit sine indulto, causa licet infirmitatis *pag.* 44. *§. Immò*.

Sicuti non prohibetur per se ipsum Choro, & Ecclesiæ inservire *pag.* 121. *§. Præ oculis*.

Reliqua vide *Coadiutor Canonicus*.

Codicillum, non Testamentum attendi debet *pag.* 111. *§. Auditu*.

Cognatæ vide *Agnatæ*.

Collatio Baptismatis vid. *Baptismatis collatio*.

Committens celebrationem Missarum, nequit retinere sibi partem eleemosynæ, quam Celebranti dandam obtulerant Fideles *pagin.* 63. *§. Inter*.

Etiamsi Sacerdos celebrans, majorem eleemosynam non ignorans tributam fuisse committenti, & nihilominus ipse contentus est minori *ibid.*, *& seqq. §. Item §. Rursus, & §. Ac demum*.

Commutari non debent, sed strictè observari voluntates mortuorum *pag.* 34. *§. Ponderandum*.

Ne ex nimia facilitate declinandi ab eorum votis retrahantur viventes a dispositionibus ipsis *ibid.*

Limita verò, quando demandata voluntas impleri nequeat *ibid.*, *& seqq. §. Et quamvis*.

Commutatio, quando occurrat justa, rationabilis, & necessaria causa, fieri debet in aliud simile pium Opus *pagin.* 34. *§. Et quamvis*.

Non autem, quando resistat voluntas Testatoris, etiamsi commutatio fieret in melius *ibid. §. Ponderandum*.

Quando vero fieri debet, ad Summum Pontificem pertinet *pag.* 37. *§. Causa*.

Ita ut facta ab aliis, etiam ab Episcopo, non sustinetur *ibid.*

Maxime, si deficiat consensus Fundatoris, & aliorum omnium interesse habentium *ibid. §. Accedit*.

Et in hoc casu, habentur pro caducatis illi a Testatore primo loco vocati *ibid.*, *& seqq. §. Neque verum*.

Ideoque sit locus substitutioni *ibid.*

Condonatio fructuum Canonicalium fieri nequit absque consensu reliquorum ex Capitulo *pag.* 44. *§. Addunt*.

Confraternitates, Patroni, reditus fabricæ si desint, ac Parochiani pauperes sint, tenetur Parochus restaurare Ecclesiam, & parare cuncta, quæ cultum Divinum respiciunt, & servitio Ecclesiæ opportuna sunt *pag.* 23. *§. Petitioni*.

Reliqua vid. *Parochus*.

Consanguineæ, & Affines Testatoris, etiamsi longiori gradu ab ipso sejunctæ, tamen, de æquitate, præferuntur extraneis Puellis in assequutione dotis *pag.* 16. *§. Inquiunt*.

Reliqua vid. *Agnatæ*.

Consensus tum Fundatoris, tum aliorum omnium interesse habentium requiritur pro commutatione voluntatis Testatoris *pag.* 37. *§. Accedit*.

Aliter commutata, habentur pro caducatis illi a Testatore primo loco vocati *ibid.*, *& seqq. §. Neque verum*.

Ideoque sit locus substitutioni *ibid.*

Consuetudo, quæ in actibus Ecclesiæ præjudicium, Divinique cultus decrementum infert, debet esse centenaria *pagin.* 139., *& seqq. §. Itemque*.

Immò ut plenè, integreque completa sit *ibid.*

Corporalis necessitas vid. *Necessitas corporalis*.

Corpus unum constituunt Capituli jurisdictiones, & Episcopi *pag.* 95. *§. Maximè*.

D

Decennali tempore transacto, tunc Beneficia, ex jure Canonico, habentur pro derelictis *pag.* 26. *§. Votum*.

Decennalis possessio vid. *Possessio decennalis*.

Deficiente consensu Fundatoris, & aliorum omnium interesse habentium, non sustinetur commutatio voluntatis Testatoris *pag.* 37. *§. Accedit*.

Immo pro caducatis habentur illi a Testatore primo loco vocati *ibid.*, *& seqq. §. Neque verum*.

Deficiente vitio subetobreptionis, validum est Breve Apostolicum *pag.* 13. *§. Hoc Apostolicum*.

Deficientibus redditibus Fabricæ, Patronis, Confraternitatibus, & Parochianis, tenetur Parochus Ecclesiam restaurare, & parare eà cuncta, quæ cultum Divinum respiciunt, & servitio Ecclesiæ opportuna sunt *pag.* 23. *§. Petitioni*.

Reliqua vid. *Parochus*.

Defuncti voluntatis interpretationem, super prælatione Puellarum pauperum sibi quomodocumque conjunctarum, in exclusionem exranearum, semper laudavit, ac admisit Sacra Congregatio *pag.* 16. *§. Inquiunt*.

Defunctorum voluntates observari, non commutari debent *pag.*39. §. *Ponderandum*.
Vid. *Mortuorum voluntas*.
Demolitio ruralis Ædiculi, vel Sacelli non conceditur, nè Populi pietas, devotio, & religio imminuatur *pag.*125. §. *Sacra Congregatio*.
Ne siquidem petatur ratione scandali, & ad evertenda mala *ibid.*
Denunciationes matrimonii. Vid. *Matrimonii denunciationes*.
Derelicta habentur ex jure Canonico Beneficia, si decennale tempus transactum sit, *pag.*26. §. *Votum*.
Designatio facta a Testatore certæ Ecclesiæ, certique Altaris excludit translationem, nisi interveniente justa, & necessaria causa *pag.*77. §. *Translationem*.
Sicuti excludit etiam translationem celebrationis Missarum *pag.*125. §. *Prout*.
Devotio Populi vid. *Populi devotio*.
Dies festivi. Vid. *Festivi dies*.
Dignum semper præsumitur esse aliquem in Ecclesiis *pag.*98. §. *Disputat*.
Maximè si factum sit experimentum, licet ab Examinatoribus rejectus fuerit *ibidem*, & *seqq.*
Multo magis, si in eodem, insimul cum scientia, concurrant merita *ibid.* §. *Probat*.
Diminutis redditibus, fit locus reductioni Missarum *pag.*50. §. *Reductionem*.
Dispensatio a pœna patrati homicidii Clerico promovendo latgitur ad cauthelam *pag.*4. §. *Sacra Congregatio*.
Dispensatio ab incursa irregularitate ob conniventiam, ex qua nulla provenere mala, facilius reportari, & obtineri potest *pag.*130. §. *Ponderandum*.
Præcipue si res sit de Clerico jam promoto *ibid.* §. *Maximè*.
Cum in durioribus terminis, nempè patrati homicidii, Clerico jam promoto, facilius dispensatio concedatur *ibid.* §. *eod.*
Dispensatio ab irregularitate conceditur Clerico promovendo, ad preces, & petitionem Episcopi, *pag.*58. §. *Sacra*.
Dispensatio irregularitatis, saltem ad cauthelam, tribui debet ob homicidium patratum ad vitæ defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ *pag.*4. §. *Sacra Congregatio*.
Episcopus valet eam concedere ex præscripto Tridentini, causa, & rationibus cognitis *pag.*3. §. *Præscriptum*.
Facilius conceditur Clerico jam promoto *pag.*130. §. *Maximè*.
Disposita in Codicillo, non autem ea, quæ in Testamento scripta sunt, attendenda veniunt *pag.*111. §. *Auditus*.
Dissensus Patronorum Ecclesiæ nè Missæ inibi celebrentur, est causa sufficiens, ut transferatur onus earum *pag.*148. §. *Et profectò*.
Dissolvendi Bona Mensæ Archiepiscopalis a nexu emphyteutico, quandoque conceditur *pag.*159. §. *Obsequentes*.
